UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

urn:nbn:de:hbz:466:1-66414

Visual Library

Sh. 5778.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ DEFINITORE PROVINCIALI,
OLIM S. THEOLOGIÆ AC SS. CANONUM
LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA.

CONTINUATORIS
TOMUS NONUS
SEU IN ORDINE
TOMUS XXXIII.
Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1539.

Collegii S.J. Cath. 1770



AUGUSTÆ VINDELICORUM & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXIX.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



PRÆFATIO.

Cum in prioribus continuatæ hujus Hiſtoriæ tomis crebra eaque luculenta occurrerint argumenta, ex quibus Lutheranæ hæreſis ortus, & progreſſus manifeſtabatur, ſequentes tomi, ac præcipue præſens ordine XXXIII. illius exitum, ſeu potius mala inde exorta demonſtrat. Ea vero fuſiori calamo deſcribere, ſupervacáneum fore exiſtimo, cum illa ad hanc usque ætatem non modo Eccleſia jugibus lacrimis deploret, ſed profani etiam Status exinde continuis diſſenſionum tumultibus ſe-

se agitari doleant. Ut vero certum, fideque dignum habeamus testimonium turbarum, quas spurii hi Reformatores jam sub primis sectæ suæ auspiciis suscitarunt, haud abs re fore censemus, coævi cujusdam Scriptoris verba referre, ex antiquis Annalibus Manuscriptis Augustæ in celeberrima quadam Imperiali Abbatia reservatis integra fide descripta, ac Anno Domini 1654. prima vice publici juris facta. Hic Auctor historicam suam relationem de ortu & progressu hæresum in Germania, præsertim vero Augustæ Vindelicorum exorsus est ab anno Christi millesimo quingentesimo decimo octavo, eamque usque ad annum millesimum quingentesimum vigesimum tertium protraxit, usus quidam stylo inculto, atque a Latini sermonis puritate nonnunquam multum alieno, vero tamen ac sincero; tantam enim morum & Religionis barbariem, quæ tum grassabatur, haud comptior decebat oratio, quinimo idipsum veritati Majestatem conciliasse videtur, quod simplici calamo descriptum. Porro quædam omisimus, quæ vel minoris momenti

menti, vel minus ad rem noſtram conducere videbantur, cetera vero omni fidelitate tranſcripſimus. Percipiamus igitur hujus Scriptoris relationem, quæ ita incipit:

Anno Domini 1518. Maximilianus Imperator diætam Auguſtæ ad feſtum S. Udalrici omnibus Principibus & membris Romani Imperii indixit. In quo conventu convenerunt tres Reverendiſſimi Domini Cardinales, Cajetanus, Gurcenſis, & Moguntinus ibidem inveſtitus: Pluresque Regum Oratores, Principes, Electores, & omnes fere Germaniæ Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, ac Nobiles, Communitates, cum magna parte Epiſcoporum, qualis in Imperio ſupra triginta annos viſus non eſt.

Ad illam diætam etiam vocatus fuit Doctor Martinus Luther Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ex Monaſterio Wittenbergenſi, ubi Fridericus Dux Saxoniæ cum ſua curia reſidentiam habebat: qui oriundus fuit de Eisleben ſub Dominio Comitum de Mansfelden. Is Doctor Martinus cæpit ſcribere atque prædicare contra poteſtatem Papæ, & claves Eccleſiæ. Quare citatus venire recuſavit ad curiam, ſeu aliunde, niſi in Germaniam, & non aliter, niſi ſub ſalvo conductu, de loco ad locum ſibi placito, &

tuto. Et hoc non nisi sigillis Cæsaris, & Electorum Principum literis roboratis, quod & factum fuit. Cum autem Augustam veniſſet, disputationem cum Doctore Joanne Eggio subire recusavit, nisi in partibus Saxoniæ. Quare ad Lipsiam sequentis anni dies disputationis indicta fuit. Cardinalis etiam Cajetanus Thomas tituli S. Sixti Legatus, ex quo disputationem recusavit, petiit contra Lutherum juridicum proceſſum, tanquam contra hæreticum, & Schismaticum, & a Sede Apostolica condemnatum: quod sibi denegatum fuit, propter salvum scriptum conductum Cæsaris & Principum Electorum. Hunc Fridericus Dux Saxoniæ, Princeps Elector commensalem habuit, & ex tunc semper fovit, ac protexit.

D. Joannes Egk Theologus, Rector Universitatis Ingolstadiensis, Lipsiæ cum Luthero publice disputavit coram Notariis, & testibus, præsentibus Ducis Georgii Saxoniæ Consiliariis, atque tota Universitate, de potestate clavium, ac aliorum plurimorum errorum, fuitque ab Egkio Wiclephista & Hussita nominatus. Disputatione finita, disputata, ac narrata omnia sigillo Principis Georgii munita fuerunt, & ad Gymnasium Parisiense missa pro sententia ferenda. Parisienses autem post maturam examinationem, dederunt sententiam contra Lutherum tanquam hæreticum, & quod Egkius optime de fide Christiana sensisset.

Litera

Litera Facultatis Theologicæ ſtudii Lipſienſis de Superiori Diſputatione.

Univerſis & ſingulis S. M. Eccleſiæ filiis, quorumcunque ſtatuum, dignitatum, & præeminentiarum titulis effulgeant, præſentes noſtras patentes literas lecturis, ſeu audituris.

Nos Matthæus Heininger Haynenſis, artium & S. Theologiæ Profeſſor Collegii majoris ſtudii Lipſienſis, Merſeburgenſis Diœceſis Collegiatus Vice-Decanus, ceterique Magiſtri & Profeſſores Facultatis Theologicæ dicti ſtudii Lipſienſis; ſalutem in Domino ac firmam plenamque notitiam omnium ac ſingulorum infra ſcriptorum. Cum naturalis æquitatis hortatu & divinæ Legis præceptione, quique hominum fidos ſeſe veritati teſtes exhibere ſuadeantur, & jubeantur, multoque propenſiores in hoc munere divinorum eloquiorum diſquiſitores, & omni cura quæſitæ & cognitæ veritatis declamatores eſſe debeant, ut hanc ſincero teſtimonio, nullis corrupti odiis, nullis adducti favoribus, nullo denique reprehenſibili conatu præfracti ediſſerant. Hanc ob rem, a notis, viſis, auditis, & cognitis atteſtamur, in arduæ diſputationis ſerie egregium, clariſſimum, & doctiſſimum virum Joannem Egkium, artium, decretorum, & Theologiæ Doctorem, Canonicum Eyſtettenſem, ac Procancellarium Ingolſtadienſem &c. contra egregios, & eximios viros, & Dominos Andream

Bodenſtein Caroloſtadium, & R. P. Martinum Luther Auguſtinianum, Sacræ Theologiæ Wittenbergenſis ſtudii Profeſſores, in noſtra Lipſienſi Academia ſuſceptæ, pro veritatis orthodoxæ fidei ſecundum præſtitutas utrimque ex conſtituto concluſiones tuitione ſtatuto tempore intrepidum ſe obtuliſſe, intraque Lipſica mœnia 22. Junii affuiſſe, & ejusdem menſis 27. die in arenam læto animo, & hilari vultu deſcendiſſe, in capaciſſima Ducalis arcis aula, ad hoc egregie inſtructa, ſtrenuum pugilem in omnem partem armatum geſſiſſe, mira memoriæ retinentia inſignem, multa adverſæ partis objecta, eodem quo edebantur ordine recenſuiſſe, nodosque retexuiſſe: ſuas vero ſententias eximia ſcripturarum peritia fretum confirmaſſe, non levibus Sophiſtarum tendiculis nixum, aut vanis verborum fumis inſtructum egiſſe. Diſputandi denique legem per Illuſtriſſimi Principis noſtri & Domini Domini Georgii Saxoniæ Præſidis provinciæ Thuringiæ &c. Conſiliarios, Univerſitatis noſtræ majores præſcriptum ſecutum virili modeſtia in omni actu apparuiſſe, ad omnia Dominorum vota morigerum. Hæc ut præmiſimus teſtamur.

In cujus rei fidem, & evidens teſtimonium, præſentes noſtras patentes literas ſigillo Facultatis noſtræ Theologicæ juſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum Lipſiæ 25. die menſis Julii Anno 1519.

Tunc Lutherus ad pejora dilapſus fuit, imagines Sanctorum delevit, altaria deſtruxit,

xit, Venerationem B. Mariæ Virginis, & Sanctorum ſprevit, lumina lampadarum ac cereorum deriſit, jejunium abrogavit, Miſſam Sacrificium eſſe noluit, Confeſſionem non eſſe neceſſe docuit, Sacra Concilia contempſit, Epiſtolam ſecundam Petri Apoſtoli, atque Epiſtolam Jacobi Apoſtoli, atque Apocalypſim refutavit. Ordines & Virginitatem deſpexit. Demum & ipſe ab ordine apoſtatavit & Catharinam de Born, nobilem fœminam, monialem tamen, in uxorem duxit anno Domini 1524. Multa Cœnobia ſua doctrina evacuavit, & apoſtatare fecit. Et ut paucis verbis concludam, omnes fæces omnium aliarum hæreſum in unum recollegit, renovavit, docuit, atque inſtituit. Quem Fridericus Dux Saxoniæ, ſicut ejus verus diſcipulus, fovit, & protexit, & in arce ſua tanquam amicum chariſſimum fovit, atque ſecum detinuit, & demum, ut perfectus diſcipulus, in doctrina Lutherana vitam finivit.

Lutheri diſcipuli, & coadjutores fuere Carolſtadius Archidiaconus, etiam uxoratus; Philippus Melanchton, Oecolompadius apoſtata, Zwinglin, & alii quamplurimi. Ipſe autem D. Martinus Luther tanquam ſchiſmaticus, & hæreticus a Leone Papa in propria perſona cum omni ſolemnitate execratus, & excommunicatus fuit. Et ſequenti anno a Carolo Cæſare poſt coronationem banno Imperiali innodatus, in

diæta Wormatienſi, & communi conſenſu Principum, & aliorum membrorum Romani Imperii una cum Cæſare, etiam doctrina Lutheri prohibita fuit, & incaſſata. Male autem obſervata fuit hæc inhibitio, præſertim a civitatibus Imperialibus, ubi Lutherana factio ſemper progreſſum habuit, contra multifariam admonitionem Cæſaris. Luther etiam contempſit excommunicationem Papæ, & bannum Cæſaris; ita ex poſt ſui adhærentes fecere.

Anno Chriſti MDXXIV.

Auguſtæ in profeſto Tiburtii & Valeriani 13. die Aprilis, nocte in Cathedrali Eccleſia cum ſanguine deletæ fuerunt Crucifixi, Montis Oliveti, B. Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Epitaphiis mortuorum, in cæmeterio, atque ambitu, imagines, per calceatorem & ejus ſervum, qui domum habet prope Eccleſiam S. Crucis. Is tribus diebus latuit, deinde ut reatum cognovit, inhabitatio urbis ei ad ſpatium unius anni fuit inhibita. In brevi autem iterum fuit admiſſus. Calceator iſte vocabatur Georgius Neſſin.

Auguſtæ in die S. Sixti, in colle Perlach ante Capitolium hora 8. ante meridiem congregati fuerunt illorum propria præſumptione quaſi 1300. viri, rogantes Senatum, ut Fratrem Minorem Prædicantem Lutheranum

ranum in prædicatura ſtare, permanereque permitterent. Quibus Senatus reſpondit, quod pium reſpectum erga eos habere velint, & Doctorem Urbanum Regium loco illius conſtituere, quousque alius idoneus prædicator ordinaretur. Tale reſponſum ſatis tranquille populus communitatis accepit: putabat itaque Senatus jam illam ſeditionem penitus extinxiſſe, cæperuntque in conſilio de aliis negotiis tractare. Nihilominus infra iſtum tractatum miſerunt ad D. Urbanum Regium Senatores Conradum Herwart & Udalricum Rechlinger. Senatores vero in conclavi ſedentes, cum aliquantiſper formidine circumdati fuiſſent, Magiſter civium Hieronymus Imhoff eos conſolatus eſt his verbis: Domini mei, & conſultores, nolite metuere, quia optimam, bonam, & obedientem communitatem habemus, quæ nihil contra Senatum molitur. Vix verba illa conſolatoria compleverat, iterum clamor ſeditioſus ab extra a populo exortus eſt. Cumque Magiſter Civium ad eos egreſſus cauſſam clamoris interrogaſſet, confuſe clamaverunt: Nos volumus habere Fr. Minorem omni modo in prædicatorem; petieruntque Chriſtophorum Herwart Senatorem, qui eis in Senatu intentionem illorum proponeret. Cumque aliter ſedari non poſſent, F. Minor illis in prædicatorem admiſſus fuit, cum autem Senatus illis ſatisfeciſſet, putabat eos jam

quietos

quietos esse. Parvo intervallo iterum ab extra Capitolii, & in foro seditio, & clamor exortus fuit, erantque Senatores in tali formidine, quod non auderent fenestras aperire, ut per rimas respicerent, quid ageretur. Tertia igitur vice Senatum adierunt, rogantes, pariterque volentes, ne in posterum ullus puniretur, qui hujusmodi concioni interfuisset, quia bono animo id feciſſent. Quibus Doctor Conradus Peutinger respondit: quod bona intentione ac animo feciſſent, ita sicut feciſſent, ita a Senatu acciperetur: quare cum pace ad propria redirent. Hæc autem responsio est data eis hora 12. Nam Senatus pæne usque ad primam horam in consilio sedit.

In Vigilia S. Laurentii clam antea in nocte mandavit omnibus stipendiariis, & officialibus Senatus, ut circa horam sextam diei omnes adessent armati suis galeis atque loricis, tanquam vellent ad bellum procedere, & ante Capitolium expectarent, usque ad majorem deliberationem Senatus. Qui officiales jussa fideliter executi sunt. Deinde stuba civium, & stuba Scabianatorum per eos locatæ fuere. Et in illa die officiales, & stipendiarii bis juramentum præstiterunt Senatui, quod velint ei assistere atque protegere. Georgius Vetter & Hieronymus Imhoff de mane domum Senatoriam catephracti, & totaliter armati, ac si bellum inire vellent, adierunt. Et post prandium hora

hora ſecunda ſimiliter omnes conſules fecerunt ſenes & juniores.

Fuerunt tunc omnes bombardæ & machinæ, & alia armatura totaliter collocata in domo, vulgariter Katzen-Stadel, timebat autem Senatus, ne populus iterum in ſeditionem concitaretur, & domum illam præoccuparent, & inde damnum magnum illis, & communi civitati eveniret. Quare pro diviſione bombardarum laborem ſubierunt, ſimul & timorem, ne interim ſub diviſione iterum ſeditio oriretur. Miſerunt autem ad omnia Monaſteria, & hoſpitale, ut omnes equi illorum adducerentur pro vehendis machinis, & neſciebatur quo locorum. Matthæus Langenmantel ad Kazenſtadel fuit deputatus a Senatu, ut nullum intrare permitteret, neque bombardas abducere, usque eo ſecundarie nuntius ſpecialis ex Senatu mitteretur. Quo facto bombardæ adductæ fuere ad novam ſtructuram, vulgariter Paſtey. His omnibus peractis Senatus hora pæne ſexta cum pace ad lares proprios abſceſſit. Canonici vero in Tumo, interim ſe fuga ex urbe ſubtraxerunt, quamvis ante a Senatu aviſati fuiſſent, ne ex futuris contingentibus ullum timorem incurrerent.

In octava B. Mariæ Virginis 15. die Septembris, Senatus Auguſtenſis in medio diametri juxta Capitolium & Eccleſiam S. Petri duos textores, principales ſeditionis, capite

capite plecti fecerunt, Joannem Kager, & Joannem Speiser, ambos sexagenarios. Excessus illorum proclamatus fuit, quod fuerunt blasphemi, & quod in die Hilariæ egerint contra Senatum & Rempublicam. In vinculis ante ipsos Missa pro eorum communione celebrata fuit, ut clam providerentur, ut de illorum punitione nemini constaret, ne exinde aliqua seditio oriretur. Joannes Speiser Sacramentum noluit accipere, nisi ei sub utraque specie detur, quod Senatus recusavit; quare sine provisione punitus fuit: alter vero cum devotione Evchariſtiam sumpsit, super ipsos campana Sturmglogg etiam non fuit pulsata.

Augustæ bastia, seu fortalitium juxta portam Werterbrucker Thor constructa est. Et habitationes in cæmeterio ante Ecclesiæ B. Mariæ Virginis portam pro mechanicis atque pro rebus venalibus ibidem reservandis, & exponendis, sine scitu, & voluntate Canonicorum, quod ægre tulere.

Anno Christi MDXXV.

Augustæ Senatus ordinavit, ne pauperes mendicantes ostiatim postulantes, domos accederent more antiquo: sed constituerunt tres cives super hujusmodi negotium, quibus deputavere quatuor servos, qui omni Dominica die per Ecclesias Parochiales incederent, postulantes eleemosynam

nam

nam ad generalem burſam pauperum. Fundum etiam fecere in Eccleſia S. Petri ad reponendam pecuniam pro pauperibus placito tempore, & omni ſabbato indigentibus diſtribuere, cuilibet dantes ſecundum deſcriptionem in una ſchedula juxta neceſſitatem pro tempore, etiam ſecundum favorem, quatuor etenim ſervi interdum ſiniſtre agebant. Monaſterium S. Udalrici dabat quotidie ex devotione, & non ex jure, omnibus advenientibus fruſtum panis in eleemoſynam & omni feria ſecunda magnus concurſus pauperum erat. Miſit autem Senatus ad nos rogando, ut etiam aliquid ad burſam pauperum daremus. At nos ſpopondimus ad placitum noſtrum ex parte, vel ex toto per nos iterum revocando, 32. panes, vulgariter Hauß-Laib, quocunqne tempore.

Anno Chriſti MDXXVI.

Audivi ab Abbate de Weingartten, qui etiam unus eſt ex Senatu procerum Ligæ, Petrum Aichelin, qui Provos Ligæ eſt, ipſum usque in finem anni illius 1200. Presbyteros, & Monachos, Lutheranos atque ruſticos decolaſſe, & ſtrangulaſſe; Et in omnibus finibus Ligæ Suevicæ 10000. decollatos atque ſuſpenſos fore, prout in diæta Auguſtenſi coram proceribus Ligæ lectum fuit. Ac deinde ipſe Petrus Aichelin

lin ab eisdem dominis novam potestatem atque schedulam recepit, in qua transgressorum nomina continebantur.

In die S. Afræ miserunt juniores Palatini ex Laugingen suum equitatum ad Elwangen, qui ibidem ceperunt Plebanum, atque Doctorem prædicatorem ibidem, eosque in Dilingen Episcopo captivos præsentarunt propter Lutheranam factionem, duobus etiam Presbyteris digitos amputaverunt eadem caussa, atque propter perjurium. Postquam autem Plebanus & prædicator fuerunt degradati, Plebanus pertinaciter perseveravit in sua malitia, Doctor vero prædicator devote se habuit revocans omnes errores suos, contestans se scriptis Erasmi Roterodami esse seductum. Et si Plebanus non ita proterve se habuisset, ipse Doctor dimissus fuisset. Deinde 7. die Novembris venit Petrus Aichelin, & eos decollavit. Plebanus noluit Sacramentum suscipere, itaque induratus decollatus fuit, ac in campo sepultus. Doctor vero devote se habuit, sumendo sacramentum, ac alias se christiane habendo, in cæmeterio sepultus fuit.

Ludovicus Palatinus Elector eodem tempore 17. Lutheranos Presbyteros & Monachos fecit strangulari, qui contra S. Trinitatem prædicaverant,

Feria

Feria secunda post Oculi, Prior Carmelitarum Augustæ, Doctor Theologiæ, postquam ordinem deposuit, cum puercula juvencula, filia fricatoris, in Ecclesia sua nuptias celebravit. Factus est ex post prædicator Augustæ. Deinde omnes fratres sui ordinem deposuerunt: aliqui illorum etiam uxores acceperunt.

Feria 6. post Festum corporis Christi, Urbanus Regius quondam prædicator Cathedralis Ecclesiæ Augustæ, Laureatus poeta, & Doctor, filiusque sacerdotis, etiam nuptias cum una juvencula in Ecclesia S. Annæ celebravit. Lateraliter cum eo incedebant Udalricus Rechlinger magister civium, & Doctor Frosch quondam Carmelita: illum sequebantur Lucas Welser, & Apostata Ordinis Minorum prædicator quondam. Deinde Christophorus Herwart, & Plebanus S. Udalrici &c. habuit etiam tibicines civitatis præcedentes illum: habuit enim multos honestos cives atque Doctores in suis nuptiis. Postquam Ecclesiam S. Annæ intraverunt, decantatum fuit *Te Deum Laudamus* cum organis. Hymno finito, Doctor Frosch brevem sermonem habuit stans in altari, in quo statum matrimonialem summe laudavit præ omnibus aliis statibus, deinde jussit eos propius ad altare accedere. Quo facto dixit ad Urbanum Regium: Reverende Domine, ac christiane frater, petitis Annam præsentem

ſponſam in conjugem? date ſignum. Deinde dixit ad ſponſam: petis reverendum dominum, ac chriſtianum fratrem Urbanum in ſponſum, ac legitimum virum? Da ſignum. Quæ reſpondit: Ita. Deinde ſubarrhavit ſponſam. Ex poſt ambo ſumpſerunt Sacramentum ſub utraque ſpecie, & de Eccleſia iterum abierunt in domum Wegelin, unde exierant. Poſt prandium choream habuit: cui interfuerunt filiæ Rechlingers, Herwarts, Welſers, atque Doctoris Peüttingers. Ille Urbanus prædicator fuit eo tempore apud Minores, & pro tempore etiam ad S. Annam Auguſtæ.

Auguſtæ nati fuere duo pueri, vulgariter Wexel-Kinder, ad quos, antequam naſcerentur Urbanus Regius vocatus fuit, ut ſub diuo in ſimplici aqua baptizarentur, & ecce monſtra nutu Dei in lucem prodiere.

M. Michael quondam coadjutor in Straubingen Lutheranus a duce Wilhelmo in Monaco captus, cum degradari inſtitutum fuiſſet, vix fletibus ac precibus liberatus, perjurus factus, Auguſtam divertens, in Eccleſia Minorum prædicator effectus, contra V. Diviniſſimum Sacramentum prædicavit, atque annihilavit. Iſte perjurus Apoſtata ſacerdos, in die S. Lucæ nuptias cum Virgine juvencula filia Oeſterreichers papyrarii Auguſtenſis, in Eccleſia Minorum

nuptias

nuptias celebravit. Is multos homines ſua falſa doctrina atque nugis ſeduxit, præter ceteros omnes.

Canonicus Regularis S. Crucis Auguſtæ, nuptias cum filia calceatoris celebravit die Joannis Baptiſtæ. Deinde 7. die Novembris M. Wolffgangus Sacerdos in eadem Eccleſia etiam nuptias celebravit.

Plebanus S. Crucis Auguſtæ, cum una ancilla, quam imprægnaverat, etiam nuptias celebravit. Qui cum a Præpoſito de Parochia amotns fuiſſet, populus ejusdem parochiæ oſtiatim 50. florenos congregans, eidem Apoſtatæ dedit, ut eis ſecundum novum ritum a ſe in parochia introductum prædicaret.

Major pars monialium in Monaſteriis Steren & Harbrug etiam cum viris publice nuptias celebravere. Monialis quoque S. Nicolai extra muros urbis, nomine Afra Seldin, cum filio Sacerdotis matrimonium contraxit Auguſtæ, & in Eccleſia Minorum inthronizata fuit ſolemni pompa. Urſula quoque Viſtetin & N. Remin, etiam ex eodem Monaſterio apoſtatavere, Beginæque permanſere.

Illo anno nos, & etiam alia Monaſteria, more conſueto in die Corporis Chriſti & in octava, extra proprias Eccleſias nullam proceſſionem habuimus, eoquod tam V. Sacramentum, quam miniſtri ejus contemptui habebantur: ſeditio omni momento in

januis erat: quæ si exorta fuisset, sine maxima effusione sanguinis nusquam sedata fuisset.

Senatus Augustensis in hoc maximam providentiam habuit, nullis expensis parcens. Nam fere per integrum annum habuerunt ad minus 400. lancearios mercede conductos, qui die noctuque vigilabant, ne aliquid oriretur in urbe, custodias observantes. In nocte omnes portas urbis omni hora, junctis etiam ex civibus aliquibus, accesserunt, seras tangentes, ne aliquorum malignitate urbs Vindelicorum in manus seditiosorum deveniret, aut aliud quid mali sentiret. Habuit nihilominus Senatus magnum numerum equitum stipendiariorum, qui in nocte per plateas urbis equitabant, scrutantes, ne insidiæ, aut conventicula a seditiosis præpararentur, quia multi Lutheranis, & seditiosis rusticis favebant. Habebat nihilominus Senatus maximum numerum equitum atque peditum apud Ligam Suevicam contra rusticos: intus erat iis pavor, ab extra timor. In his tamen omnibus nullum civium atque inhabitantium uno obolo gravavere. Quamvis illo anno maximam summam exposuerunt pecuniarum, sicuti antea nusquam compertum fuit.

Leonardus Schregel noster parochialis celebravit nuptias in nostra Ecclesia cum filia

filia mercatoris Müller, apostata moniali de Mayngen.

Argentinenses omnem divinum cultum deposuere, altariaque nudaverunt, partim destruxerunt, imágines extra Ecclesias projicientes, omnia Sacramenta conculcantes præter Eucharistiam. Quare tabulam ligneam in Ecclesia habuere, super quam consecrari fecerunt V. Sacramentum; solummodo duos celebrantes in tota urbe permisere, habueruntque. Ceteri Sacerdotes, qui eorum errori participare noluerunt, exilium subire coacti sunt. Argentinenses vero cum animadverterent, clerum pro majori parte cum sua substantia abiisse, malignose consilium inierunt, eos revocantes, cum salvo conductu scriptis, in corpore, & rebus. Qui scriptis illorum fidem adhibentes, tres naves cum rebus domesticis onerantes, urbem Argentinam ingressi ut propria beneficia possiderent. Qui postquam urbem intravere, omnibus rebus jam adductis spoliati, in exilium a fidefragis civibus missi sunt. Postea Argentinenses, sicuti a Gloriosa Virgine Maria & Sanctis Dei apostataverant, ita deinceps a Salvatore nostro Jesu Christo non credentes ipsum esse in Sacramento altaris.

Norlingense oppidum Imperiale Lutheranicis factis, ac deletione officii divini cultus, Argentinensibus civibus est æquale.

In oppido Norlingen fuit ſenex devotus Sacerdos, continuus in celebrando, cui præ ſenectute oculi caligaverant, & perſpicue videre non poterat. Una die cum celebrare vellet more conſueto, quidam Lutheranus civis chartam Luſoriam circulariter tanquam hoſtiam formarat, miniſtroque altaris uni ſcholari dedit (poſt pecunia corrupto) ut more conſueto ſuper patenam ſacerdotis deponeret. Sacerdos autem credens azymum panem, hoſtiam conſecravit, elevavitque. Sed cum eandem hoſtiam tempore debito in Miſſa frangere vellet, non valuit, deprehenditque chartam eſſe &c. Miſſa peracta interrogavit miniſtrum ſuum altaris, quomodo hæc res eveniſſet, aut a quo juſſus hoc nefas perpetraſſet. Scholaris diu tacuit, demum confeſſus eſt, cujus juſſu hoc fecerit, nomen exprimens, a quo chartam acceperit, ſimul & donativum. Vir ille poſtea ex alia cauſſa captus fuit, atque decollatus. Et cum ejus exceſſus more conſueto proclamaretur, pro quo plectendus eſſet, de illo exceſſu penitus nulla mentio habita fuit timore Vulgi.

In Dinckelſpül oppido imperiali ſimilis religio chriſtiana eſt in omnibus, ſicuti in Nordlingen, quia ſolummodo 3. parva milliaria ab invicem diſtant.

Norimbergenſis Senatus Monachos Benedictini Ordinis de Monaſterio expulit, quondam in urbe illorum in honore S. Ægidii

gydii a Ducibus ſueviæ fundato, bona cœnobii fiſco urbis addentes. Dederunt unicuique Monacho annuatim vita comite 50. florenos. Qui autem juvenes fuerunt, dederunt cuilibet 200. florenos una vice tantum, ut cum his aureis opus addiſceret, quo ſe nutrire poſſet. Expulerunt etiam majorem partem Mendicantium, Carmelitarum atque Carthuſianorum: de ordine Prædicatorum omnes, quibus etiam una vice partem aliquam pecuniæ dederunt, uſurpatis ad fiſcum eorum rebus. Minores Fratres, qui id facere renuerunt, multa adverſa paſſi ſunt. Monaſteria monialium aperta ſunt, eisque nubendi facultas a Senatu data fuit, quarum major pars nupſit.

Ulma oppidum Lutheranis practicis in duplum Auguſtenſes exceſſit. In comparatioque illorum veluti Angeli nominandi ſunt.

Gamundienſes per medium annum maximam ſeditionem paſſi ſunt a ſuis ſubditis, quibus etiam claves portarum fuerunt alienatæ, id procurante coadjutore divinorum ſocio, de Gundelfingen oriundo, qui Lutheranam doctrinam ibidem feminavit. Sed demum cum Proceres Ligæ Petro Aichelin commiſiſſent, ut illum ſacerdotem uxoratum exaltaret in arbore una, ipſe aviſatus clam receſſit. Poſt fugam ipſius urbs quietavit, aſſiſtentia Ligæ, induſtriaque Se-

natus in antiquam doctrinam atque ritum Ecclesiasticum iterum se transformavit.

Aliqui viri & mulieres in Provincia Abbazell & S. Galli, numero quasi 400. fecerunt se iterum baptizari. Quo facto mox ille, qui eos baptizavit, atque 4. mulieres, ratione, ac sensu privati fuerunt, nudi in campum processere. Abbas S. Galli aliquos ex his baptizatis cepit, & Senatui ejusdem oppidi præsentavit.

In provincia Abbazell 200. viri & mulieres Lutherani, omnes res suas in montes portavere, etiam nudi incedentes, ad invicemque luxuriantes frater cum sorore atque consanguinea, & e converso. Ecce fructus Evangelii istorum, sed non Christi.

Prope S. Gallum in Helvetia, fuerunt duo fratres Germani, Lutherani vero maximi, quorum unus ad alterum dixit: Frater mi, spiritus mihi dicit, ut occidam te. Cui alter respondit: ex quo voluntas Dei est, perfice illud, quia ego ipsi resistere nolo: moxque genua in terram flexit. Frater ejus gladium exemit, & in instanti fratrem decollavit. Post decollationem fratris Magistrum civium adiit, eique dixit: Domine ex jussu patris mei fratrem meum decollavi. Voluntas quoque Dei est, ut & vos me decolletis. Quod factum Magister civium expavit, ipsumque in carcerem recludi

recludi fecit, convocans assessores suos. Quo facto, data fuit, & super ipsum sententia, capiteque punitus fuit.

Communitas Alsatiæ in oppido Ensisheim, omnem Lutheranam doctrinam proprio motu a se abjecit, videns fallsitatem hujus doctrinæ. Insuper in una arbore suspendi fecerunt 4. sacerdotes, sæculares aliquos decollari, aliquibus oculos erui, aut linguas abscindere fecerunt. Et fidem veram antiquam christianam iterum cum gaudio amplexi sunt.

Tali modo egit etiam D. Christophorus Fuchs in oppido Zell cum Lutheranis sacerdotibus sine degradatione. Æque modo & alii Cæsariani consiliarii in aliis oppidis in Alsatia, & juxta lacum fecere.

Marchio Badensis, qui ante annum Monachos e suis Monasteriis in principatu suo expulerat, hoc anno circa festum S. Udalrici iterum revocavit timore Cæsareo, atque persuasione Ludovici Comitis Palatini: Lutheranus enim erat.

In Marchionatu Casimiri Brandenburgensis in seditione rusticorum pæne omnia monasteria spoliata fuerunt. Quare Casimirus hos monachos ut lancearios vestivit, & pedites ex eis contra rusticos bellando fecit. Post finem belli etiam bona monasteriorum sibi usurpavit, Monachis in Laicali habitu annonam præbuit, aliqui e-

tiam in clericali habitu incedebant, quibus pro annali ſuſtentatione aliquam pecuniam dedit. Demum eodem timore & perſuaſione prout Badenſis Marchio, incæpit & ipſe Abbates & Monachos in ſua Monaſteria locari atque reſtitui. Omnia vero clinodia omnium monaſteriorum, quæ tempore belli ad Anſpach erant translata, ut ibidem eis tanquam in ſecuriori loco cuſtodirentur, ne a ruſticis diriperentur, illa omnia usque in præſens ipſe Caſimirus ſibi reſervavit, & reſtituere noluit.

Poſteris vix erit credibile, quantas vexationes, moleſtias, irriſiones, opprobria, improperia die noctuque a Lutheranis paſſi fuimus: quando in publicum proceſſimus ſimul vel diviſim, ſeu unus ſolus: inſuper ipſi juvenes puſilli, ut riſum invitarent, ac ſenioribus complacerent, *Hurre, Hurre* ſuper religioſos clamabant. Inſuper ſcandaloſas cantilenas ab eis dictatas, piis auribus offenſivas, diu noctuque decantabant. Et ne in nocte a moleſtatione, ac infeſtatione abſtinerent, nobis dormientibus ſeu in Matutinis incumbentibus divinis, lapides per feneſtras, ubique in noſtras habitationes projecerunt.

Habuimus autem proviſorem noſtræ Parochialis Eccleſiæ Joannem Schmid de Zuſmerhauſen, qui totus Lutheranus erat: omni die quo prædicabat per 2. annos ſemper famam noſtram lacerabat, populumque contra

contra nos, & in seditionem concitabat. Demum ex mandato Cæsaris, Ligæ Suevicæ, Palatinorum, ac Ducum Bavariæ, atque Episcopi licentiatus est. Populus autem Parochiæ, viri quasi 200. numero convenerunt, atque 4. magistros Zechæ elegerunt loco omnium illorum, qui Abbatem accederent, rogarentque, quod Joannes Schmid Plebanus iterum de novo constitueretur. Quod cum Abbas id renueret, postulaverunt magnam campanam, atque domum prædicaturæ, vulgariter Grest, asserentes, ad eos pertinere. Quibus contradictum fuit per D. Abbatem & alios conventuales, & ex veritate, & fundamento locuti, & protestati sunt, asserentes se de his in judicio responsuros coram Cæsarea Majestate, aut Liga Suevica. Si autem aliquid haberent & ipsi, quod campana, & domus prædicationis ad eos pertinerent, palam ostenderent. Intendebant enim suis expensis illum Plebanum conducere in prædicatorem, si domum prædicationis obtinerent. Accesseruntque Senatum, assistentiam postulantes. Senatus vero honestissime egerunt, in nullo nos gravare volentes, talique modo res tunc temporis quievit. Construxit autem domum prædicationis propriis expensis a fundamento Abbas D. Joannes Hochensteiner ultimo anno sui regiminis. Et quod domus illa sit nostri juris, habemus in litteris a Magistris Zechæ,

quod

quod ad nos ſpectat, & quocunque die nobis placuerit, deponere debent horologium, quod in eadem domo ſtat, demonſtrans ſolummodo horas ſignitas.

Similiter & magna campana ad nos ſpectat. Is proviſor noſter Joannes Schmid ex poſt duxit monialem ex Dilingen Auguſtæ in uxorem.

Hainricus Comes Palatinus Præpoſitus in Elwangen in eadem urbe cepit 32. Lutheranos, præcepitque lictori, ut in uno fune eos colligaret, principaliores in capite conſtituendo, in medio urbis decollaret. Cum colligati eſſent tali ſpacio, quod nullus alium tangere poſſet: mox primi funem ſolvit ac decollavit: deinde ſecundi atque tertii. Quo viſo Canonici, oppidani, & mulieres, Miſericordiam imploravere, ceterisque vita conceſſa eſt, datis fidei juſſoribus, & literis, quod nunquam exin de hac doctrina verbum loqui vellent.

In die Paraſceve, in villa Plinthen non procul a Höchſtetten mulieres ex devotione poſuere ad ſepulchrum Domini hydrias ſagimine cum lychno incenſo. Venerunt autem 13. juvenes ruſtici ſagimen ex ollis & hydriis auferentes, ſtercus proprium loco ſagiminis immiſerant, & iterum ad ſepulchrum locaverant. Quos omnes juniores Palatini ceperunt, & in Danubio ſubmergi præceperunt. Sed propter juventutem

tem illorum Hugo Comes de Montfort pro eis interceſſit, ac maximis precibus vix liberavit. Prius a lictore graviter cæſi, ac demum a propriis parentibus acriter flagellati, dimiſſi ſunt.

Sigismundus Rex Poloniæ 40. viros Lutheranos decollavit, qui in regnum ejus advenerant, ut ibidem doctrinam Lutheranam ſeminarent.

Wittenbergæ vir unus dixit ad alterum virum ſecum convivantem, ut in nomine B. Mariæ Virginis ſecum biberet. At ille iratus negavit dicens: potius vellem tecum bibere in nomine 1000. Dæmonum, quam in nomine iſtius Virginis. Ad quod ille ait: ſi non vis mecum bibere in nomine B. Mariæ Virginis, bibe in nomine 1000. Dæmonum. Quo hauſto, mox caput in Angulos habitationis cæpit allidere, atque furere. Deinde extra urbem egreſſus, in parvo flumine ſe ſubmerſit.

Auguſtæ in die Corporis Chriſti a Canonicis cathedralis Eccleſiæ cum Sacramento Evchariſtiæ habita fuit proceſſio more conſueto. In qua proceſſione etiam Proceres Ligæ Suevicæ interfuernnt. Inter alias autem fœminas una accenſo cereo ſubſecuta eſt. Ad quam in colle Perlach unus textor acceſſit, & candelam in manu devotæ fœminæ extinxit. At mulier extinctam candelam in terram ſubmiſit, & virum

rum illum invaſit, ac ſuis pedibus ſubſtravit, atque in terram caput ejus ita alliſit, quod ipſum totum in ſanguine ſuo conſperſum, & laceratum, cum confuſione atque ignominia ſurgere & abire permiſit.

Ad feſtum S. Eraſmi omnes Canonici B. Mariæ convenire ſolent: advenit etiam D. Sigismundus Comes de Hohenloch Decanus Argentinenſis majoris Eccleſiæ, eoquod etiam Canonicus Auguſtenſis capituli fuit. Quem Decanus conſenſu & juſſu capituli prohibuit ab ingreſſu Capituli atque conclavi illorum, ea de cauſſa, quod Lutheranus fuit: nullusque illum allocutus fuit, niſi Conradus Adelman.

Cum peſtifera doctrina Lutherana in Helvetia per Oecolampadium, & Udalricum Zwinglium Apoſtatam atque illorum adhærentes inficeretur, proceres, magnates, atque regentes 12. civitatum, partium atque provinciarum ejusdem gentis oratores ſuos ad Lucernam miſerunt, ut de republica chriſtiana conſultarent, ut eliminatis erroribus in vera fide juxta antiquum laudabilem ritum pacifice perſeverare poſſent. Conſilio autem præmature habito, concluſo atque inito, decreverunt doctorum virorum diſputationem audire in conſpectu falſorum prædicatorum, ut doctrinis doctorum virorum, plebs communis eorum ſubditi, eo levius iterum ad tramitem veritatis reducerentur.

Non

Non multo post media pars urbis Basileæ in minori civitate, in qua Lutherana factio viguit, in cinerem redacta est, & multi homines quoque. Et in domo Lutheranæ fœminæ initium habuit, quæ enixa puerum peperit, & nolebat, ut christiano ritu baptizaretur. Quare ictu fulminis puer cum matre extincti, ignis vicinas domos invasit, ac demum turrim ubi pulveres bombardarum, invasit, & incendium ita auxit. Exin Basileam pestis invasit, ubi a Senatu Fratribus Minoribus omnibus expulsis, ex Monasterio domum infirmorum fecerunt, qui peste infecti erant.

Norimbergensis Senatus itidem omnibus divinis officiis in cantando, horis Canonicis, & Missis atque dicendo finem imposuere. Monachos ex urbe expulerunt præter duodecim Fratres minores, quos in suo monasterio stare permiserunt, ita tamen, quod nec Missas celebrent, neque horas cantando aut legendo persolvant. Moniales etiam de Monasteriis exire coegerunt, quæ antea sub arctissima clausura fuerunt. Quarum aliquæ ex eis matrimonio viris se junxerunt. Quinque ex eis Norimbergæ lupanar intravere, ubi a Senatu permissæ sunt stare veneri serviendo, quas antea dedignati sunt ipsi cives, ut Deo caste atque devote servirent. Ex monasterio S. Claræ sex viri ex primoribus urbis, sex naturales filias vi, & pugnis extraxe-

runt

runt contra voluntatem filiarum cum maximo ejulatu & clamore: taliter etiam fecerunt in aliis monasteriis. His monialibus, quæ apud S. Claram permanserunt, Senatus non admisit usque in præsens ultra anni spatium, ut eis Sacramenta administrentur, seu earum confessiones audiantur. In Monasterio quoque Minorum non permittunt, ut campana pulsetur, eoquod omnem cultum ibidem prohibuerint. Solummodo pravas & hæreticas doctrinas ac prædicatores fovent, amant, atque admittunt. Evanuere in cogitationibus suis.

Ulmenses ordinaverunt ante tres annos quemdam hortum extra urbem non consecratum in cœmeterium mortuorum pro his, qui in Lutherana hæresi sine Sacramentis Ecclesiasticis decedunt. Sepulchra autem illorum Lutheranorum, quæ ante unum vel tres annos facta fuere, ita sunt, ac si fossæ (sine gramine) ante unum diem factæ fuissent, nullum signum viriditatis præseferentes, cum alias in illo horto gramina in magna abundantia crescant, prout duo honesti cives Ulmenses retulere. Deinde vero per successum temporis in dies in hæresim Lutheranam magis ac magis incidere. Fratres etiam Minores præter 12. Fratres ab urbe expulerunt: & his qui permansere, inhibuerunt, ne ulterius in urbe ad mendicatum irent: permiserant tamen illis,

illis, ut legendo, cantando, prædicando divina officia modo antiquo peragerent.

Sigismundus Rex Poloniæ in urbe *Danzig* in vinculis conjecit duos Magistros civium, & 236. cives, qui cum illis etiam in novo Senatu fuere. Ex his 45. morte puniti propter Lutheranam hæresim seditionemque in Clerum atque Religiosos.

Feria 4. ante festum corporis Christi coacti sunt sub pœna capitis, & amissione omnium rerum temporalium magnas candelas inquirere, & in unum congregare, atque in die corporis Christi more antiquo in processione portare. Altaria denudata iterum cum suis pannis tecta, & ornata fuere. Et more antiquo officia Missarum legendo atque cantando in *Danzig* peraguntur. Nullus etiam Lutheranus prædicator permissus fuit in urbe. Rex Poloniæ novem prædicatores ex Lutherana hæresi captivavit, & ferreis catenis ligatos in munitissimam arcem Therm inclusit.

Omnes etiam presbyteros & monachos uxoratos cepit, & immisericorditer castigavit.

Rex iterum Benedictini Ordinis monachos, atque mendicantes ad monasteria sua locavit. Qui Deo serviunt, ut antea fecerant. Sub pœna etiam capitis, & amissione omnium rerum temporalium Clericis atque Religiosis cives ablata restituere jussi

sunt, censusque persolvi tam perceptos per tres annos, quam præsentes sine diminutione: inhibuit etiam, ne secundum translationem Lutheri psallatur, vel cantetur. Laici qui domos Sacerdotum ad possidendum invaserunt, iterum eis absque damno sacerdotum, calices etiam omnes, & Monstrantias, atque alia ornamenta Ecclesiæ, quæ abstulerant, restituere coacti sunt. Et insuper sine omni misericordia puniti sunt.

Rex Poloniæ equites ordinavit, qui ab extra civitatis in illa provincia Lutheranos prædicatores capiant, vinctosque 16. in una die in urbem adduxerunt: sine misericordia incarcerati, postea puniti sunt cum aliis, quos postea ceperunt. Similiter Episcopus ejusdem loci etiam 30. equites extra urbem misit ad investigandum Sacerdotes uxoratos. Et in una die 12. sunt adducti, & incarcerati absque misericordia, qui etiam digna pœna puniti sunt. Ultra 50. etiam in exilium relegati, una cum multis civibus auctoritate regia & Episcopali.

Conradus de Riedthaim nobilis convocavit suos rusticos ultra 1000. ad combustam arcem *Angelberg*, & ad invicem dixerunt: ex quo nostrum tam multi sunt, Dominus noster non audet nos cum digito fricare vel attrectare, erat autem in saltu magnus equitatus, ipsis rusticis ignorantibus, una cum Petro Aichelin, qui secum habe-

habebat lictorem de Burgou. Hi omnes ex nemore egredientes, *Angelberg* in modum coronæ circumdederunt, quod nullus rusticus evadere potuit. Exin Petrus Aichelin cuneum rusticorum accessit, & multos ex eis, qui in seditione atque incineratione arcis capitanei fuere, & in instanti 6. decollari fecit. Aliquibus etiam linguas præscidit, aliquibus oculos eruit, & multis aliis pœnis afflixit. Aliqui precum intuitu dimissi sunt.

In die S. Eustachii Augustæ Sutor nomine *Lang* domum habens in platea, vulgariter Ferchermarckt, a diabolo in alba linea veste, rubrum piretum habente in capite hora quarta versus auroram suscitatus est his verbis vicinis audientibus, & videntibus: Veni: nam nunc tempus adest. Sutor hæc audiens, sudore frigido perfusus januas aperiri prohibuit. Deinde hora quinta secundarie a diabolo vocatus, viliori-bus vestimentis, quas domi habuerat, indutus, diabolum in specie hominis adiit, ex platea domus suæ simul gradientes, ex post nusquam comparuit. Quæsitus fuit a duobus fratribus suis, & aliis amicis atque sutoribus, sed non fuit inventus.

Augustæ hæresiarchæ M. Michaeli in Martini die apparuit, ipsum apprehendere & abducere nitens. Qua etiam re postea ad 2. menses lethaliter decubuit. Id postea bis terque actitatum est, ubi longio-

rem infirmitatem contraxit. Sed illa infirmitate in anima & mente non ſanatus, ſeu ad pœnitentiam revocatus, ſed induratus, pejor effectus, cum pauliſper vires accepiſſet, cum antea ſua prædicatione omnia opera bona, Sanctos Dei, atque immaculatam Genetricem Dei Virginem Mariam, & omnia Sacramenta abjeciſſet, prohibuiſſetque, ad majorem ſuam obſtinationem, & duritiam V. Sacramentum Evchariſtiæ annihilavit, atque abjecit, dicens: non eſſe verum corpus Chriſti poſt conſecrationem, ſed purum panem; ſtultum fore credendum, quod Deus permittat includi in domunculam ſtultorum; homines usque in præſens eſſe deceptos cum Miſſis, & Sacramento Evchariſtiæ. Potius quis interficere debeat tres aut quatuor homines, quam unam Miſſam audire, vel credere Sacramentum Evchariſtiæ in altari eſſe, ac ſumere. Idem quoque hæretici prædicatores apud S. Crucem, & S. Georgium prædicavere. Qua ex re non multi utriusque ſexus eis fidem præbuere, deinceps V. Sacramento Evchariſtiæ nullam reverentiam exhibuerunt, & in majorem irreverentiam, quando perſpexere, quod in platea ad infirmum portaretur, ſubſannantes poſteriora in deriſum verterunt.

Chriſtophorus Herwardt, Auguſtæ hoſpitalis S. Jacobi adminiſtrator, vulgariter Pfleger, fundatas Miſſas & anniverſaria in

eadem

eadem Eccleſia abrogavit, & aliquot hæreticos articulos capitulo Cathedrali tranſmiſit, ad quos etiam ipſi reſponſum eſt, & ii articuli doctiſſime refutati ſunt.

Turicenſes ex Monaſterio Einſidelen Monachos omnes expulerunt Ordinis S. Benedicti, & redditus ejusdem cœnobii ſibi adſcripſerunt, atque Abbati nobili viro de Gerolſegk, 600. florenos loco precariæ vitæ Comite conſtituere.

Anno Chriſti MDXXVII.

Ruſtici Babenbergenſes 300. in menſe Januario conſpirationem iterum rebellandi fecerunt, qui omnes occiſi ſunt ab equitatu Ligæ 400. etenim equites conduxerunt per totum annum, ut circumirent terminos ejus.

Ruſticus unus lanceam portans non procul a nigra ſilva, qui obviavit cuidam equiti, qui ſecum unum viatorem habuit. Is ruſticus 9. Epiſtolas portavit ad concitandum iterum ruſticos more antiquo ad ſeditionem & fraternitatem inſtinctu 12. Presbyterorum. Eques autem, ruſticum ſalutans quæſivit, quo tenderet? qui ei proterve reſpondit, & mox equum ejus lancea perfodit. Eques hoc viſo, conviatoris ſui auxilium invocavit, qui parvam lanceam veluti ſagittam jaciens ruſticum peremit. Ruſtico autem perempto epiſtolas

præfatas apud eum repererunt, quas ad Regentes in *Enſisheim* reportavere. Quibus perlectis omni mora poſthabita, equitatum mittentes 12. Presbyteros adhuc in ſimul ſedentes invenerunt, quos omnes in inſtanti occiderunt. Ex quorum etiam relatione didicerunt alios 120. ruſticos eſſe congregatos Capitaneos antiquæ fraternitatis, qui hujusmodi negotium tractabant, quomodo ruſticos iterum ad ſeditionem concitarent. Qui etiam in ſimul comprehenſi occiſi ſunt.

In Menſe Februario Caſimirus Marchio Brandeburgenſis Cancellarium ſuum in carcerem incluſit, vinculisque mancipavit, eoquod ipſe illum in Lutheranam ſectam induxerat. Et exin ſectam illam e principatu ſuo eliminans, antiquum ritum Eccleſiæ cum Miſſis, & officiis divinis, confeſſione, atque aliis Sacramentis adminiſtrandis iterum inſtituit, & obſervari gravi ſub pœna mandavit. Monachos Monaſteria adire, & habitum iterum aſſumi juſſit. Monachi etenim ſui principatus habitum depoſuerant, & in Laicali chlamyde ipſi a Principe alebantur, ipſe autem Princeps omnes redditus ad fiſcum proprium recipiebat, quos tamen iterum reſtituit, ita duntaxat, ut Abbates, ac Monaſteriorum rectores omni anno ei redderent rationem de perceptis, & illa, quæ reſidua eſſent, ſervarentur in uno deputato loco pro republica Principis terræ illius atque ſubditorum.

Abbas

Abbas S. Galli in Helvetia, omni anno ex redditibus ſublevat 20000. florenos. Hujus ruſtici 62. articulos, quibus ſe gravatos aſſerebant, depoſuerunt. Cum autem Cœnobium ipſum eſſet ſub protectione quatuor partium Suicenſium, qui omni anno loco illorum *Amannum* unum decernunt, qui loco illorum omnia agit pro commodo monaſterii. Hæ partes Abbati & monaſterio aſſiſtentiam fecerunt, & Abbatem a tumultu ruſticorum liberaverunt. Civitas autem S. Galli, quæ totaliter Lutherana erat effecta, qui omnia altaria, & Eccleſias denudaverant, imagines Sanctorum eliminando, divinum cultum deponendo, monaſterium ipſum tangere non audebant. Monaſterium S. Galli ultra 200. florenos non exponit quatuor partibus pro hujusmodi protectione. Omnes Canonici ex Conſtantia propter Lutheranam infectionem circa feſtum Sancti Benedicti migraverunt, ad Uberlingen ſe ſuaque ibi locantes; ubi perbenigne ſuſcepti ſunt.

Paulus Epiſcopus Curienſis e ſua ſede a Curienſibus & aliis ſuis ruſticis pulſus eſt, eoquod ipſi Lutherani, & Zwingliani eſſent effecti. Similiter & Canonicis ſuis fecerunt. Quorum omnium redditus ipſi ruſtici recipiunt, ac inter ſe dividunt. Epiſcopus autem in oppido Oettingen Ducatus Bavariæ ſe recepit, ubi præpoſituram habuit,

buit, de qua deinceps victum & amictum habuit.

Wormatienſes omnes Lutheranos prædicatores cogente eos illuſtriſſimo Principe Ludovico Palatino ex urbe expulerunt. Idem fecerunt Wimpfingenſes.

Auguſtæ aliqui cives ita avidi fuerunt ad comeſtionem carnis in quadrageſima, cum eas in macellis venales non invenirent, fecerunt more conſueto per boves carbones mortuos quaſi ad vendendum adducere, & ſic ſub illa metaphora retinentes boves clam emebant, eos mactantes comedebant.

Auguſtæ in feſto Exaltationis S. Crucis, quidam Eccleſiam S. Crucis intravit equo inſidens, ubique ibidem circumiens in deriſum ad vilipendium Eccleſiæ atque feſtivitatis.

Eodem die in eadem Eccleſia vir & mulier adultæ ætatis publice coierunt. Et cum talis enormis actus magiſtro civium eſſet conqueſtus, reſpondit, quod Eccleſiam claudere deberent.

Calceator quidam Lutheranus in Oberhauſen morbum contraxit, quo & defunctus eſt. Is in propoſito ſuo perſiſtens, noluit confiteri, ſeu Sacramenta Eccleſiæ ſuſcipere. Quem ſui poſt mortem ad Cæmeterium Villæ ſepelire voluerunt. Quos Plebanus primo, deinde Vicarius prohibuit, eoquod indignus eſſet ſepultura Chriſtiano-

ſtianorum, qui cum eis in adminiſtratione Sacramentorum Eccleſiæ noluiſſet participationem habere. Et hic demum in horto domus ſuæ ſepultus fuit.

Auguſtæ a Senatu fuit conſtitutum in profeſto aſcenſionis Domini, ut extranei macellarii in urbe etiam mactarent, & carnes venderent, eoquod maxima penuria carnium habebatur. Et meo judicio juſte hæc pœna a Deo miſſa fuit, ut quo delicto tranſgreſſi fuerunt, comedentes carnem per quadrageſimam, ac aliis prohibitis diebus, aliis licitis diebus tali eſu carentes punirentur. Propriam domum juxta Eccleſiam B. Mariæ Virginis extranei macellarii habuere a Senatu conſtructam. Sed ubi multi ſperabantur adventuri, ſpe fruſtrati, ſolus unus advenit, qui & cito ab inſtituto ceſſavit.

Auguſtæ in tribus hortis domorum convenerunt viri ac mulieres ultra 1100. divites, mediocres, & pauperes, qui omnes rebaptizati ſunt. Mulieres cum rebaptizabantur, induebant ſe bracis: alias totaliter nudæ erant. In domibus etenim, ubi baptiſterium erat, ibidem ſemper multitudo braciarum dependebat. Hi autem omnes tenebant infra ſcriptos articulos, quos Doctor Balthaſar in Moravia in urbe Nicolaſpurg, quæ ſub dominio eſt dominorum de Liechtenſtain, publice prædicavit.

1. Evangelium non esse prædicandum, etiam in Ecclesiis nisi in aures, & in domibus privatis. 2. Christum conceptum esse in peccato originali. 3. B. V. Mariam non esse matrem Dei, sed Christi tantum. 4. Christum non esse Deum, sed tantum Prophetam, cui eloquia Dei sunt credita. 5. Christum non satisfeciisse pro peccatis totius mundi. 6. Nullam potestatem & magistratum debere esse circa Christianos. 7. Extremus dies judicii post duos annos venturus est. 8. Quod Angeli cum Christo incarnati sunt, & carnem cum Christo susceperunt. 9. Qui Deo confidere & credere non possunt, baptizari non debent. 10. Quicunque aliquid proprium habet, ex Cœna Domini nullam participationem habere debet. 11. Dæmones & mali homines finaliter salvabuntur. 12. Sacra Scriptura fidelibus non est concessa, sed peccatoribus. 13. Omnes homines, qui docti sunt, prædicantes Evangelium, perversores sacrarum scripturarum sunt. 14. In Cœna Domini nihil aliud est, nisi panis & vinum, non Corpus Domini.

Cum autem præfata hæresis Augustæ in tantum excrevisset, Senatus manum apposuit, & in vincula conjecit Baptizatorem, nomine Jacobum, apostatam monachum, qui suis discipulis paupertatem dogmatizavit, sed in carcere positus a Senatu in sua domo visitatus, in victu & amictu, clinodiis,

atque

atque aliis munuſculis prædives inventus eſt. Captus etiam fuit Eytelhans Langenmantel civis Auguſtenſis, qui fuit Archiſynagogus, qui podagra laborans, ſuper equum poſitus, a quatuor ſervis Senatus in ſua domo captus, & ad vincula deductus incarceratus eſt. Lucas Haffner ſcabinus fabrorum lignorum, vulgariter Zimmerleuth, N. Widholz ſcabinus vulgariter Huckher, Joannes Kiſſer tabernarius; Gallus Fiſcher textor, & Udalricus Scheyffer. Multi viri, & mulieres ab urbe fugientes, ne caperentur, ſalvati ſunt.

Wilhelmus Dux Bavariæ in Monaco prohibuit ſub graviſſima pœna, ne quis ſubditorum ſuorum Auguſtæ vel alibi Lutheranorum prædicatorum ſermonem adiret, publico edicto, omnibusque ſuis præfectis demandavit, ut cuſtodiam pervigilem per itinera haberent, ne aliquis tale edictum violaret. Tranſgreſſores vero omnes juſſit, ut ſibi ad Monacum tranſmitterentur. Non autem pauci ei tranſmiſſi ſunt, quos omnes in turrim vulgariter Falckenthuren incarceravit, de qua nullus impunitus exivit, aliquos igne concremavit, aliquos capite detruncavit, aliquos in certis membris mutilavit, atque aliis quam plurimis pœnis caſtigavit, certos etiam pœna pecuniaria mulctavit. Sed cum verba detractorum percepiſſet, quod curiam ſuam ex pecunia Lutheranorum caſtigatione aleret, & hos puniret

puniret non zelo, ſed ex avaritia, legem tulit, ut deinceps omnes prævaricatores tales pœna mortis punirentur. Qua de cauſſa Landſpergæ 9. viri ſecundum dictamen juſtitiæ, igne & pœna capitis puniti ſunt. In Monaco autem 29. viri capite plexi ac 3. viri cum conjugibus ſuis, qui reſipiſcere in vera fide noluerunt, igne exuſti ſunt, ubi mulieres pejores ac obſtinatiores inventæ ſunt, quam viri.

Errores horum rebaptizatorum tales fuerunt.

1. Sacramentum altaris non credunt, autumant Chriſtum cœlos aſcendiſſe, & non niſi in fine mundi ad ſæculum reverſurum. 2. Baptiſmum parvulorum derident, & vituperant, & dicunt, quod parvuli omnes non adulti tam Chriſtianorum quam turcarum, ſine Baptiſmo omnes indifferenter ſalvabuntur. 3. Falſum aſſerunt, Sanctos in cœlo eſſe, ſed in aliquo loco ſedentes in requie, pro invicem orantes; & quod extremo judicio peracto, tunc demum primitus cœlum conſcendunt. Multos quoque alios errores tenuere, prout ſupra: quos cauſſa brevitatis recitando hic omitto.

Traditiones Ligæ, & confœderationes hæ fuere, videlicet: ut nullus accederet ad dedicationes, ut nullus intraret aliquam Eccleſiam, ut nullus intraret aliquam tabernam, ut nullus domum adiret, ubi convivia

vivia haberentur. Et quod nullus vel nulla de fraternitate illorum alibi sermonem prædicantum audiret nisi a Geometro Augustensi, vulgo Visierer: quem Salvatorem nominabant, qui eis prædicabat, & rebaptismum administrabat. Qui una cum uxore obdurato animo exustus est. Positi autem in igne, primum Jesus clamaverunt: deinde usque in finem ut sues grunnierunt.

Babenbergæ captæ fuere plures personæ cum suo Salvatore, qui rebaptismum administravit, & eis prædicavit, Joanne Weissenfelder. Die 16. Januarii duo viri qui ad veram fidem iterum reversi sunt, fuere decollati in foro. Una antiqua mulier in aqua submersa. Duæ vero ancillæ, quæ resipiscere noluerunt, igne exustæ sunt. Die 30. ejusdem mensis iterum unus fuit decollatus, & 4. viri igne exusti in hæresi obstinati. Joannes Weissenselder etiam igne concrematus est. Huic cum forcipe ignita primitus lingua extracta est, deinde igni traditus. Filia quoque Joannis Hutter adhuc juvencula, qui Augustæ incineratus est, quoque cum aliis 5. personis morte puniti sunt. Multi autem ibidem fuga elapsi sunt. Horum secta fuit: quod nullus aliquem Superiorem haberet, vel pati deberet, nisi solius Dei. Sacramentum altaris non crediderunt, neque Sanctos in cœlo esse, neque purgatorium fore, vel aliqua

bona

bona opera prodeſſe. In illa fraternitate ac ſocietate concluſerunt, quod ſi contingeret, ut Turcarum exercitus terram dominorum ſuorum intraret, quod dominis ſuis nullum auxilium impendere vellent, & dominos ſuos a Turcis relictos, & quoscunque alios, qui non eſſent de ſecta illorum, occidere vellent: etiam (ſi poſſent) Cæſarem Carolum ac fratrem ejus Ferdinandum. Concluſerunt quoque, quod ſuis ſcriptis ad id perpetrandum fratres ſuos in Mülhauſen in Thuringia ſollicitare vellent.

Eyttelhans Langenmantel civis Auguſtenſis Lutheranus ex Senatus decreto in profeſto S.Galli a carcere extra urbem eductus, in ævum nunquam ingreſſurus.

Lucas Haffner ſcabinus ab omni honore & officio a Senatu depoſitus, & excluſus, omnibus diebus vitæ ſuæ portas urbis non audet egredi.

Scabinus Widholz præfato die de carcere extra urbem in perpetuum exilium miſſus eſt.

Præfato die capti fuere 12. viri & 5. mulieres, & pellifex unus Argentinenſis, qui hujus hæreſis Archiſynagogus extitit. Ex his Senatus 15. die Septembris 10. viros extra urbem in perpetuum exilium educi fecit: inter quos fuerunt Joannes Kiſſing tabernarius, Gallus Fiſcher textor, Udalricus Scheiffer, & una mulier, quæ fuit uxor

præfati

præfati Jacobi incarcerati apoſtatæ de Ordine Carmelitarum. Multi etiam viri ac mulieres ab urbe fugientes ne caperentur, ſalvati ſunt. Eodem die Senatus ad domum ſenatoriam convocavit omnes viros ac mulieres, qui in hortis fuere, & ſecundarie baptizati fuerunt, juſſit eos juramentum præſtare, quod nec ipſa corpora ſua, vel bona mobilia illorum alienarent, ſeu aliunde transferrent, quousque iterum vocentur, & pro tranſgreſſione ſatisfacta, iterum a juramento abſolvantur.

In die S. Remigii 5. viri & 5. mulieres extra urbem in exilium miſſi ſunt. Captus eſt etiam Joannes Huttenus hæreſiarcha, qui antea ſeditionem ruſticorum in franconia concitaverat, qui Herbipolim obſederunt. Deinde ſucceſſu temporis clam Babenbérgam adiens, ubi ſuam hæreticam doctrinam, articulos ſecundi Baptiſmi dogmatizavit. Qui & ibidem vix fugæ præſidium invenit : ſed filia ejus ibidem capta, propter illam hæreſim, quam & ipſa docebat, in aqua, per latam ſententiam ſuffocata eſt. Deinde Huttenus Salzburgam adiit, & ibidem quoscumque homines ad ſuam falſam doctrinam aſcivit, potu e vaſculo a ſe porrecto potato in tantum inſanire fecit, ut doctrinam ſuam acceptarent, & ſanctam prædicarent, taliterque præſtigiis dæmonum deluſi ſunt, quod fatebantur ſe mira videre, atque cognoſcere, prout multi

homines

homines viri ac mulieres pœnis affecti confessi sunt. Ad ultimum Augustam ingressus, quemadmodum Salzburgæ fecerat, ita & Augustæ fecit. Quare incarceratus, cum Senatus Augustensis Hutteni factionem apud Herbipolim exploraſſet, Huttenus hæc audiens, de seipso desperans, callide excogitavit, quomodo effugere posset, dum sibi lumen ad cænandum concederetur. Quare pelliceas & stramina in unum colligens incendit, ut inde in assere ubi catena compedum infixa erat, foramen igne latius excavaret, ut catena inde extracta liber efficeretur; & cum magister carceris adveniret, ut lumen ab eo reciperet, ipse a vinculis liber, ipsum magistrum carceris loco sui in custodiam projectum includeret. Sed fefellit Huttenum sua machinatio: dum laqueum parat, ipsemet in illum cecidit. Nam dum cum illo igne se a vinculis absolvere credidit, vapor illius ignis in illum intravit in tantum, quod pæne ei mortem intulit, ac in terram cadens, veluti semi-mortuus jacuit. Magister autem carceris, cum naribus sentiret odorem ignis, ad carcerem cucurrit, & Huttenum quasi mortuum invenit: ex qua infirmitate postea 8. die defunctus est in sua pertinacia. Senatus autem pro tribunali sedens ipsum Huttenum defunctum veluti vivum tanquam hæreticum ad exustionem ignis adjudicavit. Cum autem in carro sedens veluti vivus ad comburen-

burendum per lictorem educeretur, ac campana vulgo Sturmglogg ſuper ipſum pulſaretur, factus eſt concurſus populi. Multi autem ipſum videntes, injuſtam ejus mortem tanquam juſti & ſancti hominis deplorabant. Poſt incinerationem ipſius cineres in Vindam (Wertach) projecti fuere. Homines autem ſectæ illius, locum illum, in quo combuſtus fuerat, adierunt, & inde cineres ac terram colligentes, pro reliquiis veluti unius magni ſancti viri reſervantes, in urbem Auguſtam cum ſingultibus 7. die Decembris reportaverunt.

In die S. Catharinæ cum Coadjutor D. Ambroſius Kuen Cathedralis Eccleſiæ ibidem de veneratione Sanctorum prædicaſſet, hæretici prædicantes M. Michael Kallern, Joannes Schneid S. Crucis de Schongau, & S. Georgii Joannes Seyfrid de Gundelfingen perverſi prædicatores ipſum obſervabant, finitoque ſermone illum adierunt, quod mulieres videntes accurrerunt, & illos hinc inde per capillos trahentes, ac cum ſellis percutientes, vix manus fœminarum in tumultu effugerunt.

Anno Chriſti MDXXVIII.

Dominica die, 12. Januarii anno Domini 1528. ſub officio Miſſæ capti fuerunt 11. ruſtici, & una mulier, qui omnes ex Bavaria fuere, qui ſe rebaptizare fecerunt. Hi

altera die de urbe educti sunt, & prohibiti, ne ultra Augustam intrarent.

Die 13. Januarii Augustæ capti fuerunt 30. viri.

Die 18. Januarii 10. viri de Augusta ex vinculis propter alterationem baptismi in perpetuum exilium missi sunt. Et duo viri virgis cæsi quoque sunt educti.

Dominica die, scilicet 19. Januarii in domo tabernarii N. Widenman 20. rustici ex Bavaria capti sunt, qui ibidem a servo, & ancilla rebaptizati fuerunt. Qui altera die extra Augustam educti, prohibiti sunt, ne deinceps ulterius intrarent.

Wilhelmus Dux Bavariæ sub pœna gravissima prohibuit, ne quis subditorum suorum Augustæ Lutheranorum prædicatorum sermonem audiret, publicoque edicto omnibus suis præfectis demandavit, ut pervigilem custodiam itinerum observarent, ne quis tale edictum suum violaret. Transgressores vero omnes jussit sibi ad Monachium præsentari. Non autem pauci ei transmissi sunt, quos omnes in Falchenthuren includi fecit: de qua nullus impunitus exivit. Aliquos igne combussit, aliquos decollavit, certos etiam aliquibus membris mutilavit, nonnullos etiam aliis pœnis castigavit, certos etiam pœna pecuniaria mulctavit.

In die S. Sebastiani Franciscus Preinling textor, cujus pater quondam in arbore

prope

prope S. Ratham ſedit: & gener ſutoris nomine Krablers atque Anna Schleifferin Huckerin Virgis per urbem cæſi ſunt. In die S. Vincentii duo viri ictu virgarum de urbe educti ſunt.

In die S. Emerentianæ 3. viri & 5. mulieres de urbe Auguſta educti ſunt. Die 24. Januarii ſervus Viti Rueff, qui noluit Sacramentum præſtare, quod poſtquam de urbe Auguſta educeretur, ut ulterius nusquam in vita ingrederetur, per maxillas ferro exuſtus eſt.

In die S. Scholaſticæ omnes, qui ſecundarie baptizati erant, a Senatu iterum vocati ſunt, & pœna pecuniaria puniti. Sed parum hæc mulctatio profecit, quia multi illorum ad priſtinum errorem revertentes, pejores effecti ſunt.

In menſe Februario Erfordiæ Lutherani in magno numero convenerunt, & totum clerum ac monaſteria ſpoliaverunt, auferentes omnia clinodia, monſtrantias, calices, thuribula, & alia quæque ſimul, & depoſuere domos atque jurisdictiones Archiepiſcopi Moguntinenſis, & inibi ultra decem mille centena damnum intulere florenorum.

Deinde Erfurdiæ inſtinctu cujusdam ſutoris capitanei rebaptizatorum, ultra 1500. rebaptizati iterum clam convenerunt, ut eos qui non erant de ſecta illorum ſpoliarent, & occiderent. Quæ res Senatui in-

notuit, & jussu illius in majori copia convenerunt, quam rebaptizati erant, conflictumque ad invicem habuerunt, multisque ex rebaptizatis occisis, 367. captivatis, in vincula conjecerunt, qui variis pœnis multi ex eis puniti. Sutor, ac alii 7. Capitanei quadrifarie vivi divisi sunt. Sutori quoque in omnibus locis, ubi conciliabulum celebraverat, cor ejus ostensum fuit.

Eodem mense Pataviæ 32. personæ, qui rebaptizati erant, capti sunt, & ex illis 8. in uno igne consumpti sunt. Certique ex illis, qui errorem revocaverunt, decollati sunt, ac aliis pœnis extincti secundum discretionem sexus.

Decima die Martii Doctor Balthasar hæreticus rebaptizatorum dogmatizator, una cum uxore sua una die Viennæ morte extincti sunt. Ipse in curru positus per omnes plateas urbis deductus est, & in qualibet platea forcipe ignita laceratus fuit, ac deinde incineratus. Uxor vero ejus in aqua suffocata est. Hac itaque morte miser iste Doctor Balthasar de Fridperg, post multa nefanda scelera punitus est. Diu in arce Greitzenstain tria milliaria a Vienna captivus fuit.

In pago Aibling 6. milliaria a Monaco distans, mulier rebaptizata per datam ac latam sententiam in aqua submersa fuit, & ultra quartale unius horæ aquis immersa permansit. Demum ac si esset mortua per

lictо-

lictorem extracta, & carro impoſita ad locum ſepulturæ deducta fuit, ibique in terra expoſita in capite ad lapidem colliſa, læſa, ac vulnerata, ſanguinem e vulnere emiſit, dixitque: Heu o B. V. Maria, quam duriter me depoſuiſti in terram! ac deinde ſurrexit. Cumque lictor vellet eam iterum neci tradere ſecundum latam ſententiam, a populo prohibitus fuit. Et ipſa læta cum populo pagum iterum intravit, qui ad ſpectaculum ſuæ necis advolaverat. Ipſa autem mulier autumabat, ſeſe ab ineunte ætate quotidie ſemper glorioſiſſimam V. Mariam veneratam eſſe, niſi in præſentiarum per 20. hebdomadas a tempore illo, quo rebaptizata fuit. Affirmavit autem, in eductione ad pœnam mortis ſibi B. V. Mariam apparuiſſe, eique dixiſſe: conſtanter age filia, & noli timere, quia ego te liberabo de morte hac turpiſſima: & quamdiu ſub undis ſteti ſubmerſa, ipſa V. Maria mecum ſtetit, & ſupra aquam caput meum levavit, pallioque ſuo me involvit, ita ut viſus oculorum hominum, me non præoccupaverit. Affirmavit autem, doctrinam, ſectam & fraternitatem fore falſam, ac Dæmoniacam.

A feſto Purificationis B. M. V. usque ad diem Palmarum in Monaco ex rebaptizatis. 6. viri ſunt combuſti, duæ mulieres in aquis ſubmerſæ, & alii 22. viri alio mortis genere puniti.

Conſtantia urbs perjura effecta ſeſe ab imperio & Liga ſuevica alienavit. 8. die Februarii, & cum Bernenſibus ac Turegenſibus ad ſpatium 10. annorum fœdus percuſſerunt, & in urbe Conſtantia Legatorum ambarum urbium litteræ confœderationis publice lectæ ſunt, & exinde juramentum ad invicem præſtiterunt, & id ſolum ea de cauſſa, ut Conſtantienſes ſpoliationem Eccleſiarum ac cleri ejusdem urbis factam quantum ad reſtitutionem reſiſtere valerent. Quare ipſi Lutherani illis duabus civitatis Carlioſtadiis adjuncti ſunt. Ceteræ autem 8. partes Helveticæ Ligæ, quæ in vera fide Catholica permanſerunt, cum eis fœdus, ligam vel confœderationem noluerunt, Conſtantienſes tanquam hæreticos reſpuentes.

Poſt receſſum Cleri a Conſtantia ad Uberlingen, ipſa urbs ad tantam inopiam redacta fuit, ac ſi ex peſte maxima ibi homines defeciſſent. Nam ultra 5000. domus vacuæ inibi absque habitatoribus effectæ ſunt, eoquod mechanici victum acquirere minime valerent clero abſente, Turegenſes conceſſerunt Conſtantienſibus 5. advocatias, quas prius Maximiliano Imperatori abſtulerant, Liga illa durante.

Helvetiorum 8. partes Ligæ petierunt a Turegenſibus reſtitutionem Monaſterii Eremitarum B. M. V. Ord. S. Benedicti, & Comitem de Geroldſegk apoſtatam Abbatem

tem apud Turegum commorantem, e monasterio excluserunt, ac monachum unum ex S. Galli cænobio in Abbatem ibidem constituerunt.

Aurach urbs Helvetica sub pœna capitis mandatum edidit, ut omnes libri Lutheranorum in unum locum deportarentur. Quo facto cumulus factus est, quasi domus parva, inde Senatus jussit, ut per detractorem pellium bestiarum mortuarum ex peste incenderentur, eoquod hujusmodi libri non essent digni, ut per lictorem incenderentur. Quod & factum est.

In die Parasceves, cum more consueto in Ecclesia S. Udalrici ad sepulchrum Domini V. Sacramentum Evchariſtiæ locatum fuisset ad caput Imaginis Christi, quidam vir accessit dicens: Pfuy dich Christe, esne intus in domuncula stultorum? & ei posteriora porrigens, cum derisione abscessit.

Apud Carmelitas Augustæ V. Sacramentum Evchariſtiæ in altari inclusum post diem Paschæ furto sublatum est. Quod cum Senatui denuntiatum esset, constituerunt illi, qui furem traderet, 100. florenos, sed hoc pro ludibrio habitum fuit, & nihil amplius actum est. Fama fuit, furem hujus sceleris apostatam ejusdem monasterii extitisse, qui & ibidem sine alicujus castigatione permansit.

Adolphus Ducher lapicida domum habuit propè Licum Augustæ, qui in majori

hebdomada verſus Viennam receſſit, & curam domus ſuæ commendavit, & reliquit uxori ſuæ prægnanti, nomine Küklingerin. Mulier hæc per 3. dies ante feſtum Paſchæ ordinavit domum ſuam ad ſecundum baptiſmum præſtandum, pro Congregatione virorum ac mulierum hujus fraternitatis, & ad prædicandum, ac alia quæque peragendum ſecundum hæreſim, & ſectam illorum, utque eo melius fieri poſſent omnia ſine ſtrepitu, non ſicut Rahab meretrix ſignum in domo ſua poſuit ad liberandum animas ſuorum, ſed ad captivandum, ſignum in januis affixit, ut hi qui hujus rei conſcii eſſent, conventiculum hujus ſodalitatis libere accedere, & invenire poſſent. Intra domum quoque valvas & feneſtras pannis lineis & tapetiis obduxit, ne quis ab extra eos conſpicere poſſet. Convenerunt itaque in die Paſchæ ſummo mane ante auroram poſt Reſurrectionem Dominicam fere 200. homines viri, ac mulieres, ſenes atque juvenes, ſervi & ancillæ, cives atque extranei, ſecum afferentes cibum & potum, unusquisque ſecundum facultatem ſuam: pecuniam quoque inter fratres dividendam, ne egens aliquis inter eos inveniretur. Joannes Sebold ſutor Auguſtenſis, qui eis prædicabat, & articulos hæreſeos legebat, circa horam quintam ad eos dixit: Ecce, qui adhuc infirmi ſunt in fide, abire poſſunt, quoniam futurum eſt, quod perſecutio in

nos

nos mittatur. Certi etiam, qui honeſtiores inter illos fuere, per nuntios aviſati ſunt, ut ſe ab illa fraternitate disjungerent, antequam caperentur. Quare ſolummodo 95. perſonæ in illa fraternitate permanſerunt. Circa horam ſeptimam autem domus illa circumdata eſt a præfecto urbis cum ſuis ſervis a Senatu ei deputatis, qui perſonas has omnes ceperunt, & ſingillatim in carcerem duxere. Semper ſervus unus præfecti, duxit in ſimul duas mulieres, ac deinde alter ſervus unus ſubſequens duxit virum unum, quousque omnes incarcerati ſunt.

Feria 2. Paſchæ hora 9. Senatus extra urbem in perpetuum exilium educi fecit 29. perſonas, inter quas fuere 8. mulieres, & 2. juvenes. Poſt horam 12. eductæ fuere 6. mulieres, inter quas una mulier fuit, quæ 7. filias habuit. Non eſt credibile, quam gaudentes hi omnes viri atque mulieres in exilium ierunt. Disjungebantur viri ab uxoribus, liberis & amicis, & e converſo uxores a maritis ac pueris, & hujusmodi omnia pro nihilo ducebant, exultantes abibant, omnibus ſpectaculum præbuere. Aderant etiam aliqui cives, qui his, qui pauperiores inter illos erant, eleemoſynam miniſtrabant, compaſſionem cum eis habendo: multi quoque eos deridebant, afferentes eos dignos fore ſupplicio mortis ſecundum quod leges dictant.

Sabbato, 5. mulieres honeſtæ, quæ indurato animo in hæreſi illa perſeveraverant, extra urbem in exilium miſſæ ſunt.

Georgius Regel civis Auguſtenſis fuga ſeipſum ſalvavit, & uxor ejus Anna Manliche ruſticano habitu circumamicta, amphoram portans, ac ſi lac in in urbe vendidiſſet, de Auguſta tali modo quoque effugit.

Feria 3. poſt *Quaſi modo* mulieri uni lingua abſciſſa eſt, & 5. mulieres ferro candenti per maxillas exuſtæ ſunt; uni quoque viro lingua abſciſſa eſt, & duo viri atque juvenis unus, qui literas hinc inde rebaptizatis detulerat, virgis per urbem cæſi ſunt. Uxor autem Adolphi Ducher, eo quod prægnans fuit, in corpore non fuit punita, ſed in exilium miſſa. Quæ demum anno 1531. in Februario ab Aichelin in aqua ſuffocata eſt, eoquod præfatam hæreſim derelinquere noluit.

Eadem die Senatus ſedit in concilio pæne usque ad tertiam horam. Et iterum de novo capi fecit 24. perſonas, & mulierem illam, cui lingua abſciſſa fuit, quæ de urbe exire noluit.

Feria 4. uxor Lucæ Haffners ſcabini de urbe educta eſt, & unus juvenis.

Sabbato Joannes Sebold ſutor, qui in die Paſchæ his, qui de fraternitate fuerunt, prædicaverat, indurato animo in ſua hæreſi decollatus eſt.

Feria

Feria 2. post *Misericordia* in nocte 11. cives capti sunt.

In Profesto Apostolorum Philippi & Jacobi, uxor Jacobi Carmelitæ apostatæ, quæ per se ire seu currere noluit, carro imposita fuit, quem 4. viri, vulgo Rodler, trahentes, lictor subsequens per urbem usque ad portam virgis percussit. Duo quoque viri exinde calceator unus, & tabernarius etiam virgis cæsi sunt. Jacobus Carmelita est captus, & in carcere Augustensium permansit usque ad annum 1530. Et Sabbato Luciæ e carcere eductus, hæresim revocavit publice in colle Perlach, sicque dimissus est libere.

Uxor Laurentii Kraffters vidua, quæ cum 7. liberis una cum genero suo Luca Müller rebaptizari se fecerant, & observatrix omnium rebaptizatorum erat, fuga semetipsam salvavit, & per aliquantum temporis spatium Norimbergæ fuit, tali conditione a Senatu ibidem cum suis adstricta, ut limitem domus suæ non transcenderet, nec aliquod verbum de sua secta proferret. Demum etiam ibidem a Senatu, publico edicto ab urbe prohibita est. Ad ultimum Augustam clam reversa, & a Senatu Augustensi occulte punita, in propria domo remansit quasi inclusa per longum tempus.

Eittelhans Langenmantel civis Augustensis, qui in die S. Georgii in Leuttershoven

ven una cum servo juvene 19. annorum, & ancilla, quam servus ille in uxorem duxerat, & in brevi cum illa nuptias habere volebat, captus est, & duo juvenes rustici de Göggingen cum illo, per nobilem virum Diepoldum Stain capitaneum suevicæ Ligæ, qui cum 20. equitibus omnes ad Weissenhorn deducti sunt, & 12. die Maji decollati sunt, & ancilla in aqua suffocata. omnes tamen cum revocatione devote in antiqua fide catholica vitam concluserunt. Ipse vero Eittelhans diu reluctavit, & ab erroribus suis resipiscere noluit, quoniam totaliter infectus fuit cum omnibus erroribus, & falsis doctrinis ac damnatis Lutheri, Oecolampadii, Carolstadii, Zwinglini, & Novatiani. Amici ejus pro liberatione illius 5000. florenos dare voluerunt, sed proceres Ligæ id renuerunt. Jussit itaque Diepoldus de Stain, ut D. Joannes Gesser Plebanus in Weissenhorn Eittelhans Langenmantel accederet, & eum de salute animæ suæ commoneret, qui secum assumens M. Andream Plebanum in Oberhausen, M. Joannem Lickinger Plebanum in Wallenhausen, M. Valentinum Vicarium Parochiæ in Hellenberg, D. Joannem Schmid Prædicatorem in Weissenhorn. Hi præfati 5. Sacerdotes, prima die 3. Laicos, & ancillam a suis erroribus ad veram fidem reduxerunt. Deinde ipsum Langenmantel accesserunt, cum quo & per continuos 4. dies egerunt, sed

cum

cum eo nihil profecerunt, qui neque aliquod verbum salutis ab eis audire voluit. Afferens se in vera fide esse solidatum ac fundatum, errores suos tuendo. Quinta autem, & ultima die, cum in crastinum decollari deberet, D. Plebanus in Weissenhorn astantibus aliis Sacerdotibus dixit: Langenmantel, res non aliter se habet, nisi quod sine retractatione crastina die vos mori oportet, juro itaque vobis cum salute animæ meæ, quod si perseveramini in erroribus vestris, crastina die efficiamini filii æternæ damnationis; ad quod Eittelhans infert inquiens: Flectite genua, & unusquisque oret dominicam orationem, ut Deus mihi inspiret ea, quæ deducant me ad veritatem & viam justitiæ. Oratione finita, cum ipsum rationibus & auctoritatibus sacræ Scripturæ ex Biblia conviciissent, Langenmantel eis dixit: Ego volo vos interrogare duas propositiones, quarum prima est: Si vultis mihi animas vestras in pignus præstare, quod in fide catholica non erraverim; & quod salver, si vestris monitis paruero, cum antiqua fide (novam meam relinquens) acquiescam placide. Secunda propositio hæc est: Si jam essetis in loco meo, an velitis fidem meam acceptare, vel vestram antiquam? Cui Plebanus in Weissenhorn respondit: Quod libenter velit ei animam suam in pignus præstare, si cum non recte instruat, & ea, quæ cœlestem patriam conferunt

ferunt, doceat, vellet loco sui æternam damnationem acceptare, atque pro eo pati. Ad secundam propositionem quoque respondit: Quod si in loco suo esset, vellet veraciter antiquam fidem iterum acceptare, & usque in finem tenere. His auditis Eittelhans omnes errores suos revocavit, pœnitentiam egit, quantum sibi tempus admisit: quod secundarie rebaptizatus est, ac ipsemet Baptismum administravit, prædicavit, ac contra V. Sacramentum Evchariſtiæ scripsit, ipsum annihilando, cum contrito corde confessus est, ac devote V. Sacramentum Evchariſtiæ sumpsit, & usque in finem in magna devotione permansit, ac cum maxima patientia mortem pro suis peccatis acceptavit, gratias agendo, quod ad campum sacrarum Scripturarum, ad caules ovium Christi, & antiquam veram, ac rectam catholicam fidem atque unionem S. M. Ecclesiæ reductus esset, ubi pascua æternæ vitæ inveniſſet. Cum autem ad decollandum educeretur, & per pedes incedere non valeret, eoquod podagra laboraret, carro impositus est. In via obviavit ei nuntius ab Augusta a mercatore *Bimel*, ac aliis civibus ad eum missus, ut in qua fide decedere atque mori vellet, ab eo investigaret. Eittelhans Langenmantel bajulo Augustensi viso, ad Plebanum de Weissenhorn, qui ei verba consolatoria prædicabat, ait: pauliſper a verbis vestris consolatoriis cessate, quo-

usque

usque hunc nuntium expediam, & conversus ad Bajulum dixit: quid hic agis, aut cujus rei gratia huc missus es? qui respondit: huc missus sum, ut vos interrogem, an in antiqua vel in nova fide mori velitis? qui respondit: dic illis, a quibus ad me missus es, quod velim mori in antiqua fide, secundum introductionem S. M. Ecclesiæ, quia ego erravi, & S. Scripturam non intellexi. Roga etiam mihi eos, ut omnes scripturas a me editas diligenter investigent, & easdem omnes igni comburant, meique memores sint, & eis nomine meo valedicito: vale & tu quoque. Deinde iterum se ad Plebanum convertit, verba ejus auscultans: cumque ad locum decollationis adductus esset, in sellam collocatus est, cum stare non posset; conversus ad lictorem ait: Oro te, ne mecum propere agas, volo enim jugulum tibi viriliter suo tempore ad feriendum præstare, permitte mihi, ut Symbolum Apostolorum ex integro perorem, & in quocunque verbo erraverim, vos domine Plebane mihi dicito. Et incæpto Symbolo integerrime sine respiratione usque in finem oravit. Secundarie autem iterum ad Lictorem conversus dixit: permitte mihi, ait, adhuc, ut ante exitum animæ meæ Symbolum perorem. Quo incæpto, ensem vibrans caput ejus amputavit, ac in terram cadens, corpus ejus in sella sedendo permansit, ac demum cum

sella

sella cecidit. Tam devote autem & patienter vitam concluſit, quod plures ad lacrymas provocavit.

In die S. Servatii, filius Scabini Widtholz ex urbe Auguſta una cum ſervo ſuo in exilium miſſus eſt, qui Bavariam accedentes in oppido Aichaim capti ſunt, ubi in vinculis uſque ad ſequentem annum permanſerunt. Demum per revocationem errorum ad enſem adjudicati ſunt, & per 6. horas antequam decollari deberent, intercedentibus precibus apud Ducem Wilhelmum vita donati ſunt, & pœna pecuniaria caſtigati atque dimiſſi.

Sabbato poſt Corporis Chriſti uni textori lingua abſciſſa fuit, alter vero ejusdem artis ferro candenti per maxillas uſtus eſt.

eodem die apud Kauffbeuren 5. viri in foro decollati ſunt, & 30. viri ac mulieres ibidem candenti ferro per maxillas exuſti ſunt, ſeu virgis extra urbem cæſi. Quos omnes Gallus Fiſcher Auguſtenſis rebaptizavit.

Landſpergæ 3. viri igne exuſti ſunt, & quartus decollatus, qui revocavit: qui ſecundarie baptizati fuerunt.

Eodem tempore Senatus Auguſtenſis indulſit fere pro majori parte his, qui in hortis fuere, atque illis, qui rebaptizati ſunt, ab exilio iterum regreſſum in Auguſtam tali ſub conditione, ut delicta deinceps non admit-

admitterent, aut conventicula celebrarent, ſub pœna privationis vitæ.

Exinde a nonnullis hæretica pravitas rebaptizatorum iterum incæpta eſt. Quare Senatus Auguſtenſis Georgium Zech tabernarium in domo doliatorum, cum certis viris ac mulieribus incarcerari fecit; aliqui etiam viri ac mulieres ſibi conſulentes fuga ſalvati ſunt.

Sabbato ante Matthæi Apoſtoli, Senatus Auguſtenſis ad concilium ire juſſit, ſed perverſores, non Prædicatores Evangelii, quibus injunctum fuit, ut unanimes in prædicationibus eſſent, & non unus pro, & alter contra affirmaret. Quod ego non credo affuturum, cum ſpiritus illorum mendax ſit, & omne regnum in ſeipſum diviſum deſoletur.

Dominica die ante Matthæi, Senatus Auguſtenſis proclamari fecit ſub mandato, ut tria Feſta B. Mariæ V. & omnium Apoſtolorum iterum ferientur more antiquo.

Deinde Feria 5. poſt Conceptionem B. Mariæ V. Senatus Auguſtenſis quoque mandavit, ut Feſtum Epiphaniæ etiam ferietur more antiquo.

Imperialis urbs Lindau, quemadmodum Conſtantienſes cum Helvetiis Ligam & confœderationem inierunt.

Imperialis urbs Uberlingen, eoquod in vera fide catholica, & Caroli Imp. immo-

bilis permanſit, inſignia ſigilli illorum Cæſar plurimum decoravit, honoravit, & exaltavit, ab antiquo habuere in Epitaphio aquilam: nunc autem habent in aquila ſcutum, in quo ſtat Leo aureus coronatus corona aurea, qui erectis pedibus nudum enſem tenet, in ſublime vibrans. Supra ſcutum ſtat Galea, more nobilium, quoque aureum, & ſupra Galeam iterum ſtat corona aurea, cum complicatis panniculis diſcoloribus. Et ſupra Galeam & coronam ſtat Leo aureus cum nudo enſe in ſublime erecto. Nulla alia civitas imperialis Galeam habet, niſi Argentina.

Ferdinandus Rex donavit quoque Senatui in Uberlingen certas magnas Bombardas, & inſtrumenta bellica, quas ipſi in navibus per Rhenum Conſtantiam pertranſeuntes cum tympanis & tubis armata manu maximo cum triumpho in ſuam urbem perduxerunt.

Ratisbonenſis Senatus, qui ibidem in ſua urbe totum Clerum in ſeditione Lutheranorum ſubjugaverunt ad ſteuram, & alia vectigalia reddenda, quemadmodum & Laici cives illorum ſoliti, & adſtricti ſunt, Epiſcopo & omni Clero priſtinam libertatem ſumma cum benevolentia iterum illo anno circa Feſtum S. Bartholomæi reſtituit mediantibus Friderico Palatino Comite, cujus Frater Joannes Comes Palatinus ibidem

Epiſco-

Episcopus extitit, & Ducibus Bavariæ Wilhelmo atque Ludovico. Episcopus autem Ratisbonensis & omnis Clerus ibidem Senatui promisit pro restauratione urbis simul, & in auxilium atque subsidium omni anno in perpetuum 200. florenos persolvendum.

Memmingenses omnia Altaria in urbe sua destruxerunt, eoquod omnino nihil tenent de V. Sacramento Evchariſtiæ. Qua ex re proceres suevicæ Ligæ moti, eos de Liga suevica veluti hæreticos excluserunt, ac magistrum civium illorum Ulmæ existentes de societate eorum rejecere.

Erdfurtenses in eadem urbe funditus destruxerunt Archiepiscopo Moguntino domum judicialem, & totum Clerum atque Ecclesias spoliaverunt, ac ultra decies centena millia florenorum damnum intulere. Quæ omnia Archiepiscopus Moguntinensis in diæta Augustensi proceribus Ligæ proposuit, desuper petens illorum auxilium, juxta confœderationem atque tenorem Ligæ, quantum ad satisfactionem, restitutionem, & recuperationem ablatorum. Proceres autem Ligæ Erdfurdensibus mandavere, ut destructa omnia Archiepiscopo iterum reædificarent, & ablata Clero, Monasteriis, Collegiis, ac Ecclesiis omnia restituerent, atque satisfacerent, vel cum eis componerent, alias armata manu eos compellere vellent.

Fridericus Comes Palatinus dixit: in Norimberga, Argentina, Ulma ac ceteris illis paribus civitatibus imperialibus, inibi semper viri providi, & sapientissimi summa industria callentes inventi sunt, omnisque rerum ac divitiarum copia. Miror, quod quælibet illarum solummodo per unum virum apostatam tot & tanti in errorem ac labem Lutheranam inducantur. Augustenses vero habent sex perversores Lutheranos Prædicatores, qui eos a vera fide in errores inducunt.

Anno Christi MDXXIX.

Helvetiorum Legati in capite jejunii, qui non sunt Lutherani, in Oeniponto Ferdinandum Regem Bohemiæ atque Hungariæ adierunt, ipsum rogantes, ut cum eis Ligam ineat, contra suos confœderatos Helvetios Lutherana labe infectos. At Rex Ferdinandus cum eis diætam in Veldkirch indixit, illucque suos Consiliarios Comitem de Sulz, Georgium Truchses Baronem, Marcum Sittich de Ems, Joannem Jacobum de Landau, & Doctorem Jacobum, atque alios nobiles viros transmisit ad fœdus cum ipsis percutiendum. Quod & opere perpetratum est.

Helvetii Lutherani Monasterium S. Galli totaliter spoliaverunt, tabulas quoque altarium destruxerunt, & ultra 60000. flor. dam-

damnum intulerunt. Fratres disperſi in aliis tribus locis atque Monaſteriis, ut alerentur. Abbas præ dolore obiit: qui etiam in infirmitate laborans ab Helvetiis obſeſſus, & obſervatus fuit.

Die 21. menſis Januarii, ruſticis territorii curienſis undique ad civitatem curienſem illicitis, dum conventus Ligarum Dauaſi ageretur, Abbas curienſis S. Lucii Ord. Præmonſtratenſium, vir quadragenarius audax, eloquens, honeſtus ſimul & doctus, Lutheranis valde infeſtus, catenis vinctus, miſerabiliter ad judicium trahitur extraordinarium, accuſatur *furti*, quod bona monaſterii abſtulerit, quæ ipſe a latronibus eripuit cuſtodienda, & non longe a civitate depoſuerunt, cum ſolemni proteſtatione. Item *proditionis*, quod Epiſcopatum vendere voluerit Domino Muſſi, ubi tantum appellatus eſt, ut attentaret amicabilem tractatum, & apud illos, quorum intereſt, conſenſum impetraret. Item *rebellionis*, quod edictum divinorum Officiorum intermittendorum tranſgreſſus fuerit. Accuſator primus ſententiam dedit, quoniam reus ſit mortis; Accuſatus, ipſum tormentis inquirendum, non permittitur reſpondere, niſi per interpretem, & hunc male Romanum. Septima noctis uſque ad undecimam diris, & inſolitis torquetur cruciatibus, in pavimento prætorii, audientibus longe vicinis, & ex proximis feneſtris videntibus faciem horen-

dam pendentis a chorda ; & identidem repetentis: quid me torquetis? nihil mali feci. Postridie ad publicam latronum custodiam deducitur, ad carcerem turris, & acrius torquetur. Frigida perfusus aqua, & humi positus aliquot horis, donec gelu membra constringerentur. Sic die tertia mane circa horam quartam usque ad septimam, multum institerunt; ut conscios proferat, sed non constat nominasse quemquam, quia innocens criminum objectorum existeret. Tandem circa horam undecimam ejusdem diei tanquam latro foras civitatem ductus, capite truncatur, vere Martyr, usque ad ultimum vitæ spiritum sibi constans, & patiens fuit. Mater ejusdem Abbatis ex morte filii, apud Veldkirch pœne consumpta est. Die 27. præfati mensis trium ligarum nuntios ad Veldkirch miserunt repetentes bona Monasterii, quæ augurantes bonum Abbatem apud diversos amicos reposuisse: sed spe frustrati, famelici ære alieno vacui recesserunt.

Deinde etiam ceperunt excellentem capitaneum Dietegonum ex Zutz, Carolo Imperatori percharum, vinctum ad curiam traxerunt, quem etiam decollari jusserunt. Certum autem fuit Tugurinos animasse judices ad hoc facinus, qui jam per vallem Rheni longe dominantur cum secta sua Lutherana.

Domi-

Dominica *Judica* Auguſtæ hæreſiarcha M. Michael Kellern Prædicator apud Minores ad cænam ſuam invitavit civem Auguſtenſem Sigismundum Welſer, & apoſtatam unum de Ordine Minorum nomine Marcum, atque carpentarium unum. Cæna autem facta, hora 8. noctis Eccleſiam Minorum ad extra concluſam præfati quatuor viri intraverunt, & altare, ubi Crucifixum lapideum valde pulchrum, valore 300. fl. loco tabulæ ſtabat, acceſſerunt, a civibus nomine *Ridler* illuc collocatum ante certa luſtra annorum. Hunc Crucifixum cum multis imaginibus artificioſe elaboratum & præ magnitudine in altum porrectum, uno animo accedentes, membratim quamlibet imaginem frangentes, diviſerunt. Ex una imagine 10. partes, aut plures fecere, ac ſi veluti latrones rota plexi fuiſſent.

Exinde feria ſecunda confuſe clamores, ſermones, ac loquelæ hominum utriusque ſexus, ætatis atque ſtatus in Eccleſia Minorum fuere, videntes Crucifixum tam enormiter confractum, quorum tamen major pars diſplicentiam contraxerat. Aliqui ob reverentiam Dei, ceteri vero affirmabant, quod illi 4. viri, ideo non bene egiſſent, eoquod ſine commiſſione Superiorum atque illorum, quorum expenſis Crucifixum & Altare conſtructum fuerat, confregerant, ac ſi in meſſem alienam manus miſiſſent, quod ad eos minime ſpectare dignoſceretur. Alii

factum laudabant, eoquod cederet ad laudem Dei, cum lege divina in veteri testamento prohibita sit omnis sculptura deorum. Contigit autem fortuito casu, quod subsequenti die Lucas Welser Senator, Pater ipsius Sigismundi Welser, qui in confractione Crucifixi auxilium præstitit, Ecclesiam Minorum intraret, qui etiam pro parte Lutherana doctrina infectus erat; videns Crucifixum confractum, summam displicentiam inde concepit, transgressoresque tam frivolos hujus exquisitæ malitiæ merito puniendos censuit. Insuper gratias agens Deo, quod filii sui a tam nefanda transgressione alieni essent, & huic sceleri nec verbo, aut facto participassent. Et ecce vix verbis prolatis, unus servorum suorum illum accessit, affirmans id filium suum propriis manibus, una cum ceteris perpetrasse, & hujus rei factum ad Senatum delatum fore. Quod Pater audiens consternatus mente simul, & confusus domum suam adiit, & vagam relationem veridicam invenit.

Eadem die Senatus in Ecclesiam Minorum misit Præfectum Augustensem, & juridicum scribam, vulgo Gerichtschreiber, ad lustrandum fracturam Crucifixi, & ad explorandum hujus rei auctores. Deinde Feria 3. M. Michael in prædicatione publice confessus est, se cum auxilio trium virorum Crucifixum lapideum, lignum prohibitum confregisse ea de caussa, ne cum tempore a

se

se ipso caderet, casu illius 10. aut 20. vel 30. homines perimerentur, & exinde Augustenses, obloquendo infamiam incurrerent a narrantibus: Ecce quam stolidi & insensati sunt Augustenses, quod sponte propria simul & industria, prohibitum lignum non deposuerunt. Cum autem nos 4. viri prohibitum lignum deponere nitebamur, sua gravedine prævaluit simul, & ponderositate, quod illud minime retinere poteramus, sicque prohibitum lignum ceteras imagines & sculpturas quoque confregit. Fracturæ lapideæ ligni prohibiti ecce jacent in ambitu Monasterii: si qui autem sunt, qui desiderant unam vel 10. libras ligni prohibiti veniant ad me cum sacco, quibus ego omnem sufficientiam administrabo. Vah: quot homines per hanc Ecclesiam transierunt, qui vel pileum deposuerunt, vel se inclinaverunt, vel genuflectentes, aliquam orationem fecerunt, & exinde hoc scelere Deum blasphemaverunt, & magis atque plus immensum hoc actu, quam peccatum mortale perpetravere. Ille homo maledictus est a Deo, qui Altare construit, seu lignum prohibitum fieri procurat, scilicet Crucifixum, aut larvas, vel imagines Sanctorum, quæ omnia lege divina prohibita sunt, & actores, factores, aut auctores omnes a Deo maledicti sunt. Deinde summe blasphemavit B. V. Mariam, asserens, illam communem fœminam fuisse, quemadmodum aliæ

mulieres. Post vituperationem Genitricis Dei, pervenit ad contumelias Sanctorum, qui jam cum Christo regnant, quorum consortio ipse hæresiarcha dignus non est, sed veluti bestia a mari descendens cum suo dracone absorbebitur per influentiam jordanis in os ejus. Venerationes etenim Sanctorum ita derisit, atque dissuasit, quod nefas est dicere etiam apud Barbaros.

Feria 5. ex post Sigismundus Welser ad Senatum vocatus est, tanquam auctor hujus sceleris, qui M. Michaelem, & alios duos viros ad destructionem Crucifixi concitavit, & quidquid mali eis inde eveniret, se pro eis satisfacturum promisit. Punitus est autem a Senatu pro 300. florenis, & insuper per 4. hebdomadas in turrim Göggingerthor collocatus est; in quam in die *Palmarum* intravit, & ibidem usque ad Dominicam *Jubilate* inclusus permansit. Sigismundus Welser custodiæ carceris mancipatus, asserebat, se non auctorem hujus rei extitisse, sed M. Michaelem, qui illum & alios ad id instigasset. Nam ab eo invitatum ad cænam, non alia intentione ipsum accessisse, quam ad convivandum, & confabulandum cum illo. Sed postquam laute bibisset, fatebatur M. Michaelem dixisse: venite mecum in Ecclesiam, secum ferens claves, cum quibus januam aperuit, & ad Altare accessit Crucifixi, ubi prius locata fuere

fuere omnia instrumenta ad destructionem Crucifixi necessaria. Et confestim M. Michael super Altare ascendit, primusque ictum cum malleo Crucifixo illisit, fracturamque fecit, & exinde eos in auxilium ascivit, ac sic ipse impræmeditatus, & a vino gravatus, adjutorium præstitit, quousque Crucifixum in tot partes confractum, solo prostratum reliquissent. Sed ex quo ipse tanta austeritate & rigore puniretur, vellet etiam operam dare, & omnem suam substantiam exponere, quousque M. Michael puniretur, quemadmodum & ipse punitus est, tanquam caussa efficiens, cum ipse id non sua sponte, sed instigatione M. Michaelis, & opere perpetrasset. Sed M. Michaeli nihil injunctum est satisfactorium, neque suis coadjutoribus, forte ne seditio oriretur in populo.

Feria 6. ante Palmarum Præfectus Augustensis cum uno tubicine, & aliquibus servis obequitans per omnes vias & plateas hujus urbis proclamari fecit infrascriptum mandatum, quod etiam 19. Martii ad omnes valvas Ecclesiarum & ad Capitolium atque ad portas urbis affigi jussit, quod & factum est.

Honestus Senatus Augustensis, & illuc Sacri Romani Imperii Præfectus seriose mandant, præcipiunt, & jubent, omnibus habitatoribus hujus urbis, atque eis subjectis,

ctis, quod imagines, epitaphia, picturas, & ceteras memorias in Ecclesiis vel cæmeteriis, aut quocumque locorum factas, erectas, atque stantes, sine scitu & jussione Superiorum, maculare, seu dehonestare, confringere, vel collisionem aut damnum inferre: sed omni modo ipsi ac eorum subditi abstinere deberent a transgressione hujusmodi mandati. Si quis autem hujus mandati per inobedientiam transgressor reperiretur, propria contumacia puniri deberet in substantia, corpore atque vita, aut alia pœna condigna. Quare quilibet provide conspicere deberet, ne aliquam pœnam transgrediendo incurrat.

In Profesto Corporis Christi sub complectorio, unus eques equitans in derisionem, & contemptum V. Sacramenti Evchariſtiæ per Ecclesiam nostram S. Udalrici, per januam versus Monasterium intrans, Altare Plebani pertransiens. & per januam Grett cum Cachino iterum exiens.

In ornamentis nostræ Ecclesiæ pro decore Altarium, & solemnitate Missarum nihil remansit intactum, pallia enim Altarium, phalangæ, & candelabra atque alia quæque minima, quæ nominari fas non est, furto subtrahebantur, ac stercoribus hominum Altaria ante celebrationem Missarum maculabantur. Vir & mulier coeuntes in Capella S. Bartholomæi reperti sunt in die, in præ-

præfata Eccleſia noſtra. Quare eadem Capella cancellata, tabulatura concluſa eſt.

In die S. Joannis Baptiſtæ hæreſiarcha M. Michael in ſua prædicatione V. Sacramento Evchariſtiæ maledixit, & omnibus credentibus in Evchariſtiam. Et in hujus rei ſignum, caſulam ſacerdotale veſtimentum ſecum in ambonem portavit, proclamando: caſulam hanc nunc in terram ſepelire volo, & cum caſula illa ſimul & Miſſam, in ſignum, quod deinceps blaſphemia Miſſarum non iterum peragetur, ſed e medio tolletur, aufferetur, annihiletur, & conculcetur. Nam quocunque locorum talis blaſphemia peragitur, & fieri permittitur, in tali loco non poteſt eſſe ſalus, aut ulla proſperitas, quouſque eliminetur. Hæc eadem præfata idiota prædicator S. Georgii exinde ratificavit, & ſua prædicatione ſuper caſulam & Miſſam lapidem ſuperpoſuit, populum ſuis deliramentis decipientes, veluti cultores Baal, prout in Daniele legitur, a devotione in hæreſim traxerunt.

Auguſtæ in Eccleſia SS. Udalrici & Afræ in irreverentiam diviniſſimi Sacramenti Evchariſtiæ in Altare Plebani incluſum lapides projecere, & juxta Altaria ſtercorizantes. Similiter & per diem ibidem in Capella S. Bartholomæi, publice viri ac mulieres actum venereum luxuriando exercentes, veluti inſenſati canes. Quare Abbas

&

& Conventus ibidem his malis obviare volentes, diviniſſimum Sacramentum Evchariſtiæ, & Oleum ſanctum ad Chorum ſuum tranſtulerunt, Capellam vero S. Bartholomæi cancellato pariete claudi fecerunt.

Deinde Magiſtri Eccleſiæ vulgariter Zechmaiſter, Joannes Rudolph, Marcus Müſſer, & Lenz Gnugeſſer textor, ex invidia & livore maximi Lutherani, propria præſumptione ſupra fundamentum alienum, in loco ſacro, in jurisdictione Monaſterii S. Udalrici in cæmeterio domum conſtruxerunt pro Lutherano prædicatore. Et in die Simonis & Judæ circa meridiem propria temeritate ad januam clauſam ipſi tres viri præfati acceſſerunt, & claves eis a Joanne Schmid Lutherano noſtro Plebano præſentatas, furtive accipientes, januam aperuerunt, ac apoſtatam Lutheranum Prædicatorem nomine Wolfgangum indutum in ambonem conſtituerunt, eique officium prædicationis commiſerunt, & clavem ad ambonem tradiderunt. Prima autem Dominica adventus Domini, hora Primarum prædicavit, & una cum cantu Lutheranorum continuavit uſque ad mediam partem Tertiarum, ubi confuſæ voces ad invicem ſonuerunt ex cantu horarum atque officio Miſſæ, & clamore virorum ac mulierum ſectæ Lutheranorum.

Scripſerunt autem Illuſtriſſimi Principes, Wilhelmus Dux Bavariæ, & Otho Henricus

cus Palatinus Rheni ad Senatum Auguſtenſem rogantes, ut Conventum S. Udalrici recommendatum haberent, ſuisque privilegiis uti permitterent, & Lutheranos prohiberent, ne eos moleſtarent: nihil inibi contra voluntatem Abbatis & Conventus innovando vel attentando. Senatus autem ad deliberandum, quid reſponderet, dilationem petiit. Prius enim Magiſtri civium ſe excuſaverant, quod Magiſtri Zechæ id attentaverint ſine ſcitu, ac juſſione illorum. Ipſi autem Magiſtri Zechæ ut facta ſua roborarent, parochianos Lutheranos ad concionem convocaverunt, conſilium habendo, quomodo mala ac injuſte facta illorum ſtabilirent, & Conventum deprimerent. Concluſerunt autem in eorum conſilio, quod coram Senatu velint deponere, domum prædicationis, cæmeterium, domumque Plebani de eorum jurisdictione eſſe, quare in his locis deſtruere innovare, atque ædificare ſecundum beneplacitum plenam facultatem habere conteſtati ſunt, & ab incæptis deſiſtere nolint. Abbas vero & Conventus prius coram Senatu proteſtati ſunt, quod in iſtis controverſiis & gravaminibus in ſuis propriis poſſeſſionibus ſtare vellent in judicio, ac reſpondere coram cæſarea Majeſtate, coram Ferdinando Rege, coram judicibus cameræ, vel coram Ducibus Bavariæ, ſeu Palatinis Rheni, atque coram Liga ſuevica, & Ordinario. Sed nihil his impetra-

petravimus, quin potius pejores in propoſito eos reddidimus. Senatus itaque altera die poſt Luciæ, præfatos parochianos convocavit, querimonias Abbatis, & Conventus ei propoſuere, ſimul & litteras Principum ad Senatum ſcriptas eis legi fecerunt. Quibus omnibus auditis, magis exaſperati, duriores effecti ſunt, aſſerentes omnia præfata ad eos ſpectare, & non ad Monaſterium. Exinde Senatus in Vigilia Vigiliæ Nativitatis Chriſti hora 9. ante meridiem miſit ad nos Senatores, Doctorem Conradum Peuttinger, Wilhelmum Rechlinger, & Scabinos textorum ac burſariorum *Seizen atque Eiſelin.* D. Peuttinger dure contra nos locutus eſt, ac ſi nos inhoneſte egiſſemus contra Senatum, conquerendo Principibus, ut exinde diſcordiam inter Principes, & Auguſtenſes ſeminare niteremur: cum Parochiani aſſererent domum prædicationis, & cæmeterium de illorum jurisdictione fore, quam etiam domum inceptam in conſtruendo conſummare vellent, multa frivole ſine ratione allegando. Inſuper increpavit nos, quod contra charitatem ageremus, & honorem Dei, quod prohibere niteremur, ne populo ſitienti verbum prædicationis proponeretur: & ſi objicere vellemus, prædicatorem illum fore Lutheranum: id contradiceret. Nam Senatus nullum Prædicatorem admitteret, qui verbum Dei falſe denuntiaret. Super his terminum reſpon-

reſpondendi petivimus, & eos abire fecimus.

Lectores Chori Auguſtenſis Eccleſiæ B. M. Virginis habuerunt curtes certas rurales in prædio Langeneyffen, ubi præferebat ſe Matthæus Ehem plenam jurisdictionem atque advocatiam habere, civis Auguſtenſis, generque Udalrici *Sulzers*. Is homo Matthæus Ehem, ſpecie, viſu, ac inceſſu magis Italus, quam Germanus, vafro ingenio, malitioſe excogitavit, quomodo præfatas curtes ſine pretio e manibus Lectorum in ſuam poteſtatem, poſſeſſionem, ac jurisdictionem redigeret: alienas itaque cauſſas aſſumens, falſa narratione & ſiniſtra machinatione apud Sedem Apoſtolicam egit, quod Bullam Apoſtolicam (non impetravit) extorſit, quod præfatæ curtes cedere deberent in jurisdictionem ſuam, eoquod ipſi Lectores eſſent publici Concubinarii, luſores alearum, & baliſtarii a canonibus forent damnati, inhabilesque ad quæque beneficia. Matthæus Ehem in pelle ovina curtiſanam induens, qui veraciter nihil aliunde de Sede Apoſtolica quicquid ſane ſapiebat. Nam fæcibus Lutheranorum totus infectus erat, & fere omne venenum hujus peſtiferæ ac damnatæ doctrinæ hauſtu ebiberat, qui exinde veluti mero exæſtuans, ubi publice non cum rubore, ſed quaſi honoris titulo evomuit, ſe (pſeudo) Evangeliſtam vulgo exhibere omni niſu volens,

lens. Is cum Bulla sua curtes arrestavit. Socer vero ejus Udalricus Sulzer volens se insontem reddere, ac veluti mediatorem se ostendere, & exhibere, quasi generum suum ad id induxisset, ne Lectores suis curtibus spoliarentur, sine processu juris. V. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ personaliter accessit, jussu & nomine generi sui Matthæi Ehem, quod ad dirimendas hujusmodi controversias gener suus juridice procedere vellet: & nomine totius Capituli in judicem acceptare velit nobilem ac præstantissimum Dominum Philippum de Hochenrechberg Decanum ejusdem Capituli. Quod Capitulum & Lectores gratanter acceptavere. Quare Decanus juxta juris processum, ambabus partibus diem præfixum & certum denominavit, quo comparere deberent in judicio. Adveniente autem die præfixo, utræque partes comparuere. Lectores simplici corde, & vera fide adimplere volentes Decani sententiam, quicquid dictaret sententialiter, se pro rato habere vellent. Econverso Matthæus Ehem coram Decano apparens, perverso corde, ac mente dicebat: quod ipsum D. Decanum in judicem in hac re acceptare nollet, eoquod sibi suspectus esset: & quod plus est, se nunquam istius intentionis fuisse affirmabat, quod socer suus id sine scitu, voluntate, & consensu suo fecisset. In Concione autem illa Udalricus Sulzer faciem suam mutavit in colorem suorum

crimi-

crinium. Amboque ſocer & gener, cum rubore & confuſione a conſpectu Decani & Lectorum abierunt, ſua mendacia palliantes. Exinde Capitulum apud proceres Ligæ ſuevicæ impetravit, quod falſe impetrata Bulla incaſſata eſt. At ipſe Matthæus Ehem quietis impatiens, ad judices Weſtphaliæ appellavit.

Dominica ſecunda adventus Domini, Senatus Auguſtenſis publica proclamatione prohibuit ſub caſtigatione corporis ac bonorum, facultatum, omniumque poſſeſſionum, ne quis contra Sacramentum Evchariſtiæ, & contra B. V. Mariam, atque Sanctos Dei aliquod verbum loquatur ſecundum decretum ultimæ diœtæ ſpirenſis. Item inhibuit ludum taxillorum ac chartarum, & ne quis cogeret alium ad bibendum, vel potum porrigendo alium incitaret, & quod poſt 9. horam noctis aliquis hinc inde in civitate vagaretur. Et quod hoſpes nulli hominum poſt præfatam horam adminiſtraret, ſed male obſervatum fuit.

Incolæ urbis S. Galli, Monaſterium ibidem S. Galli totaliter ſpoliaverunt, omnia bona mobilia, quæ invenerunt, aufferendo, ſedilia, & Altaria una cum tabulis omnia deſtruendo, calices atque Monſtrantias, & omnia alia ornamenta tollendo, præfato Monaſterio ultra centum millia florenorum damnum intulerunt. Abbas & Con-

ventus auffugit ad Uberlingen. Insuper ipsi Urbani, corpus reliquiarum S. Wiboradæ Virginis & Martyris arripientes, quæ ibidem integra requiescebat, in ignem projecerunt, ac corpus illius S. V. incineraverunt, ac postea cineres in aerem sparserunt. Deinde quæsierunt corpus S. Othmari, ut æquo modo ipsum dehonestarent. Sed minime reperire Sanctum potuere, quamvis omnes cryptas in visceribus fodiendo perlustrassent. Monachi enim ejusdem Cænobii ex industria prius ad tutiora loca una cum litteris & privilegiis Monasterii transmiserant.

Basileæ magnum lignum Crucifixi fuit, ubi oppidani ejusdem urbis ascenderunt, & imaginem Salvatoris nostri de ligno crucis deposuerunt. Et exinde Lictorem vocaverunt, qui jussu illorum imaginem Salvatoris ad caudam equi innectat, & sic confusibiliter, quemadmodum latronem, extra urbem eduxit in quadragesima. Eodem quoque tempore ipsi Basileenses in urbe omnes imagines, & Altaria, tabulas, ac cetera omnia, quæ ad decorem Ecclesiarum facta fuerunt, in ignem projecerunt, & in pulverem redegerunt.

Omnis Clerus, una cum Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, atque studentes, ac docti viri a Basilea recesserunt, Friburgumque adierunt, ubi a Senatu, & communi popu-

populo civitatis honorifice ſuſcepti ſunt, Canonicique ibidem ſedem ipſorum locaverunt, & in Parochiali Eccleſia, prima vice in die Nativitatis B. M. V. perſolvere fecerunt, quemadmodum Baſileæ in propria Eccleſia peregerunt.

In civitate Lindau Incolæ imaginem Crucifixi in lacum projecerunt. Et exinde omnes timor invaſit, ac ſi viderent hominem natantem in lacu.

Oppidani Lutherani in Rottweil conſpirationem inierunt, quod viros Catholicos inibi eis contrarios numero fere 500. occidere vellent. Dies autem & hora conſpirationis illorum Senatui ibidem clandeſtine, occulta traditione ipſius conventionis, manifeſtata fuit. Senatus autem talem ſeditionem ac interfectionem concivium præcavere volens ab extra omnes ruſticos ex villis ſuis ad civitatem convocaverunt eadem die, & tempore omnibus neſcientibus, quo Lutherani veros Catholicos occidere volebant. Adventu itaque ruſticorum, qui occulte introducti fuerant ex inſidiis in palam procedentes mala Lutheranorum præſumptio incaſſata fuit. Capitanei etenim & Principales omnes capti, certique ex eis decollati ſunt, alii in exilium miſſi, alii aliter puniti, multitudini parcendo, ne omnes neci ac morti traderentur.

In eodem menſe Decembri in Gamundia cives Lutherani ibidem viri fere 300. contra Senatum Gamundienſem, qui Sectæ Lutheranæ contrariebantur, conſpirationem fecerunt, quod armata manu vellent eum invadere, captivare, & occidere. Quæ conſpiratio clam ad Senatum deducta fuit. Senatus itaque certitudinaliter re experta, celerem nuntium ad Stutgarten deſtinavit, auxilium petendo contra rebelles ſubditos ſuos, proprios concives. Regentes Ducatus Wirtenbergenſis litteris viſis & perlectis, confeſtim in auxilium 600. pedites & 50. equites miſerunt, qui occulte eodem die & tempore introducti ſunt, quo Lutherani eorum conventione Senatum Gamundienſem invadere voluere. Cum autem Lutherani in urbe conveniſſent, ut conſpirata perficerent, Wirtenbergenſes deſtinati cum aliis civibus Gamundienſibus conglobati, ex inſidiis in lucem prodeuntes, omnes capitaneos & principales ceperunt, ceteros autem juſſerunt domos ſuas adire, prius Senatui de novo juramento præſtito ſubjectionis, & obedientiæ, & quando iterum vocarentur a Senatu, comparerent, ad luendam pœnam pro tam temeraria tranſgreſſione, & interim nihil alienare deberent ex ſuis propriis rebus, & nec ipſa propria corpora. Et eadem die 10. viri decollati ſunt per Petrum Aichelin juſſu procerum Ligæ ſuevicæ.

Hiemali

Hiemali tempore unus textor Auguſtenſis una cum uxore ſua, ambo non legitime nati, domum habentes prope Eccleſiam S. Crucis, de Auguſta egreſſi, rebaptizantes enim fuerunt, juxta Blaubeuren domum unius molitoris intravere, ibidem ſe ſuſcipi rogaverunt. Cumque molendarius ſe excuſaret, ſe locum in domo non habere, precibus apud molendarium inſtiterunt, ut locum eis manendi in ſtabulo digno pretio concederet: quod molendarius intuitu Dei conceſſit. Iſte autem textor omni hebdomada in magna quantitate, prompta pecunia, farinam pro decoctione panum ab eo emit, quod molendarius admirans, quomodo tot panes ſumere aut exponere poſſent? unde in nocte vigilavit, & excubias habuit, explorationeque edoctus, invenit, quod multi homines eos in nocte accederent. Molendinarius autem ſuos domeſticos in ſtabulo ſuſpectos habens, præfectum villulæ ſuæ accedens, hujusmodi hæc omnia inſinuavit. At præfectus molendinario ſilentium imponens, dixit, ſe mature acturum juxta conſilium Dominorum conſtitutorum in regimine Stutgardiæ. Qui exinde nocte ſuperveniens, 9. Anabaptiſtas cepit, & Stutgardiam captivos adduxit; qui ſecum habuere coronam argenteam deauratam, torquem aureum valore 300. fl. argenteum deauratum ſceptrum, argenteum pugionem, & gladium: quæ omnia Ulmæ fa-

brefacta, & empta fuere. Inter novem captivos fuere duo Auguſtenſes textores. Primus fuit, de quo ſupra mentio facta eſt; qui apud molendinarium hoſpitatus fuit, alter fuit Gallus Fiſcher. Hi voluere cum his regalibus inſigniis Wirtembergiæ ſeditioſos ruſticos accedere, & Regem inter illos eligere, ac cum his regalibus coronare, atque inſtituere: & textor ille, qui apud molendinarium hoſpitatus eſt, Rex fieri debuit. Cum autem captivi ad Stutgardiam adducti eſſent, ipſi captivi ab invicem ſegregati, ut per torturam eo melius ab eis explorari poſſet; qui præfata, & alia multa mala facinora, quæ præſumpſiſſent peragenda, confeſſi ſunt. Rex itaque illorum textor Auguſtenſis cum aliis duobus ſociis Stutgardiæ incineratus eſt. Gallus Fiſcher cum aliis duobus ſociis in Niertingen incineratus eſt. Kirchen an der Egk alii incinerati ſunt; unus quoque Presbyter ſæcularis, & Molendinarius etiam igni traditi ſunt.

Anno Chriſti MDXXX.

Ad primam diem Maji Carolus Imperator Auguſtæ mandavit convenire omnes Principes, Prælatos, Nobiles, & Oratores civitatum Imperialium, totius Germaniæ, Colloquium cum eisdem habendo, de tollenda hæreſi Lutherana, & nova Reformatio-

matione, simul & bello ineundo contra Turcas, ne Germaniam cervicosam invaderent, quemadmodum Austriam vastavere.

Augustensis Senatus fecit de novo Augustæ in omnibus plateis, ubi antea non fuere, catenas ferreas, ut tempore seditionis, seu alterius necessitatis in diæta illa, viæ platearum his obseratæ concluderentur.

Augustensis Senatus quoque mercede conduxit 1000. Lancearios usitato nomine, qui die noctuque excubias haberent, ac diligenter vigilarent, ne quid sinistre a quoquam hominum, aut perpere ageretur, & mandatis a Senatu decretis omni tempore obtemperarent.

Hæc autem conductio Lancearіorum, & præclusio platearum de novo per plateas Cæsari summe displicuere; voluitque, ut Lancearii licentiarentur, ac catenæ deponerentur. Hac de caussa Senatus Augustensis ad Cæsarem misit Bartholomæum Welser, & Wolfgangum Langenmantel Senatores, ut Cæsaris animum mitigarent. Qui Legatione functi apud Cæsarem impetravere, ut catenæ remanerent, sed Lancearii stipendiis conducti, omnes licentiarentur, prout factum fuit. Sed successu temporis catenæ quoque incassatæ sunt, ad præcludendum stratas platearum, prout infra suo loco, & tempore patebit.

Secunda die Maji Joannes Dux Saxoniæ Electoris Auguſtam intravit cum 200. Equitibus, & quinque curribus, in quibus ſedebant ſui Prædicatores & certi Conſiliarii ejus, & ultra 50. viri, ac mulieres, pedites, populus Gomorrhæ. Intravere autem cum ipſo Duce aliquot Principes, Comites, & Nobiles, qui ejus curiales ac ſervi fuerunt. Prædicare fecit hos Prædicatores (ut fama fuit ex Senatus conſenſu) primitus in Monaſterio Prædicatorum, deinde in Monaſterio S. Catharinæ: nulla tamen Monialis ſermonem illorum audire voluit.

Martinus Luther cum Duce Joanne inceſſit uſque ad Coburg, ubi tunc temporis remanſit. Qui cum elatus ſuperbia, ſeipſum quaſi Evangeliſtam haberet, qualiter de fide Chriſtiana & ſua doctrina adhuc ſentiret, 16. articulis concluſit, & ad diætam Auguſtenſem transmiſit. Quiete ſe continere neſciens, talemque æſtimationem de ſe habens, ex ſpiritu meridiano, ac ſi ſine ipſo Imperator ac ceteri Principes & Status, diætam illam expedire non poſſent. Sed fefellit ipſum Pſeudo-Evangeliſtam ſpiritus ſuus nequam, quia ſua Scripta non ſunt ad audientiam, veluti hæreſiarchæ, admiſſa, ſed una cum ſuis prioribus famoſis libellis abjecta, cui inſuper Illuſtriſſimi Principis Joachim Marchionis Brandenburgenſis Electoris Conſiliarii Auguſtæ apud

ſuum

ſuum Principem morantes, Doctor Conradus Wimpina, & Joannes Menſing SS. Theologiæ Profeſſor de Ordine Prædicatorum, in libello ad omnes deſuper edito, ſatisfecerunt, & veluti falſam ac hæreticam doctrinam probaverunt, prout exemplaria impreſſa clare probata oſtenderunt.

Die 23. Maji, *ſecunda feria Rogationum*, cum nos in proceſſione reverteremur, Nobiles, ac ceteri curiales Joannis Ducis Saxoniæ, in domo Philippi Adlers in foro vinario, ipſis Ducibus videntibus, & audientibus nos proclamaverunt, ſibilaverunt, & rugitus velut boves latrantes vocem dederunt. Æque fecerunt miniſtri Landgravii Haſſiæ in hoſpitio ac curia Principis, in domo Georgii de Argen.

Similiter nobis ab ipſis evenit die 25. Maji in proceſſione cum reverteremur cum Litania. Ultra proclamationes, & ſubſannationes, aſtantibus Principibus in feneſtris, conduxerunt unum tubicinem male ſonantem, vulgo *Schalmeyer*, qui nos in cantu melodiæ ſua tuba confunderet. Nam omnes Laici, quos nos præterire oportebat, inde in riſum concitabantur. Miniſtri Franciſci Ducis de Luneburg de menſa ſua Principis ex feneſtris cum oſſibus carnium jaciebant.

Die 15. Junii, hoc eſt in die S. Viti, in profeſto Corporis Chriſti de mane hora 8.

venit

venit Erhardus de Arenberg Dux de Bullion, Cardinalis, Archiepiſcopus Valentiæ, & Epiſcopus Leodienſis. Cardinalis ille fuit vir Senex, hilaris, Doctor, expertus, dives, inclytus, humilis, & juſtus. Is Carolo Cæſari dum in Aquisgrano in Romanorum Regem coronaretur, promiſit, quod quando in Imperatorem Romanorum coronaretur, velit S. Majeſtati donare centum millia florenorum. Carolus autem dum Bononiæ in Imperatorem eſſet coronatus, reſcripſit præfato Cardinali, ſe jam coronatum fore, utque promiſſionem ſuam impleret, hortatur. At Cardinalis læto animo Carolo Imperatori centum millia aureorum tranſmiſit. Is enim Cardinalis cum D. Margaretha Principatus Cæſaris in inferiori Germania regebat.

Die illo ſummo mane hora 4. convenerunt in Capitolio, omnium Electorum, & Principum Conſiliarii. Deinde hora 5. venerunt perſonaliter omnes Electores, Principes, & abſentium Electorum Ambaſiatores. Hora 6. illuc convenerunt ad præfatos Principes Electores ceteri Principes omnes Auguſtæ præſentes ſpirituales, & ſæculares. Cumque præfati Principes in ſimul eſſent congregati in ſtuba, Cæſarei Conſiliarii eos acceſſerunt Philippus Epiſcopus Spirenſis, Joannes Albertus Marchio Brandenburgenſis, & Wolfgangus Comes de Montfort deſtinati a Cæſarea Majeſta-

te.

te. Qui poſtquam Principibus credentiam ſcriptam cum terſa oris ſacundia præſentaſſent: oratione finita, prout in commiſſis habebant, de conſpectu Principum iterum abierunt, & eadem hora de Auguſta egreſſi, Cæſarem in villa Kiſſingen adierunt, illuc enim nocte illa ex Monaſterio Campo Principum venerat, ut prandium ſumeret ibidem, & inde Auguſtam adiret. Manſerunt autem Principes omnes in Capitolio usque ad horam 11. conſulentes quo ordine Cæſari obviare vellent.

Ferdinandus Rex Hungariæ & Bohemiæ fuit cum Cæſare, & cum ipſo Auguſtam intravit.

Bernardus de Gleſſ, Presbyter Cardinalis tituli S. Stephani in cælio monte, Epiſcopus Tridentinenſis, Præſidens ſecretorum conſiliariorum, & ſupremus Cancellarius Regis Ferdinandi.

Matthæus Lang Archiepiſcopus Salisburgenſis, Cardinalis S. Angeli, cum Cæſare etiam intravit.

Otho Hainricus & Philippus fratres C. Palatini Rheni, & Duces Bavariæ, cum Cæſare etiam intraverunt, 300. Equites optime loricati fuere usque ad Genua, habentes lanceas.

Wilhelmus & Ludovicus Fratres Duces Bavariæ & Comites Palatini Rheni cum Cæſa-

Cæsare intravere cum lanceis, ac si certamen inire vellent.

Georgius filius Maximiliani Imperatoris, Episcopus Brixinensis etiam cum Cæsare intravit.

Ernestus Marchio Badensis post Cæsarem certos dies venit.

Maria soror Cæsaris, Regina Hungariæ, Vidua, Ludovici Regis quondam uxor, post ingressum Cæsaris certis diebus Augustam intravit.

Anna Regina Hungariæ uxor Regis Ferdinandi cum sorore Caroli Cæsaris, & Ferdinandi Regis Maria Augustam intravit.

Laurentius Campegius Cardinalis Presbyter tituli S. Mariæ Trans-Tyberim Legatus a Latere cum Cæsare Augustam cum 100. Equitibus intravit. Vincentius Pimpinellus Archiepiscopus Rosanensis, Thomas Feltrensis Episcopus, Legati frater. Ambasiatores Regis Poloniæ, Regis Franciæ, Regis Angliæ, Regis Portugalliæ, Regis Daciæ, Regis Scotiæ. Principum Italiæ; Ferrariæ, Mantuæ, Ducis Sabaudiæ, Ducis Lotharingiæ, Venetorum, Genuensium, Florentinorum, Helvetiorum Catholicorum. Regni Hungariæ, & Sclavoniæ. Imp. Moscoviæ. Nec non Legati, & oratores aliarum gentium ac civitatum cum Carolo Imperatore Augustam intraverunt.

Post-

Postquam autem Carolus Imperator Lyci fluminis pontem pertransivit, mox omnes Principes Electores, & ceteri omnes Principes, Comites, Nobiles, Oratores atque Servi, cum adhuc longe aberant, ut Cæsarem salutarent, ejusque adventum salvum susciperent fausta imprecando, & ad invicem colloquerentur, ab equis descenderunt, & pedestri ordine, fere 40. passibus per pedes profecti sunt. Quod Cæsar, & Ferdinandus Rex comperientes, confestim & ipsi de suis equis prosilierunt. Principes videntes Cæsarem ac Regem de equis suis descendere velle, celeri cursu id prævenire volebant, sed Cæsar ac Rex velociores fuere ex industria. Et sic omnes pedestri ad invicem accessere. Descenderunt etiam omnes alii Principes, qui cum Cæsare advenerunt de equis. Carolus autem Imperator ac Rex Ferdinandus cum Principes accessissent, læta fronte, & hilari mente ex ordine omnes salutavere, ac manus porrexere, ac summe amicabiliter se eis exhibuerunt. Deinde Cardinalis Archiepiscopus Moguntinensis nomine omnium Principum ac statuum tali affamine Cæsarem salutavit, atque allocutus est.

„ Illustrissime, Potentissime, Augustissime,
„ Invictissime, & Gratiosissime Domine: Do-
„ mini mei, fratres, amici, & affines, & cete-
„ ri Principes & Status S.R.I. atque aliorum
„ Ambasiatores hic præsentes, & ego, qui a

„ V. C.

„ V.C. Majeſtate ſcriptis ad indictam Impe-
„ rialem diætam Auguſtæ celebrandam vo-
„ cati, obedienter comparuimus, ex proſpero
„ adventu V.C.M. in Sacrum Ro. Imperium,
„ veluti gratioſiſſimi Dom. noſtri, ultra quam
„ lingua fari poteſt, gaviſi ſumme ſumus.
„ Qua ex re eandem M. V. quam humillime
„ ſalutamus atque ſuſcipimus, ad altamque
„ & excellentiſſimam dignitatem V.C. M. Im-
„ perialem coronationem fauſta & proſpe-
„ ra imprecantes, felicemque ac pacificam,
„ tranquillam, & longævam vitam in regimi-
„ ne optantes, firma fide animoſi ſperantes,
„ cum auxilio divino V. M. ad communem u-
„ tilitatem totius chriſtianitatis, & ad ſum-
„ mum honorem ac profectum nationis Ger-
„ manicæ omnia eventura. Nosque qui ad
„ diætam Auguſtenſem vocati, ſicuti mem-
„ bra Romani Imperii cum omni ſubjectione
„ ac obedientia ad omnia operam dare volu-
„ mus, fideliſſime conſulendo, tractando,
„ verbo, facto, & opere, quæ primo cedant
„ ad honorem omnipotentis Dei, ac deinde
„ V.C.M. ac nationi Germanicæ ad laudem
„ & gloriam ac profectum. His commen-
„ damus nos V. C. M. tanquam Domino no-
„ ſtro gratioſiſſimo. „

Oratione hac finita Carolus Imp. cum Ferdinando Rege, & Friderico Comite Palatino Rheni in partem ſeceſſit, cum eisdem conſilium habendo, quibus verbis Principibus grates referret. Conſilio autem finito,

finito, Fridericus Comes Palatinus nomine, & jussu Cæsaris, valde curialiter, ornate, terso sermone omnibus Principibus ac statibus castigata oratione grates retulit.

Deinde cum Carolus Imperator versus urbem iter flecteret, ex Augusta 2000. Mechanici, patrio nomine Landsknecht hos nominatos, peditatum obviam offendit. Omnes nitidissimis thoracibus, brachialibusque ferreis ac machæris ornati. Plurimi lanceas, certique bombardas, pauciores autem Alabardas portabant, 4. vexilla habentes. Horum Capitaneus erat Hieremias Ehem. Hi quoque ea urbe secum 12. magnas bigales bombardas eduxerunt. Cives stubæ, & Mercatores equitatum facientes fere 200. Equitum levis armaturæ, valde decori ac ornati.

Affuere etiam exinde 32. Clientuli Dominorum Fuggerorum Raymundi, Antonii, & Hieronymi, distincti a ceteris in colore vestium, pariformiter incedentes.

Cæsar, cum Lutheranos Principes ad Augustam suos Concionatores, qui passim ac publice sua dogmata obtrudebant, adduxisse percepisset, multaque religionis nostræ signa & mysteria in ea urbe aboleri cæpisse audivit, adventum suum ad diem Evchariſtiæ institutioni sacrum eo animo maturavit, ut vel invitis hæreticis ritus a majoribus nostris observatos, & dudum in ea urbe neglectos, publice perageret.

Ingreſſus Caroli Imp. Rom. in Auguſtam tali ordine fuit habitus, tam ornatus, & pretioſus, ut nullus hominum meminerit aliquem conventum, tam præſtantia pretioſitatis, quam decore rei militaris ornatiorem vidiſſe. Primo inceſſerunt 1000. pedites lancearii cum duobus vexillis, quorum ſupremus Capitaneus fuit Maximilianus Comes de Eberſtain, conducti mercede a Carolo Imperatore, ut Auguſtæ die, noctuque in urbe vigilarent, excubiasque haberent, juxta decretum Cæſaris, ne aliquid ſiniſtri machinaretur.

Septima hora diei ad curiam Imp. omnes Principes convocati ſunt ea de cauſſa, ut cum maxima ſolemnitate cum Cæſare feſtum corporis Chriſti peragerent. Id autem Joannes Dux Saxoniæ Elector, & filius ejus Joannes Fridericus, & Erneſtus, & Franciſcus Duces de Luneburg Fratres, & præfati Ducis Saxoniæ Sororius Georgius Marchio Brandeburgenſis, atque Philippus Landgravius Haſſiæ, & Wolfgangus Princeps de Anhalt, cujus ſororem Dux Saxoniæ Elector in uxorem duxit recuſarunt, Cæſarem rogantes, ne ad id compellerentur. Cæſar autem inſaniæ illorum locum dans, cum ceteris Principibus omnibus magna caterva ædem B. M. V. adiit. Interim autem quo Miſſæ officium, & proceſſio celebrabatur, ipſi Lutherani Principes apud Ducem

cem Saxoniæ convenientes, ſuum conciliabulum celebravere.

Poſtquam Imperator una cum omnibus Principibus ſpiritualibus & ſæcularibus Eccleſiam intravit, officium Miſſæ inceptum eſt per cantores Imp. in organis, cantu tubæ, & tympanis, & per Epiſcopum Auguſt. ſolemniter decantatum.

Die 18. Junii in Sabbato Cæſar convocavit ad S. M. ſolummodo Lutheranos Principes, cum quibus ad tres horas ſermonem protraxit, ut eos cum pietate ad viam veræ fidei reduceret, ſed nihil profecit: quos obſtinatos abire permiſit.

Carolus Imp. dimiſſis Lutheranis Principibus, confeſtim convocavit ad curiam ſuam catholicos Principes: & finito illo colloquio, hora ſexta poſt Veſperas, Carolus Imp. 14. tubicines una cum tympanis, atque tribus Heroldis cum ſuis baculis in manibus, & certis equitibus per omnes plateas urbis Auguſtanæ ire juſſit, & per eosdem Heroldos proclamari: Quicunque ex Lutheranis ſermonem ad populum faceret, ſeu quisquis prædicationem illorum audiret, tales omnes vellet Imperialis Majeſtas ſumma pœna punire. Semper duo Tubicines ſuper unum equum ſedebant. In omni loco civitatis, & ante curias Principum Lutheranorum, ante proclamationem Heroldi ſonus tubarum una cum tympanis

præceſſit: talique modo hoc ſero Lutheranorum prædicationibus finis impoſitus eſt.

Joannes Dux Saxoniæ Elector proprium Lutheranorum prædicatorem habuit, qui prædicavit in Monaſterio S. Catharinæ, & interdum apud S. Annam. Georgius Marchio Brandenburgenſis in Eccleſia S. Mauritii ſuum Lutheranum prædicatorem ſua temeritate intruſit. Landgravius Haſſiæ in noſtra Eccleſia S. Udalrici ſuum Pſeudoprædicatorem intruſit, fama autem fuit, quod iſti Principes Lutherani pro hac re Senatum requiſierunt, eoquod perſonaliter omnibus ſermonibus ſemper interfuere. Erhardus Schnepf prædicator vocabatur.

Deinde Alexander Schweiſs Caroli Imperatoris Secretarius in audientia Imperatoris, & omnium Principum ac ſtatuum legit literam perlongam, cujus intentionis & propoſiti eſſet Imperialis Majeſtas, ad tractandum, & perficiendum in diæta illa. Summaria litera illa Imperialis tres articulos in ſe continebat. Primus articulus: quali modo eſſet contra Turcas bellum aſſumendum? Secundus articulus: quidquid adverſi, aut gravaminum ſpiritualis ſuperioritas haberet contra ſpirituales; tales ambæ partes ſpirituales & ſæculares deberent talia gravamina, per modum articulorum in Germanica, & Latina lingua ſcriptis concipere,

&

& ad manus Imp. porrigere. In his velit S. I. M. pium, deificum, gratioſum, honorificum, & æquum reſpectum habere, & deſuper de congruo remedio cogitare? Tertius articulus fuit: quod omnes de facto ſeditiones, diſcordias, & diſcrimina in toto Romano Imperio deponere vellet, & ea, quæ deſervirent ad profectum, & melioratione ordinare.

In die S. Joannis Baptiſtæ Cæſar officium audivit in æde B. M. V. cum Principibus, Philippus autem Landgravius Haſſiæ habuit ſe in choro ſub elevatione Sacramenti Evchariſtiæ ac ſi eſſet veſanus, ſtolidus, & demens, ſuaque genua in terram non fixit, omnibus de ſe præbens ſpectaculum ſuæ hæreſis, & inveteratæ malitiæ, cæcitatisque. Eadem die poſt prandium, Imperator, Rex, Electores, Principes, & omnes ſtatus domum ſenatoriam adierunt. Circa horam vero tertiam, Legatus Sedis Apoſtolicæ a latere, Laurentius tituli S. Mariæ trans-tiberim, Presb. Card. Campegius, domum ſenatoriam, Imp. ac conventum Principum quoque adiit, functurus ſua legatione. Cæſar autem, & omnes Electores ac ceteri Principes Legato obviam proceſſerunt usque ad gradus domus ſenatoriæ, & exinde Legatum duxerunt ad ſtubam ſeſſionis, & ibidem Legatum ſedere fecerunt ſuper ſolium Ferdinandi Regis Hungariæ, & ipſe Rex Ferdinandus locum ſeſſionis accepit,

pit, tanquam Rex Bohemiæ, ſub Archiepiſcopo Moguntino. Deinde Imperator, & omnes Principes locum ſuæ ſeſſionis acceperunt. Cumque Cæſar, Rex, & alii, quibus convenit ſedere, conſederunt, Cardinalis Legatus latinis verbis ea, quæ a S. P. in commiſſis habuit, expedivit. Et ſecundum antiquam conſuetudinem, primo Cæſari literas Papales porrexit ad manus proprias, directas ad S. M. atque ceteros Electores & Principes omnes, in quibus literis omnis facultas & poteſtas ſimul & commiſſio Legati exprimebatur. Cæſar exinde literas Apoſtolicas S. M. porrectas a Legato, porrexit Moguntino Archiepiſcopo veluti Cancellario: Deinde Archiepiſcopus Moguntinus dedit præfatas Secretario, ut publice coram toto conventu legerentur omnium ſtatuum; quibus perlectis, legatus ultra dimidiam horam orationem habuit, in qua C. M. Electores, & ceteros Principes ac ſtatus omnes exhortatus eſt, tanquam membra Romanæ Eccleſiæ, ut inde ne ſe ſegregent, vel abſcedant, ſed indeſinenter more antiquo adhæreant, exhibeantque opem contra infideles: ad quam devaſtationem infidelium & bellum contra Turcas velit Sanctitas S. P. ſicut Vicarius S. Petri, & ſervus ſervorum Dei, omnia, quæ ſibi poſſibilia ſunt, adminiſtrare, omnem ſubſtantiam, proprium ſanguinem, corpus, vitam, & animam ſpiritualia ſimul & temporalia. Et poſt-

postquam Legatus peroravit, e consessu Imp. & omnium Principum surrexit, & recessit, ad ædesque sui hospitii adiit.

Confestim postquam Legatus Card. de conventu Principum egressus est; Oratores & Nuntii Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, atque Görz coram C. M. & Electoribus, atque Principibus, atque toto conventu hujus diætæ comparuere: & D. Sigismundus de Dietrichstain inter illos, loco illorum omnium luculenter peroravit, terso sermone enumerando, qualia damna & mala ingentia Turcarum immanitas christianitati intulit in memoria hominum, paucisque annis elapsis. Et præsertim anno præterito in Austria & Styria qualem stragem & vastationem eisdem intulit, & quod principatus inferiores Austriæ usque in præsentiarum plusquam eis possibile fuit, Turcis resistentiam fecere, ita quod deinceps, comparatæ ad tam ingentem potestatem Turcarum non sufficiant vires illorum solummodo in cuneum exploratorium. Qua ex caussa coacti necessitate S. C. M. veluti christianissimi, & gratiosissimi Imperatoris advocati atque protectoris, & caput totius christianitatis, ceterosque Electores, Principes omnes atque status confugiunt, omni instantia clamantes eorum auxilium invocando, enixeque flagitando, ut corde concipiant ingentia summa mala, quibus opprimuntur in rebus temporalibus, & occisione

cisione uxorum atque suorum parvulorum, & quod eorum corpora, vita honor, atque omnia mobilia, & immobilia eorum in perditionem eant, si eis cum magno exercitu equestri & pedestri, cum perseveranti subsidio non succurratur contra inimicos totius christianitatis.

His præfatis nuntiis a C. M. & Electoribus, atque Principibus, ac ceteris statibus responsum fuit: quod ipsi perceperint ore prolata, & in libello conscripta omnia mala, quibus oppressi sunt, velitque S. M. desuper operam dare una cum Electoribus & ceteris Principibus, prout christiano gratioso Imperatori convenit, ad gloriam & honorem omnipotentis Dei atque Reipublicæ. Exinde oratores, & Nuntii præfati C. M. omnibus Principibus ac statibus grates retulerunt, mox abierunt.

Quibus egressis confestim Joannes Dux Saxoniæ Elector & filius ejus, Georgius Marchio Brandeburg. Ernestus & Franciscus Duces de Luneburg, & Philippus Landgravius Hassiæ de sua sessione surrexerunt, & versus C. M. steterunt, ubi Cancellarius Joannis Ducis Saxoniæ talem orationem habuit:

Illustrissimus, ac ceteri illustres, gratiosi Domini mei Elector, & alii Principes hic præsentes, pro certo sciunt, sine dubio; quod multipliciter delati & accusati sint erga C. M. Ele-

M. Electores, ac ceteros Principes, & ſtatus R. I. quod ipſi in S. R. I. in germanica natione novas, inauditas ſectas, errores, & hæreſes contra fidem chriſtianam erigant, & ſuſcitent, occaſionemque ad hujusmodi præſtent. Qua ex re, omni obedientia ſupplicent, & orent S. M. & Electores, ac ceteros Principes amicabiliter vicinorum intentione, ut ſine tædio per longum velint audire & percipere, quæ & qualia ſui Domini gratioſiſſimi, & Principes in ſuis principatibus, locis, & terris, ubique prædicare permiſerunt: & quid omnes articuli fidei illorum in ſe contineant.

Oratione illa a Cancellario Saxoniæ finita, Rex, Electores & ceteri Principes Cæſarem adierunt, conſiliumque cum eo habuere, quid Lutheranis Principibus reſpondendum foret. Conſilio finito, Cæſar reſpondendo ab eis poſtulavit, ut articulos fidei illorum conſcriptos, & uſus Eccleſiarum S. M. porrigerent, quos articulos velit S. M. una cum conſiliariis ſuis perſpicere & exinde eis gratioſum reſponſum dare. Et ſi quis inter illos eſſet, qui aliquam dubitationem in fide catholica haberet, huic vellet S. M. perſonaliter ſatisfacere, gratioſam audientiam ſimul, & reſponſum præſtare. Ex quo ipſi aſtruerent illorum novam doctrinam veram eſſe. Et ſi aliquis illos vi aut potentia ſine auctoritate ſcripturarum abducere vellet, appellari velint ad

futurum Concilium, ne rebelles aut inobedientes censerentur. Cumque processum disputationis exoptent, quem autem judicem in illa disputatione habere velint, designent, cum lis sine judice ac Præsidente dirimi non possit. An velint S. M. pro judice ac præsidente acceptare? Cancellarius præfatus jussu sui Principis, ac ceterorum C. M. cum omni subjectione supplicavit, ut S. M. permitteret, ut publice in audientia omnium ac S. M. libellus articulorum legatur, in quo contineantur ritus Ecclesiæ, ac fides illorum, quam ipsi sui Principes ac Domini sui gratiosissimi tenent, & observant. Auram popularem inde captare volentes. Quod cum Cæsar intellexisset, id recusavit, ut infra.

Cæsar cum Rege, ac aliis Electoribus, & omnibus Principibus iterum consilium habuit, quid faciendum decernerent. Quibus Cæsar de consilio Principum iterum respondit per Fridericum C. P. quod C. M. ex speciali gratia, in complacentiam illorum velit concedere, quod crastina die in curia S. M. in præsentia Electorum ac aliorum Principum publice legatur, & nunc libellus iste in manus S. M. præsentetur.

Deinde Lutherani Principes C. M. iterum enixe supplicaverunt, ex quo S. M. illum libellum nunc audire non vellet, ut privatum

vatum libellum in manibus illorum usque in craſtinum permitteret, quia charta illa eſſet in multis locis raſa, & defectuoſa, altera die vellent eandem chartam emendatam & caſtigatam S. M. præſentare, & inſuper eamdem gratiam omni diligentia promereri. Imperator iterum deſuper conſilium habuit cum præfatis Principibus: quibus de conſilio ultimatim reſpondit Lutheranis: qua temeritate, præſumptione, ac audacia litigamini, cujusque ſpiritu ducti eſtis, quod coram N. M. & omnium caterva Principum ac Nobilium chartam veſtram vitioſam & defectuoſam publice legi flagitamini, quam in noſtras manus palam porrigere non audetis? concedo tamen petitionem veſtram, ita tamen, quod craſtina die hora ſecunda poſt meridiem eamdem chartam emendatam in manus noſtras præſentetis. Quod illi cum gratiarum actione promiſerunt, & opere perfecerunt.

Sabbato die 25. Junii circa horam tertiam convocati ſunt, ad curiam Cæſaris Rex, Electores, & omnes Principes. Affuit etiam Joannes Dux Saxoniæ cum ſuis quatuor adhærentibus Principibus, qui chartam ſuam, in qua continebatur fides illorum, ordinationes, & cæremoniæ, ac ritus Eccleſiarum more moderno, & ad quid Epiſcopi, & Plebani adſtricti eſſent, eorumque officium requireret, omnia per longum declarantes auctoritate Bibliæ, & S. Scripturæ

pturæ ſecundum intellectum proprium. Illa autem charta nihil aliud ſapiebat, niſi ferinam tragædiam illorum conſuetam, Monaſteria deſtruere, perſonas Religioſas expellere, Eccleſias deſtruere, res ſacras profanare, clerum de terra tollere, opera bona peſſumdare, Miſſæ officium, & divinum cultum veluti idololatriam fugere: Virginitatem ſpernere, nuptias celebrare, delitias hujus mundi carnaliter amplecti, & hujusmodi. Lectio hujus chartæ duravit pœne usque ad tres horas quousque in finem perlecta fuit.

Finita lectione chartæ Carolus Imperator eam accepit, & cum Electoribus, & ceteris Principibus conſilium habuit, qualem reſponſionem Lutheranis ſit daturus. Conſilio autem finito eis reſpondit: Ex quo articuli ſint in grandi numero, & in ſeipſis graves, velit C. M. deſuper conſultando conſilium habere, quidquid in hac re faciendum ſit, & exinde eis gratioſum reſponſum præſtare. Et ſic abſoluti, omnes rediere ad propria.

Cæſar chartam catholicis viris diverſarum nationum, moribus probatiſſimis, & in S. literis eruditiſſimis commiſit, ut quod in ea confeſſione exhibita approbandum cenſerent, laudarent: quod vero reprobandum, confutarent. Quam confutationem per eosdem Legatum & Principes approbatam,

Cæſa-

Cæsar vocatis ad se R. I. ordinibus, & inter eos Lutheranis Principibus, in eo ipso loco, quo eorum confessio lecta fuerat, perlegi fecit.

Siquidem S. C. M. cum primum Confessionem per Principes, & duas civitates (*Nirembergens. & Reütlingens.*) quæ se in ea subscripserunt, exhibitam accepit, pro eo affectu, quo Dei opt. gloriam, animarum salutem, christianam concordiam, & publicam totius Germaniæ quietem, honorem, unionem, atque salutem exoptat, non modo eam confessionem perlegit, sed quo firmius, maturius (ut in re tanti momenti decet) procederet, nonnullis viris in SS. literis eruditissimis, moribus probatissimis, & ab omni privato affectu alienissimis, videndam, examinandamque dedit. Qui omni cura atque diligentia, ea confessione perspecta suam responsionem M. S. C. obtulerunt. Quam etiam responsionem, eadem C. M. tanquam salutis studiosa, perlegit, ac ceteris R. I. Electoribus, & Principibus, ac statibus legendam dedit. Quibus omnibus tanquam orthodoxa, & quæ cum Evangelio & sacris literis per omnia convenit, approbantibus, deque eorum consilio & assensu, eisdem Principibus, & civitatibus tradendam decrevit. Carolus Imperator autem antea multos Doctores ad diætam Augustensem convocari fecerat, inter quos 24. Doctores S. Scripturæ viros Germanos, inter

ter doctos doctiores ac præstantiores Cæsar elegit, ultra Hispanos, Gallos, & Italos, quibus Lutheranorum chartam tradidit examinandam, ut ab eis perlecta, & diligenter inspecta, matura deliberatione præhabita desuper responsionem S. M. conscribant, & sacris literis veridica probatione, chartam Lutheranorum falsam, ac hæreticam doctrinam omnibus luce clarius probent, & ostendant. Qui mandato Cæsaris obedientes supra scriptum libellum ediderunt, & S. M. obtulerunt. Carolus autem Imperator libellum illum gratanter assumens, illum solerter perspexit, ac exinde publice coram omnibus Principibus, ac proceribus atque statibus legi fecit. Vincula S. Petri & die sequenti.

C. M. in die *Vincula Petri Apostoli*, ut catenatos a diabolo & hæresi & schismate solveret, ipsos Lutheranos Principes ac civitates post meridiem in curiam suam convocavit, vulgo Pfalz, ubi ibidem in majore stuba, ipse Cæsar ac Rex in suis soliis, atque ceteri Electores & Principes, ac status omnes, & absentum Ambasiatores, suis congruis locis sessiones ac loca accepere. Confestim jussione Cæsaris, per supremum Secretarium S. M. Alexandrum Schweiß, confutatio contra præfatos articulos Lutheranorum lecta est. Lectione finita Dux Saxoniæ, ac ceteri sui adhærentes Lutherani postulaverunt copiam ad rescriptum perlectæ

ctæ confutationis ſuorum articulorum. Quibus Cæſar reſpondit: quod S. M. velit deſuper deliberare cum Electoribus, Principibus, ac ceteris ſtatibus, & poſt duos dies illis reſponſum dare: ſicque omnes ad ſua hoſpitia rediere.

In die SS. Afri & Oſwaldi Cæſar ad curiam ſuam omnes Electores, Principes, & ſtatus convocavit, ſimiliter & Lutheranos Principes, quibus reſponſum dedit juxta conſilium Principum Germaniæ, quod eis libellum ad reſcribendum adminiſtrare velit, ita tamen, quod S. M. juramentum præſtent, quod aliis libellum accomodando non adminiſtrent, vel ad imprimendum exponant. Quod illi renuerunt, ſicque reſcriptum & copiam hujus libelli non meruerunt accipere. Deinde Cæſar Lutheranis deſuper reſponſum reddi juſſit, quod eis non placuit: & exinde omnes ſua hoſpitia adierunt. Landgravius vero Haſſiæ cum de curia Cæſaris abire vellet, ſuper equum ſedens, ipſo Cæſare inſpiciente, ſe cum equo giravit ac ſaltavit, dextrumque brachium cum cachinno in ſublime erigens, *ju* clamavit, ſicque ſuum hoſpitium adiit.

In profeſto S. Afræ 6. Aug. hora 3. Veſperarum omnes Principes & ſtatus ad ſuam curiam convocavit, eisque mandavit, ut V. Sacramentum Evchariſtiæ, & Miſſas more antiquo colant, venerabiliterque honorent.

Quando

Quando infirmis, qui domi manebant, V. Sacramentum Evchariſtiæ apportabatur, ut proviederentur, Hiſpani, qui id videbant, Sacerdotem cum luminibus ſequebantur, incolæ autem civitatis parum, aut nullam reverentiam Sacramento exhibebant, inſuper hos deridebant, qui V. Sacramentum venerabantur vel ſequebantur. Quod multoties factum eſt, cum id Hiſpani viderent, talem irreverentiam exhiberi diviniſſimo Sacramento, tales induratos, qui ad pertranſitum Sacramenti nec ſurgere, aut caput denudare vellent, publice in faciem cæderent, aut in terram dejicerent, obſtinationem illorum dure increpantes.

Eodem ſero ſub cœna, hora 8. Landgravius Haſſiæ ſine ſcitu C. M. & aliquorum Electorum ac ceterorum Principum mutata veſte ſua cum duobus equitibus occulte per portam in Göggingerthor, receſſit, & domos latomorum adiit, ubi antea tres equites ſuos præmiſerat, ſicque Auguſtam relinquens, & curiales ac ſervos ſuos in eadem urbe, feſtinanter Haſſiam adiit. Per quam ſtratam ſeu viam Landgravius abiit, non fuit compertum. Fuga ejus Cæſari, ac ceteris Principibus ſumme diſplicuit. Et confeſtim cum id C. M. percepit; 100. equites poſt Landgravium miſit, ut ipſum apprehenderent, ac apprehenſum ad S. M. deducerent. Altera itaque die equites ad Cæſarem reverſi, renunciarunt S. M. quod neque

neque vestigium Landgravii investigare potuere.

Eodem fere & hora, qua Landgravius aufugit, Joannes Schneid apostata Lutheranus prædicator August. in Ecclesia S. Crucis Joannem filium Ducis Saxoniæ in suo hospitio adiit, & in sella sedentem reperit, quem ita allocutus est: Illustrissime Princeps, quid agit Dominatio V. quid hic sedet? Quare tutiora loca non adeatis? vulgo: Warum thut ihr euch nit an Eur Gewahr? futurum est enim, quod per ministros Cæsaris una cum patre vestro hac nocte in captivitatem abducamini, ideo observate vos, & cautius agite, neminique dicatis, quod a me avisati estis. Quæ omnia filius mærens patri retulit. Qui confestim in conclavi consilium habuerunt, quomodo se habere vellent? & concluserunt, ut cito omnes curiales, ac servi illorum ad domum sui Principis convocarentur. Quod & factum est. Qui sua arma ferrea induentes, tam Principes quam Nobiles, & servi, januas domus repagulis clauserunt, cum silentio expectantes adventum adversariorum, quando a ministris Cæsaris obruerentur, & in captivitatem abducerentur. Decreverunt autem communi consensu & consilio ipsi Saxones, quod velint suis armis Cæsarianis resistere, & potius vitam amittere, quam Principes suos permittere in captivitatem abduci. Sicque Principes

per totam noctem illam armati absque somno usque ad diem in sellis suis sederunt, & omnino nihil mali verbo, aut facto vel aliquo nutu evenit; sed neque ipse Cæsar, Rex, aut ullus Princeps, ullum verbum de hac re scivit, sed nec cogitavit. Quia C. M. salvum conductum omnibus promissum stricte observare constituit. Mane autem facto cum ipse Dux Joannes abire vellet, mandato Cæs. detentus est. Apostata autem Joannes Schneid suo mendacio machinari inde volebat seditionem, vel, ut ipsi Duces clam, quemadmodum Landgravius Hassiæ, de Augusta abirent, & sic ea de caussa Lutherana labes diutius progressum haberet, quia ex falsa doctrina sua, sibi victum, & amictum, & lucrum acquirebat.

Altera die Cæsar peracto prandio convocavit ad publicam sessionem Legatum, Electores, & Principes omnes ac status, hortabaturque eos ad concordiam, & ad observantiam fidei catholicæ, prout superioribus diebus auctoritate S. Scripturæ declarari fecerat, Lutheranos obsecrando, ut SS. literis, ac sanis consiliis acquiescerent. Insuper detestans frivolum recessum Landgravii Hassiæ. In illa publica sessione coram C. M. Joannes Dux Saxoniæ publice narravit, quomodo a Joanne Schneid avisatus sit, quod C. M. velit ipsum una cum filio suo captivum abducere, & quomodo se

cum

cum ſuis habuit, & habere voluit, prout ſupra deſcripſi.

Deinde in Octava S. Laurentii hora veſpertina Carolus Imperator miſit ſuum *Profos* cum 200. trabantis, ut Joannem Schneid captivarent. Qui juſſa complentes domum ſuam cum aſtutia intraverunt, & eum cum ſua conjuge (ſi fas eſt dicere conjugem, ſed potius meretricem) puerpera ſedentem, ſeminudum invenerunt. Qui mox eum capientes, ipſe *Profos* ſuum pallium, quod more Hiſpanicæ gentis portabat, ſuper apoſtatam projecit, & caputio equitis caput ipſius texit, ſicque armata manu in turrim, vulgo Vogelthuren abduxit. Cumque de domo ſua captivus abduceretur, Textores & alii vicini furioſi accurrerunt, & libenter ipſum vi e manibus illorum liberaſſent, ſed non audebant, quia Cæſareani Alabardis ſuis eos qui ſe male habebant, ad caput percutiendo ſine læſione abigebant. Quæ res Cæſarem non latuit, & inſuper, quod ipſi Textores, & vicini illorum in domibus ſuis armati excubias obſervarent. Qua ex re ipſe Cæſar ſuis Nobilibus, & Lanceariis, ac aliis clientulis mandavit, ut vigilarent, ne aliqua ſeditio oriretur. Sed Deo dante omnia quiete acta ſunt, nemoque læſus, ſed pacata ſine ſeditione permanſerunt.

Deinde feria ſexta ipſe Joannes Schneid pœnaliter interrogatus fuit, & non ad jura-

mentum, qui multa mala & enormia confessus est. Ex post in Vigilia S. Bartholomæi hora 7. versus noctem ipse Joannes Shneid de carcere ductus est ad curiam Cæsaris, fere cum 200. lanceariis, ubi in plano Fronhoff ultra 300. viri & mulieres steterunt sibi applaudentes, clamantesque: sit laus Deo, quod prædicator noster iterum nobis redditur. Nonnulli autem e vulgo, qui seditiosi erant, a lanceariis cum Alabardis percussi sunt. Et ecce in oculis illorum omnium faber ferrarius cum duabus catenis, quas fecerat, intravit, quibus in collo & pedibus in domo Pfalz ipse prædicator alligari debebat, prout in instanti factum fuit. In die S.Matthæi in nocte, ipse Joannes Schneid perditus est. Varia fama de eo fuit, non solum in vulgo, sed etiam inter Principes. Aliqui dicebant, ipsum aufugisse auxilio sui custodis, qui etiam cum illo aufugit. Alii dicebant eum a Cæsare libere dimissum precibus sororis suæ Mariæ Reginæ Hungariæ. Alii dicebant ipsum strangulatum esse, & in die Wertach exinde projectum. Et id audivi a portario Cæs. qui asserebat ipsum fore una cum aliis tribus viris extinctum modo præscripto.

Joanne Schneid capto, confestim alii Lutherani prædicatores etiam aufugerant de Augusta, & Memmingen, Lindau, Constantiam & Argentinam adierunt.

Cæsaris

Cæsaris *Profos* a suo ingressu ad Augustam usque ad festum S. Bartholomæi gladio, & laqueo 146. homines necavit, & in aqua submersit: inter quos viri & mulieres 40. personæ Augustenses fuere, prout ego ab honesto viro percepi, qui illud ex ore *Profos* audivit. Fuere illi homines aliqui Hispani & lancearii, fures, seditiosi, blasphemi, interfectores, & rebaptizatores.

Quis catholicorum non defleret vota cassata a Luthero, Missam & Evchariſtiam extinctam a Zwinglio, catabaptismum reductum a Balthasare, vetus & novum Testamentum rejectum ab Ambrosio Pneumatico? in quorum doctrina tot millia animarum periclitantur, pereuntque. Zwinglius suam falsam doctrinam 12. articulos continentem ad Augustam Cæsari transmisit: de Trinitate, de Providentia Dei, de originali peccato. Quod unica hostia sit Christi pro sceleribus nostris. De moriendi necessitate. Quid sit Ecclesia. De Sacramentis. Item negat veram præsentiam in Sacramento Evchariſtiæ corporis & sanguinis Domini. Cæremonias & imagines abjicit, Purgatorium negat. Cui prædicationis munus commissum sit? de Magistratu civili.

Postquam cum Lutheranis Principibus diu multumque actum esset, & nihil effici posset, ut in viam veritatis redirent: 23.

Sept. Saxoniæ & Luneburgenſ. Duces Auguſta egreſſi ſunt. Deinde poſt aliquos dies, etiam Georgius Marchio Brandenburgenſ. receſſit. Lutherani Principes & civitates excluſi fuerunt a conſiliis, ac tractatibus a Cæſare, & omnibus ordinibus R. I. poſtquam intelligi manifeſte dederunt, ſe in ſua pertinacia ac hæreſi permanere velle. Nihilominus præfati Principes Lutherani omnes poſt illorum receſſum ſuos conſiliarios in Auguſta dimiſerunt, qui ibidem usque in finem diætæ Imp. permanſerunt.

Cæſar Auguſtæ Eccleſiam Minorum Fratrum ad feſtum S. Franciſci juſſit mundari ab omni ſpurcitia Lutheranorum. Legatus autem Apoſtolicus interrogatus, an Eccleſia Minorum ſit reconcilianda? reſpondit: Non: eoquod manifeſte non appareat, ſanguinem ibidem effuſum eſſe. Sed ex quo Altaria ſint profanata, & pro parte deſtructa, quousque iterum reædificentur, ad tria altaria portatile locari juſſit. In die itaque S. Franciſci primitus iterum Miſſæ inceptæ ſunt. Ferdinandus Rex Miſſæ interfuit. Cæſar quoque adeſſe voluit, ſed negotio cum Imperialibus civitatibus impeditus, venire non potuit. Finito officio Miſſæ, poſt receſſum Regis, cum ſedilia ab Eccleſia exportata, ad unum cumulum collocarentur, ſeditio exorta eſt: nam unus Carpentarius Auguſtenſ. unum Hiſpanum in Eccleſia in faciem percuſſit, qui

qui ibidem ſedilia Lutheranorum ferreis catenis affixa vi extraxit. Et extra Eccleſiam Sixtus Saur Aurifaber unum Hiſpanum vulneravit. Et niſi præfectus Auguſtanus ſuperveniſſet cum ſuis commilitonibus, certi occiſi fuiſſent. Exinde præfectus Eccleſiam Minorum clauſit.

Cæſar Auguſtenſem Senatum ad ſe convocavit, & eis, qui miſſi fuerant a Senatu, literas ſigillatas ſigillo Auguſtenſi oſtendit, interrogando, an illa cognoſcerent? At illi ſe bene cognoſcere affirmabant. Cæſar, obſervaſtis illa? Primo tacuere: deinde reſponderunt: Nos omnem diligentiam adhibuimus. Cæſar, qualem diligentiam adhibuiſtis, bene ſcimus. Scitis, quid requirit, quando quis literas, & ſigillum non obſervaverit? Nos volumus antiquam veram fidem catholicam obſervare, & manutenere, nobis date reſponſum, cujus intentionis eſtis, & utrum noſtro mandato parere vultis? At Senatores dilationem petivere usque in alterum diem: quæ dilatio illis conceſſa. Et ſequenti nocte concilium habuere pœne per totam noctem, ſubſequentique die ſenatum magnum convocare, & apud S. Petrum Miſſam cantare fecerunt, ubi antiquo more omnes interfuere. Unus autem Senator a Cappellano Reginæ Hungariæ interrogatus, quamdiu officio Miſſæ non interfuiſſet

fuiſſet Evchariſtiam videndo? reſpondit: in ſex annis. Deinde Auguſtenſis Senatus Cæſari reſponſum dedit, ſe in omnibus mandatis obtemperaturum.

Deinde Senatus Auguſtenſis mandavit omnibus civibus a minimo usque ad maximum, ut quando campana Sturmglogg pulſaretur (relaxantes priſtinum mandatum, quod omnes in domibus maneant) omnes Capitaneos ſuos armati accedant; & inſuper Capitaneis ſecreta commiſſio injuncta eſt.

Cæſar in unum congregari fecit omnes Nuntios & Oratores civitatum Imperialium, quibus denuntiavit, omnino ſe velle, ut vitam chriſtianam more antiquo ducant: quibus etiam in omnibus SS. literis ſatisfecit, ſi ſaltem ſanis conſiliis acquieſcere voluiſſent: erant autem Argentinenſes, Conſtantienſes, Memmingenſes, & Lindavienſes doctrina Zwingliana totaliter obcæcati.

In die S. Calixti Cæſar in præſentia Principum a civitatibus ad perlecta capitula ſui erroris reſponſum petiit; civitates autem reſcriptum capitulorum lectorum petiere. Cæſar autem id negavit: ſed ſi ſuum edictum, mandatum, & reſponſum ſacris literis fundatum iterum audire vellent, id S. M. concedere vellet. Cancellarius autem Colonienſ. Archiepiſcopi a civitatibus

bus in advocatum accitus, Cæsari jussu earum respondit: quod omnes civitates adhuc non sint deliberatæ pro danda responsione. Cæsar: Quæ civitates? Cancellarius: Augustenses, Ulmenses, Francofurtenses, & Hallenses. At Cæsar admirans civitates has jussit altera die dare responsum.

Eadem die magnus Senatus Augustensis in simul congregatus est: cumque eadem die non satis deliberatus esset ad responsum, a Cæsare longiorem terminum ad respondendum postulavit. Cum autem Cæsar aliis tribus civitatibus instaret pro responso: ex quo Augustenses, qui in præsentia essent omnes in unum congregati, hactenus responsum non dedissent, multominus illi possent, cum solummodo potestatem haberent, eisque opus esset ad Senatus suos rescribere, & quid eis in hac re placeret ad respondendum, explorare. Demum Hallenses Cæsaris mandatum acceptarunt, Ulmenses, & Francofurtenses in pertinacia permansere.

Augustenses vero quinquies magnum Senatum congregaverunt, ac demum in die Simonis & Judæ finale responsum negativum dederunt, quamvis prius consenserant. Recusabant enim restitutionem anniversariorum, Lampadarum, Ampullarum, & id genus pecuniamque illam deputare vellent in Eleemosynam ad bursam pauperum. In aliis vero vellent se taliter habere, & exhi-

bere, quod C. M. inde complacentiam haberet. In illa die Principes soli consilium habuere in domo capitulari Ecclesiæ B. M. V.

Eo tempore Augustæ ante ædem B. M. V. circa horam 7. noctis Thecam unam unius Norimbergensis refertam libris Lutheranorum ignis invasit valore ultra 200. fl. & omnes in favillas & cineres redegit.

Sabbato die in festo S. Elisabeth post horam tertiam post meridiem Imp. Carolus, Rex Ferdinandus, Electores, Principes, ac status omnes senatoriam domum ascenderunt, & ibidem in præsentia omnium lecta sunt 80. folia, continentia, quæ in diæta illa per Cæsarem, Electores, & Principes ordinata atque statuta sunt, pro fide catholica observanda, antiquo more usque ad futurum concilium, quod in sex mensibus per urbem cum denominato loco literis publicari debet, & exinde subsequenti anno inchoari. Interim debent omnes in doctrina christiana antiquo ritu stare; Monasteria, collegia, Ecclesiæ suis possessoribus restitui; Monachi, Presbyteri uxorati, & Moniales ubique expelli. Constitutum est, ut generalis pax observetur, & nullus alium vi armorum invadere audeat, sed lis & controversia hujusmodi in judicio dirimi debent, ut eo fortius Turcis bellum inferri possit.

Anno

Anno Christi MDXXXI.

Carolus Imperator Natalem Domini Coloniæ celebravit cum magna frequentia omnium Electorum atque aliorum multorum Principum, ad eligendum novum Rom. Regem Consortem Imp. jussu Caroli Imper. Noluit autem Carolus Imp. electionem novi Rom. R. Francofordiæ celebrare, consensu simul & Consilio Rom. Pontif. Legati Campegii Cardin. Electorum omnium, atque aliorum Principum, juxta antiquam consuetudinem, & tenorem Bullæ aureæ, propter obstinationem in falsa doctrina Lutherana, qua ipsi Francofurtenses infecti erant, & Cæsari rebelles, nec ejus aut aliorum statuum sanis consiliis acquiescere volentes. Itaque in Vigilia Epiphaniæ Coloniæ Ferdinandus Rex Hungariæ, & Bohemiæ, in Romanorum Regem unanimiter a quinque Electoribus Alberto A. Mogunt. Hermano A. Colonienſi, Joan. A. Trevir. Ludovico C. P. Joachimo March. Brandenburg. electus, & 11. Jan. Aquisgrani ab A. Colonienſi coronatus est.

Convenerant eo tempore Principes Lutherani, & civitates aliique eorum adhærentes in civitate Schmalkalden, quæ sub ditione est Joannnis Ducis Saxoniæ, atque Landgravii Hassiæ, & Wilhelmi C. de Hennenberg, ibidem tractantes, quomodo impedi-

pedire posſent, ne Frater Caroli Imp. Ferdinandus in Rom. Regem eligeretur. Miserunt itaque ad Coloniam Joan. Fridericum Electoris Joan. Ducis Saxoniæ filium cum 150. equitibus. Is Dux Saxon. eo die, quo electio novi Regis Coloniæ celebrari debebat, & Carolus Cæsar Eccleſiam adiret, loco Patris sui ante Imp. enſem portavit: & poſt Miſſam cum Electores pro electione novi Regis Capellam intrare vellent, Joan. Fridericus D. Sax. Electores acceſſit, & publice de loco electionis, & contra electionem Ferdinandi Regis proteſtatus eſt, afferens eandem eſſe contra ordinationem & ſtatuta aureæ Bullæ. Electores autem ejus proteſtationem non curantes, Capellam intraverunt, & concordantibus votis Ferdinandum in Rom. Regem eligentes publice exinde proclamando, populo publicarunt.

Baſileenſes & alii Helvetii occiderunt 1500. Anabaptiſtas, qui ſe in uno cuneo congregaverant. In Höchſtetten 6. viri Anabaptiſtæ decollati ſunt; & certi dimiſſi, qui errorem revocaverunt. Et hi, qui fuerunt dimiſſi, dicebant, ſe ab antiquo viro rebaptizatos fore, & exinde confeſtim ab oculis illorum evanuiſſe, affirmabantque illuſionem diabolicam fuiſſe. Talem illuſionem diabolicam affirmabant certi viri ex pago Aislingen, ubi circiter 300. Anabaptiſtæ convenerant. Qui ab equitibus Ligæ Sueviçæ diſſipati ſunt.

Sabba-

Sabbato ante *Lætare* in oppido Gundelfingen 3. mulieres Anabaptiſtæ in aqua ſubmerſæ ſunt, & vir unus decollatus. Ex urbe Laugingen ultra 30. viri & mulieres educti ſunt, ejusdem farinæ, in perpetuum exilium. In una navi 53. viri & mulieres Anabaptiſtæ ex Ulma atque Laugingen, deſcenderunt per Danubium Moraviam adire volentes, qui omnes in Straubingen capti ſunt per Wilhelmum Ducem Bavariæ. Qui cum viderent, quod ipſi omnes ad mortem adjudicarentur, errorem omnes revocaverunt, præter tres, qui decollati ſunt, ceteri autem dimiſſi ſunt ſatisfactione accepta.

Volfgangus Wogelman Burgravius Auguſtenſ. vir Grandævus honeſtus in multis expertus, facundus & prudens, qui ad certos annos antea fuerat Scriba primarius, ſeu alio nomine Cancellarius Memmingenſ. Senatus, deinde Secretarius Epiſcopi Auguſtenſ. & demum Auguſtæ ab eo Burgravius inſtitutus eſt. Is Burgravius in diæta Auguſtenſi Imperiali a Cæſare impetravit pro filiis Præcepturam, & adhuc unam Præbendam in urbe Memmingen. Ipſi autem Memmingenſes odio habebant ipſum, eoquod ex ipſorum ſervitio recedens, ſe in curia Epiſcopi Auguſtenſ. officio mancipaſſet, cum illorum omnia ſecreta ſciret, & & ipſi Memmingenſes hæretici Zwingliani, manifeſte Cæſari rebellaſſent obſtinatiſſime, timebant, ne forte ipſe Burgravius, cum

quo-

quotidie apud Cæsarem versabatur, eorum secreta ad aures Caroli Imp. deduxisset, quare ei maxime insidiabantur, quod eum non latebat. Quare a Cæsare quoque impetravit salvum conductum sigillo & subscriptione propria manu Cæsaris munimine litteras roboratas, ne Memmingenses ipsum Wolfgangum Wogelman verbis aut factis offenderent in corpore, aut rebus, aut ei impedimentum præstarent, quando illorum urbem intraret, accipiendo possessionem præfatorum beneficiorum, loco filiorum. Dominica itaque die post festum Epiphaniæ ipse Wolfgangus Wogelman contra consilium multorum post horam 10. diei Memmingen intravit, secum habens Cæsareum salvum conductum, eademque hora captus, & confestim ad torturam ductus est, eique objecerunt, quod ejus delatione & traditione occasionem præstitisset Proceribus Ligæ Suevicæ, quod in seditione rusticorum 12. viri cives Memmingenses ab eis decollati sint. Qui respondit: verum esse, quod seditiosos hos denominavit, id autem eum non alia caussa feciſſe, nisi ob rempublicam & quietem Memmingensem, quemadmodum ipsis & etiam suevicæ Ligæ juramento adstrictus, mancipatus erat: Tortus autem suspendio variis pœnis fuit per medium illum diem, & totam noctem. Quare coactus confiteri ex pœna inflicta ad eorum beneplacitum, quæ nunquam antea mente conceperat, aut cogita-

gitaverat, ſicuti poſtea publice revocavit, & publicavit, antequam decollaretur. Et vix dimidia hora antequam decollatus eſt, ſuſpendio tortus eſt. Eum itaque in ſpatio 24. horarum in ſalvo conductu cæperunt, pœnis examinaverunt, & ſine proceſſu juris morti adjudicaverunt. Fuit autem bonis filiis ornatus; Primogenitus fuit ſcriba Senatus in Laugingen, qui pro Patre interpellavit apud ſuevicam Ligam in Nördlingen congregatam. Alter filius Secretarius Landgravii Haſſiæ, apud certos Principes; alii filii apud C. M. pro crimine læſæ Majeſtatis.

Auguſtæ poſt Epiphaniæ, eo tempore, quo Senatus renovari ſolet, octo honeſti viri Catholici de antiqua fide ex Senatu excluſi & depoſiti ſunt, & alii de nova fide electi.

Prope Auguſtam in ſilva *Aycheloch* convenerunt ultra 200. Anabaptiſtæ, & ibidem per duos dies prædicaverunt, exieruntque in curribus & equis, atque per pedes viri & mulieres ex Auguſta ad eos, illos videre, & audire volentes Dominica *Septuageſimæ*.

Dominica *Sexageſimæ* Anabaptiſtæ venerunt prope Auguſtam ad patibulum ſummo mane, & ibidem prædicare cæperunt. Cumque ex urbe viri & mulieres eos accedere vellent, a Senatu prohibiti ſunt. Et ſolummodo 4. majores portæ apertæ ſunt, quæ

&

& cum multis cuſtodibus conſervatæ ſunt, ne eos aliquis adire poſſet. Magiſter civium Magnus Seitz cum equitibus urbis ad eos acceſſit, juſſitque poſt prandium abire.

Dominica *Reminiſcere* Auguſtæ venerunt 10. viri & 3. mulieres de Secta Anabaptiſtarum hora prima ad domum prædicationis Monaſterii S. Udalrici, & ibidem in magna frequentia populorum prædicaverunt 5. viri unus poſt alium uſque ad veſperas. Bis autem ſeditionem concitaverunt. Quare Præfectus urbis cum ſervis ſuis eos acceſſit, & captivos ad carcerem duxit. Quatuor autem viri, & 3. mulieres, eos ſubſecuti ſunt, clamantes: quod etiam de eorum ſocietate eſſent, petentes, ut etiam cum eis incarcerarentur, quod & factum eſt. Maxime prædicando clamabant adverſus Lutheranos dicentes: quod Senatus eos pati non deberet: & quod juſſione multorum prædicaſſent, ajebant: ut qualis doctrina illorum foret, palam facerent, cum a Præfecto caperentur, plebs Auguſtana fugam iniit, ac ſi turbo pulveres diſpergeret.

Auguſtæ ſubſequente hebdomada capti ſunt ultra 40. viri & mulieres Auguſtenſes, qui Anabaptiſtas hoſpitaverant, atque de eorum Secta erant; qui exinde extra urbem in exilium miſſi ſunt.

Auguſtæ Præfectus urbis Feria ſexta ante *Lætare* per plateas urbis incedens præconis

conis voce proclamari fecit: si quis Augustensium Anabaptistam in hospitium susciperet, vel victum administraret, hunc Senatus punire vellet in corpore & bonis suis.

In pago Zussmarshausen ejusdem farinæ 3. viri decollati sunt, & 6. mulieres juvenculæ in aqua submersæ sunt.

In octava Epiphaniæ equites Suevicæ Ligæ comprehenderunt in curia rusticana prope Alen nomine Manteldorff 17. Anabaptistas, qui omnes simul in præfata domo inclusi, igne consumpti sunt, cum omnibus habitaculis, quæ ad curiam ilam pertinebant. Et ipse rusticus paterfamilias illius curiæ cum duobus filiis in arbore suspensus fuit, eoquod ipsos hospitaverat.

Liga Suevica ordinavit 1000. equites ad requirendum & occidendum Anabaptistas.

Interim quo Joachim Marchio Brandenburgens. in Imperiali Augustensi diæta fuit, *Stendalienses* in absentia sui Principis (urbs enim *Stendel* proprio jure ad Marchionatum pertinet) Lutherani facti sunt. Et insuper Clerum atque Ecclesias spoliaverunt. Quare Joachim Marchio Brandeb. ex Augusta filium suum Joachim ad Brandenburg. misit, ut *Stendalienses* compescceret, reosque vinculis manciparet, quousque ille ex diæta suum Principatum adiret: curam insuper haberet, ne aliæ ejus civitates etiam talia præsumerent. Junior itaque Marchio in patriam

triam reverſus mandatum patris fideliſſime proſecutus eſt. Stendalienſes itaque poſt reverſionem Joachim antiqui Marchionis tali modo puniti ſunt. In Feſto Paſchalis, principales 22. viri pœnituerunt, qui nudipedes, & nudo capite, gladium nudum una manu, baculum album altera geſtantes manu, in proceſſione circuire coacti ſunt. Et reſarcient Clero damna illata. Et dederunt emendam Joachim Marchioni Brandeburgenſi Principi Electori 10000. fl.

Eodem tempore convenerunt in Magdeburg civitates Saxoniæ, conſuluere invicem, quid illis facto opus eſſet? concluſerant ibidem illi de Goſſaria & de Göttingen, & de Hildeſem, & Havonaria cum illis de Embeck, quod Cæſaris juſſionibus obedire velint. Sed Magdenburgenſes & Braunſwicenſes in ſolita malitia obdurati permanſerunt: Lubeccenſes plus aliis inſanire cæperunt.

Falſus rumor venit in Biberach urbem poſt Feſtum Paſchæ, quod Ulmenſes deſtruxiſſent omnia Altaria Eccleſiarum, Miſſasque celebrari in futurum prohibuiſſent. Appoſuerunt & ipſi manus, ac Altaria deſtruxere, imaginesque SS. fregerunt, Lutherizantes, contra promiſſionem Carolo Imperatori factam. Cum autem comperiſſent, ſe vaga relatione deceptos fuiſſe, Ulmæque adhuc omnia Altaria integra fore (cum Biberach

berach tantum 4. milliaria ab Ulma distaret) cives in seditionem inde concitati boni Catholici cum Lutheranis, eoquod Ecclesias profanassent, multi ex utraque parte vulnerati & occisi sunt.

Idem fecerunt oppidani in Waldsee, quæ dum generosus D. Georgius Truchses de Walpurg oppidi Dominus comperisset, 40. equites ad Waldsee misit ex Stutgardia (eoquod ibidem residentiam, veluti Gubernator Ducatus Wirtembergens. habebat) ut postquam Waldsee ingressi essent, excubias urbis cum his civibus, qui recte de fide Catholica sentiebant, ubique ad portas custodiam observarent. Quo facto vellet eis eadem die de sero equitatum transmittere, quo omnes Lutheranos transgressores castigare, captivare, & occidere possent, secundum demerita illorum; cum autem 40. equites Waldsee intrassent, mox oppidani portas urbis clauserunt, timentes prævaricationem illorum ulcisci a suo domino irato: & armata manu contra 40. equites insurrexerunt, eosque usque ad unum neci tradiderunt. Equites autem videntes se propter fidem Christi morti destinatos, viriliter agentes, & ipsi multos oppidanos occiderunt. Cum autem post vesperas Equitatus a Georgio Truchses missus ad Waldsee, nec intrare valentes audientes rebellionem civium, ac stragem equitum, ad Dominum suum reversi sunt; qui exinde tantum dolo-

rem concepit, quod infra 14. dies finem vitæ fecit: lecto decumbens mortuus est.

Moniales in oppido *Gundelfingen:* Ord. S. Augustini omnes unanimiter de Monasterio exierunt, sæculares effectæ sunt, matrimonia contrahentes. Inter quas duæ septuagenariæ extiterunt, relinquentes Monasterium & bona illius Principi civitatis Othoni Henrico Palatino. Princeps vero Otho Hainricus bona Monasterii sibi usurpare nolens, cum postea Senatus Ulmensis tanquam hæretici omnem cultum divinum evertissent, & Clerum ejeciissent, Moniales in oppido *Geislingen* quoque effugaverunt; quas Otho Hainricus Palatinus pie suscepit, & in Monasterio *Gundelfingen* collocavit, & eis omnia bona Monasterii assignavit. Ulmenses dederunt omnibus Monialibus in simul pro illarum sustentatione 2000. fl. una vice tantum: & hanc pecuniam secum ad Gundelfingen detulere; erant enim inter illas multæ nobiles personæ.

Ulmensis Senatus convocavit ad Ulmam Oecolampadium, Zwinglium, Buzerum Archihæresiarchas cum suis altilibus ultra 100. Et post habitum conciliabulum circa Festum Joannis Baptistæ præcepit Senatus ibidem, ut omnes rurales sub pœna 16. cruciferorum, sermonem præfatorum hæreticorum adirent. Deinde isti pseudo-prædicatores per Magistrum civium Ulmensem Bernardum

ardum Beſerer in ditione Ulmenſium ducti ſunt de oppido ad oppidum, de pago ad pagum, ut ſenes ac decrepiti viri atque mulieres ſimul & juvenes pſeudoprophetarum communionem ac falſam doctrinam audirent, arbitrans ſe obſequium præſtare Deo, ut omnes ſubditos ſeduceret, ſicuti ipſe cæcus ſeductus fuerat.

Cumque ad oppidum Gaislingen veniſſent, rogabant incolæ omnes, in communi, ut permittantur vera Catholica fide in pace frui, alias alium Dominum quærere velint. Sed apud Ulmenſes nihil obtinere valuerunt, ſed excluſo Plebano ibidem viro doctiſſimo, & honeſto cum omni Clero, Lutheranam & Zwinglianam Sectam inſtituerunt, ac deinde Eccleſias profanantes, omnia Altaria deſtruxerunt. Taliter in Leipheim, Alpeck, Nau, & aliis villis eis ſubiectis fecerunt.

Ulmenſes in Comitatu Helenſtain æque facere ſtatuerunt, ſed oppidani in Heidenheim, & Abbates Monaſteriorum atque villani in Brenzenthal id facere recuſarunt, aſſerentes Comitatum Helenſtain Ulmenſibus non venditum ſeu emptum, ſed ſolummodo impignoratum fore, & ſpectaret ad Ducatum Wirtembergenſem, ejusdem Ducatus Rectores (quos vulgus Regentes nominat) accedere vellent, & de hac re eos conſulere, alias a tramite veræ fidei Catholicæ atque norma veritatis recedere nollent.

Bernardus Beſſerer Magiſter civium fuit obſtinatiſſimus Zwinglianus, & caput omnis mali. Is in Senatu Ulmenſi egit, quod filius ejus, fratres, amici, & affines ejus, contra conſuetudinem communem a Senatu in conſules, Senatores, atque judices electi ſunt. Electi quoque ſunt in Conſules & Senatores Apoſtatæ Sacerdotes, qui Matrimonium contraxerant.

His omnibus peractis Ulmenſis Senatus convocavit omnem Clerum, inhibuitque eis, ne ultra Miſſas celebrarent. Æque fecerunt in villis ſuis ſub pœna capitis, & Laicis prohibuerunt, ne Miſſas audirent ſub perpetuo exilio ab urbe Ulma. Quo facto Senatus elegit 200. viros, quos ad Eccleſiam Parochialem B. M. V. miſit, ubi erant ultra 70. Altaria, & valde pretioſæ tabulæ, ut omnia Altaria everterent, tabulas atque imagines SS. confringerent, Organum conquatiendo, ad terram dejicerent, domumque lapideam valde pretioſam ubi V. S. locatum fuerat, in acervum minutatim præcipitarent. Dicitur tamen hæc interventu cujusdam integra permanſiſſe. Sicque factum eſt opera diaboli, ut tam egregia opera tabularum atque imaginum valore ultra centena millia aureorum, in tribus diebus omnia deſtruerentur, frangerentur, & profanarentur, quod vix credibile ſit, ut tantum laborem in 14. diebus perficere valuiſſent; ſicque ſpeluncam latronum erexerunt.

Sena-

Senatus Ulmenſis omnes Religioſos convocavit, eis mandans, ut in certo termino præfixo, ipſimet in ſuis Eccleſiis ſua Altaria, & omnes imagines SS. confringerent, alias Senatus vellet contra eos procedere, tanquam contra rebelles. Cumque Religioſi coacti id opere perfeciſſent, iterum ad Senatum vocati ſunt: quibus Senatus perſuaſit, ut habitum deponerent, exinde vellet eis Senatus proviſionem conſtituere.

Prior Ordin. Prædicatorum cum certis fratribus id recuſavit, Stutgardiamque adiit, & ibidem ſe Conventui ſui Ordinis ſe adjunxit, & antea quæcumque pretioſa ſui Monaſterii & litteras teſtimoniales cenſuum, decimarum, atque prædiorum ex Ulma occulte eduxit. Quod cum Ulmenſis Senatus percepiſſet, ægre id tulit, & prohibuit ſub graviſſima pœna in ditione illorum, ne quis cenſum aut redditus Fratribus de Ordine Prædicatorum perſolveret, ſed ipſos redditus ac cenſum Cameræ Ulmenſ. Senatus perſolverent. Fratribus de Ordine Prædicatorum, qui apoſtataverant, dedit Senatus unicuique ſolummodo 10. aureos, ut cum his quilibet artem apud Mechanicum addiſcere poſſet, unde victum ad ſuſtentationem quærere poſſet.

Prior Ulmenſis & ſui Fratres de Ord. Prædic. aſcripſit, & dedit omnes cenſus & redditus ſui Monaſterii in Ulma, Monaſte-

rio in Stutgarten. Et exinde auxilio Ferdinandi Regis acceſſit Carolum Imperatorem, ſupplicans S. M. ut cum Senatu Ulmenſi ageret, quatenus permitterent redditus & cenſus ſui Monaſterii Fratres in Stutgarten ſublevare, & percipere, ubi ipſe & ſui fratres alerentur. Aſt Imperator his auditis ſcripſit ad Ulmenſem Senatum, ut ſub maxima pœna, & privatione omnium Privilegiorum, illorum ablata reſtituerent, & ne ultra redditus atque cenſus illorum percipererent, ſeu arreſtarent, ſed eos ut prius levare & colligere permitterent. Quod coacti, involuntarii fecere.

Ulmæ Canonici Regulares in Monaſterio, vulgo S. Wengen, omnes Monaſterium præfatum Senatui ibidem una cum redditibus & proventibus reſignaverunt, idque litteris & ſubſcriptionibus ſuis manibus firmaverunt. Et exinde una die, videlicet in Feſto S. Afræ Martyris, omnem habitum Religionis depoſuerunt, præter unum Hieronymum Rem nomine, qui Podagra laborabat. Cui Senatus Ulmenſis nomine præcariæ omni anno omnibus diebus vitæ ſuæ promiſit 100. fl. & ſufficientes ſigillatæ litteræ ei datæ ſunt. Et hujusmodi centum floreni fideliter ei a Senatu perſolvuntur, ubicumque locorum fuerit. Ipſe fere per unum annum fuit Auguſtæ: Deinde adiit amicum ſuum Epiſcopum Labacenſem. Ceteris

teris Fratribus æque ſimilis precaria 100. fl. vel qui velint uxores ducere, ſeu alias libentius promptam pecuniam habere, dedit Senatus 500. fl.

Præpoſitus illorum ante certos dies conceptum Senatus Ulmenſis conjecturans, cum clinodiis, privilegiis, litteris cenſuum, & reddituum, atque grandi ſumma pecuniarum, clam ex Ulma profugit ad *Plaubeuren:* Nam habitum Religionis deponere nolebat, ſperabatque, quod Fratres ſui Conventus id quoque facerent, ac fuga ipſum ſequendo, illum accederent, cum magnam ſummam pecuniarum haberet, eos ſecum ſuſtentaret, donec ipſe a Carolo Imperatore reſtitutionem impetraret, ſicuti etiam pro parte factum fuit, quamvis ſuus Conventus apoſtataverat.

Senatus Ulmenſis cum percepit Præpoſitum cum ſuo theſauro, atque litteris originalibus fuga elapſum, ſuſpicatus eſt id actum fore conſilio & auxilio duorum ſuorum Germanorum, qui cives Ulmenſes fuerunt. Quare a Senatu mox vinculis mancipati, & ante torturam minas inferendo interrogati ſunt, an fuga Præpoſiti fratris illorum, & ablatio rerum omnium de eorum conſilio aut ſcitu facta fuiſſet, de hac re veritatem dicerent. Qui jurejurando proteſtati, ipſis de hac re omnino nullum verbum conſtare. Deinde tortura interrogati ſunt: qui reſpon-

derunt ut ſupra. Scripſit quoque Præpoſitus ad Senatum Ulmenſ. excuſans Fratres ſuos de innocentia illorum, proteſtans ſe ignorantibus Fratribus ſuis abiiſſe, ſecumque pecunias, & alia quæque ſui Monaſterii pro ſuſtentatione Conventus ſui ſecum portaſſe. Ulmenſ. Senatus his auditis Fratres Præpoſiti ex carcere libere exire permiſit.

Senatus Ulmenſis in urbe Ulma omnes Capellas ad ſolum depoſuere, quorum lapides vehi fecerunt extra urbem: & ex his fortalitia, atque craſſum murum per gyrum urbis fecere. Altas quoque turres depoſuerunt, omnia conſtruxerunt deſervientia ad bellum.

Die 22. Auguſti, videlicet ſexta in nocte luceſcente in Sabbatum filius Magiſtri civium Udalrici Rechlinger, qui & ipſe Udalricus vocabatur, imagines & Crucifixum Capellæ S. Othmari Auguſtæ juxta Eccleſiam S. Crucis in fruſta concidit una cum uno ſervo, & poſtea illa fruſta repoſuere ante januam domus Portenarii vulgo Klöckerthörlin, qui erat bonus Catholicus, & ſic clam abierunt. Portenarius de mane conſurgens, cum fracturas imaginum ante ſuam domum inveniſſet, ad domum Magiſtri civium reportavit. Et in Vigilia Aſſumptionis B. V. M. mane filius Udalrici Rechlinger incarceratus eſt. Servus autem ejus evaſit.

Sab-

Sabbato post Bartholomæi monialis N. Rechlingerin ex Monasterio S. Catharinæ Augustæ clam aufugit; similiter etiam non longe postea alia monialis N. Gözenhoverin ibidem quoque aufugit.

Christophorus de Bobingen Augustæ in Ecclesia B. M. V. suas primitias celebravit, ac immediate altera die apostatavit, uxorem ducens nuptias publice habuit cum solemnitate.

Vicarius unus Ecclesiæ S. Maritii Aug. de Kauffbäuren nocte comprehensus cum una fœmina decumbens in domo, ubi frumenta venduntur, circa Festum omnium SS. & a Servis Augustens. deprehensus, in domuncula vulgo Narrenhäußlein incarceratus est. Idem Sacerdos Dominica secunda Adventus iterum nocte in meretricio deprehensus, in præfatam custodiam inclusus fuit: ubi die facto magnus concursus populi fuit ad videndum: ubi magnam confusionem & derisionem passus est. Sed exinde dimissus non se emendavit, amore cæcus, in die Innocentum nocte iterum deprehensus, ex urbe eductus est, in ævum nunquam intraturus.

Anno

Anno Christi MDXXXII.

Abbas S. Galli a quinque Cantonis integraliter ad suum Monasterium, & ad omnia bona monasterii restitutus est, & subditi sui in Valle Rhenana, vulgo Rheinthal, & in Turgon, atque in Comitatu Tockenburg, Rorschach, & oppidum Weil Abbati de novo juramentum fidelitatis, & subjectionis præstiterunt. Abbas cum Senatu oppidi S. Galli longam controversiam habuit, Turegienses enim vendiderant Monasterium S. Galli civibus & Senatui ejusdem oppidi S. Galli pro 27000. fl. qui cedere nolebant. Sed tandem ab injusta emptione cedere jussi sunt a quinque Cantonis. Intravit itaque Abbas in suum Monasterium, atque urbem S. Galli Feria sexta ante *Dominicam Oculi.* Deinde Sabbati die Ecclesiam suam a spurcitiis mundavit. *Dominica Oculi* Abbas in suo cænobio Missam celebravit. Pro damno illato, ob destructionem in Ecclesia Altarium, Sedilium, Dormitorii, & Officinarum, ac rerum domesticarum utensilium, ablatarum, Abbas in satisfactionem & recompensam postulavit a Senatu, & incolis oppidi S. Galli 80000. fl. Mediatores autem partium ambarum per amicabilem contractum Abbatem induxere, quod pro damnis illatis 10000. flor. accepit.

Sena-

Senatus Auguſtenſis per aliquos deſtinatos Senatores Priorem & Conventum Mon. Prædicatorum acceſſit, ubi ſolummodo tres Conventuales erant, qui voluerunt per inventarium conſcribere utenſilia domus, clinodia, & calices, una cum ornatibus Sacriſtiæ, & alia omnia quæque, quæ ipſi habebant, & ſublevabant in redditibus, & cenſibus. Et exinde intendebat Senatus mobilia ſub ſuis clavibus conſervare. Quod Prior & Conventus recuſavit; ſicque cauſſa illa ſub indignatione quievit. Fr. Simpertus Taxter Auguſtenſis filius Scabini honeſti viri, Conventualis magnum Zelum, & Conſtantiam in hac re pro conſervatione ſui Monaſterii oſtendit. Quare & contumeliam reportavit.

Auguſtæ in die Paraſceves campanæ pulſatæ fuerunt apud S. Mauritium, & S. Annam contra conſuetudinem Eccleſiæ ad Lutheranorum prædicationem.

Auguſtæ ex fæce Lutherana & Zwingliana emerſit magna Societas Sodomitarum. Inter quos principalis civis locuples, Sigismundus Welſer (qui pulchram uxorem habuit) extitit. Is in Sodomiticum actum carpentarium unum ex Oberhauſen habuit, qui ambo accuſati cum aliis multis Turegum, & ad alia loca aufugerunt. Ille Sigismundus Welſer antea Lutherana fæce taliter infectus fuit, quod nocte in Eccleſia Minorum

rum Altare & Crucifixum deſtruxit, prout Superius in ſuo loco annotavi.

Auguſtæ Feria ſexta poſt Feſtum Paſchæ capti fuerunt duo Sodomitæ, Bernardus Opſer, & unus fricator: qui Sabbato poſt Bonifacii decollati ſunt, & poſtea per ignem in cineres redacti.

Auguſtæ quoque captus fuit propter peccatum ſodomiticum Scholaſticus S. Georgii; qui propter magnas preces vita donatus fuit: ſed ſuper ipſum in eductione de carcere campana vulgo Sturmglogg pulſata fuit, ac poſtea ei ſiniſtra manus abſciſſa.

Auguſtæ Feria ſecunda Rogationum Proceſſione finita D. Chriſtophorus Schmid de Zuſmarhauſen oriundus Viceplebanus Eccleſiæ S. Mauritii a Senatu captus eſt. Qui & eadem die bis dure tortus, in libra ſuſpenſus requiſitus fuit, an ſi etiam peccatum ſodomiticum commiſiſſet, prout ab aliis in tortura de ipſo adductum fuit. Is negavit ſe peccatum ſodomiticum commiſiſſe, ſed confeſſus eſt, ſe nunquam horas Canonicas orando perſolviſſe; & ante celebrationem Miſſæ vinum ſublimatum bibiſſe, atque farcinulas comediſſe. Altera die Senatus Auguſtenſis Sacerdotem illum carro imponi fecit, ferreis catenis ligatum, cum novem equitibus Epiſcopo captivum ad Dilingam transmiſit. Epiſcopus quoque Sacerdotem

dotem illum pœnaliter de ſuis exceſſibus interrogavit. Demum precum inſtantia a patre illius Sacerdotis, fratrum, amicorum, & fautorum porrecta, poſt Feſtum S. Joannis Baptiſtæ a Carcere libere dimiſſus eſt tali ſub conditione: quod ultra omnibus diebus vitæ ſuæ diœceſim Auguſtenſem non intret, & in ſpatio ſex annorum Altare non accedat ad Miſſam celebrandam. Et in hac re pro majori cautela, pater ipſius ſe obligavit, fideique juſſorem ſeipſum pro filio conſtituit.

Eodem tempore ex civitate Laugingen educti fuerunt 20. viri & mulieres nunquam reverſuri propter Lutheranam fæcem.

Carolus Imperator diætam Ratisponæ ad Feſta Paſchalia omnibus Statibus R. I. indixit: deinde cum Fratre Rege Ferdinando, Palatinis, & nonnullis aliis Principibus Ratisponam intravit; & Feria quarta poſt *Miſericordia Domini* Ratisponenſis diæta cum prima Seſſione incæpta eſt. Zwinglianæ civitates in illa diæta non comparuerunt. Lutherani Principes interim quo diæta Ratisponæ eſt habita, non comparuere perſonaliter, ſed per Oratores, & non cum plenaria facultate ſuorum Principum, contra edictum Cæſaris, ut miſſi Oratores Principum atque civitatum plena poteſtate fungerentur, ſine relatione & requiſitione.

tione. Qua ex re Cæsar omnibus adveni-entibus, & abeuntibus ad diætam illam sal-vum conductum promisit usque ad lares proprios. Oratores vero talium comparue-re, non ut potestate, a quibus directi fue-rant, Officio fungerentur, sed & plus ma-gis, ut adverterent, quæ ibidem ventila-rentur. Quæ cum Cæsar cum Rege, & aliis certis Principibus conspiceret, cau-tius egerunt, ita, quod nullus illorum in-tentum explorare potuit, etiam intimi a Secretis Consiliarii.

Qua ex re Lutherani Principes cum 60. Civitatibus Imperialibus diæta Ratisponen-si durante, in *Schweinfurt* convenerunt, & ibidem usque ad Festum S. Georgii perman-serunt. Ad quos Carolus Imperator dest-navit Illustrissimos Principes Electores Al-bertum Archiepiscopum Moguntinensem, & Ludovicum C. P. una cum Fratre Fri-derico, & nonnullis aliis Principibus, qui nomine S. M. cum ipsis agerent, ut in su-am gratiam, atque ad unitatem Eccleside redirent; quid autem ibidem actum aut concluſum sit, ad aures vulgi non pervenit. Sicque illa Conventio in *Schweinfurt* so-luta est.

Anno

Anno Christi MDXXXIII.

Augustensis Senatus Sabbato die in Festo S. Ignatii ex Mon. Fratrum Minorum ibidem exportare (fecerunt) 2. onustas quadrigas cum ornatibus optimis Sacerdotalibus, quos ut rumor vulgi fuit, vendiderunt, pretiumque pauperibus erogaverunt.

Eadem die Magistri Zechæ Ecclesiæ S. Mauritii Augustæ, quorum principalis Marcus Ehem fuit, Sacristiam ibidem ad Parochiam pertinentem clauserunt, ac ædituo ad præfatam Sacristiam claves abstulerunt, & primam Missam de mane in aurora abrogarunt. Et ad Missæ decantationem in Altari Plebani vulgo Frühemeß, quæ expensis DD. Fuggerorum quotidie more antiquo celebrabatur, ornatum & luminaria ne administrarentur ab ædituo inhibebatur. In die Paraſceves ne imago Salvatoris ad sepulchrum locaretur antiquo ritu, inclusum seris servaverunt. Fuggeri itaque locum iræ dantes, administraverunt calicem, ornatum, luminaria, & omnia necessaria Altaris pro celebratione Missæ.

Dominica *quasi modo*, Prædicatorem ibidem more antiquo de domo prædicationis, ne deinceps sermonem faceret, expulerunt. Qui coactus, eadem die scilicet D. Georgius Storr in Ecclesia solummodo Evange-

lium pronuntiavit, & durante prædicatione, Canonici coacti sunt interim aliis divinis Officiis silentium imponere. Quod etiam successu temporis pertinaciter Parochiani observavere. Magistri Zechæ quoque Canonicis vexilla processionalia, & Monstrantias, ac alia quæque ad Altare Plebani spectantia, abstulerunt: & imaginem Salvatoris pro Ascensione Domini & Angelos & Columbam.

Antonius Fugger cum videret, Marcum Ehem civem Augustensem vesano, ac vafro Spiritu, viperina Zwinglianaque farina fermentatum, ac Zelo amaritudinis & livore repletum contra omnem antiquum ritum Ecclesiæ Catholicæ: iterum pro antiquis veris Catholicis Prædicatorem & Sacerdotem propriis expensis instituit, omniaque necessaria administravit, ut omnia Sacramenta in præfata Ecclesia Parochianis administrarentur. Et ne celebritas Ascensionis Domini intermitteretur, ad consolationem, gaudium, & devotionem antiquorum Christianorum, suis expensis occulte fieri fecit imaginem Salvatoris nostri in Iride, & duos Angelos, una cum Columba pretio 20. fl. Canonicos quoque ejusdem Ecclesiæ flagitavit, ne ob pavorem divinum cultum omitterent, sed antiqua consuetudine devotionibus Christi fidelium satisfacerent, eo quod ipse omnem temerariam

riam præsumptionem Marci Ehem abstulisset, suaque larga administratione, ob devotionem Catholicorum antiquorum omnem defectum suppleſſet. Quod illi volenti animo annuerunt. Hæc omnia cum Marcus Ehem valde obscure comperiſſet, suggestum Eccleſiæ ascendens sub tecto, testudinatum foramen, ubi imago Salvatoris per funes trahi solet in sublime, ligneis cancellatis repagulis atque ferreis obstrui fecit. Quod D. Antonius Fugger conspiciens, locum iræ cum silentio dedit, cum vehementi dolore, eoquod ipse videret devotionem populi, atque gaudium senum, juvenum, impuberum utriusque sexus cum luctu extinqui, & quod ipse majorem jurisdictionem in Eccleſia, quam Marcus Ehem haberet, eoquod esset perpetuus Collator ejusdem Eccleſiæ, & Marcus Ehem amovibilis, triennalis Magister Parochianus. Quam facultatem DD. Fuggeri multis expensis antea apud Sedem Apostolicam propter instantiam Parochianorum impetraverant.

In die itaque Ascensionis Domini peracto prandio Germani Fratres DD. Raimundus & Antonius Fuggeri, una cum certis amicis, fautoribus, servis, ac Clientulis suis, & structuræ illorum Magistris, Eccleſiam S. Mauritii intravere. Quæ utriusque sexus diversa, & ætate ac intentione repleta erat. Jussu itaque D. Antonii

Fuggeri Magiſtri ſtructuræ illorum, clauſam turrim quadam induſtria procurantes per ædituum reſerari fecerunt, & Eccleſiam aſcenderunt, magnoque ſtrepitu cancellata ferrea, & lignea repagula deſtruentes, foramen ac locum, ubi imago Salvatoris trahi deberet, aperuerunt. Quod cum Marcus Ehem id relatu percepiſſet, mox Magiſtrum civium, affinem ſuum, Udalricum Rechlinger adiit, eique intimavit ea, quæ Antonius Fugger facturus eſſet. Qui eidem reciproce mandavit, ut cito, ſed modeſte Eccleſiam S. Mauritii adiret, & ſi aſcenſio Domini non foret celebrata, imaginem Salvatoris in pavimento Eccleſiæ ſtare mandaret. Si autem aſcenſio Domini celebrata eſſet, cum ſilentio abiret. Imaginemque ſuperius ſtare permitteret. Interim autem, quo hæc acta ſunt, Aſcenſio Domini more antiquo celebrata fuit, & decantatio horæ nonæ incæpta. Hujusmodi autem Aſcenſio Domini taliter celebrata fuit, quod in quantum veri Catholici plus ob devotionem flebant pias lachrymas, & gaudebant: in tantum alii ex nova Secta in reprobum ſenſum dati, alios blaſphemando execrabantur, invocantes omnes dæmones ut adeſſent, cœleſtisque ignis quod deſcenderet, pro incineratione auctorum & imaginum. His peractis Marcus Ehem contra mandatum Magiſtri civium ſeditioſam catervam aſſumpſit, cum qua Eccleſiam S. Mau-

Mauritii intravit, ac in medio pavimenti Ecclesiæ in loco ubi Ascensio Domini celebrata fuit, per Gyrum suos cuneos vallavit, ac si certamen inire vellet. Exinde ædituum contumeliosis verbis ac inhonestis invasit, eumque percutere annisus est, eoquod januam turris in Ecclesia pro Ascensione aperuisset, clavesque Ecclesiæ irato animo ab eo recepit, sicque cum sua seditiosa societate semieductis gladiis, & pugionibus contra veros Catholicos stetit, parumque abfuit, quin evaginatis gladiis in invicem irruissent. Enimvero si solummodo unus gladium de vagina extraxisset, certamen progressum habuisset. Deinde Marcus Ehem elevata manu, extentoque digito versus Antonium Fugger clamavit: Prospice tibi, quia exinde reperturus es mercedem tuam. Ipsi autem Fuggeri antea Marco Ehem tanta servitia ac beneficia contulerant, amice tractando, ac si esset frater illorum, pro quo beneficio tam ingratum ipsum experti, quod vices rependit, sicut serpens in Gremio, ignis cum sinu, & mus in pera suis benefactoribus rependere solent. Postea Marcus Ehem cum sua factione in Choro Nonam cantantes Canonicos furore repletus adiit, contumeliosisque verbis eos invasit, & dejiciendo libros inibi cum suis magnum strepitum fecit, eosque confudit, quod a cantu cessantes, projectis superpelliceis, fugam inierunt. D.

Raimundus Fugger in principio hæc futura prospiciens, domum suam adiit. Paulopost etiam Frater ejus Antonius subsecutus est. Deinde Marcus Ehem coassumpto Fratre suo Hieremia Ehem, & sua caterva locum testudinis ascendit, adiitque, ubi imago Salvatoris & Angelorum locatæ fuerant, iterum ad pavimentum Ecclesiæ in funibus remisit. Quæ cum a pavimento in funibus pendentes, vix altitudine trium virorum exstarent, jussu, & opere Hieremiæ Ehem ex industria in terram cadere permiserunt, ac si fortuito casu id actum esset. Quo casu imagines in plures partes divisæ sunt. Præfectus autem Augustensis superveniens cum suis servis seditionem vi ac potestate sedavit, pacemque indixit. Deinde Marcus Ehem cum suis consilio inito, Ecclesiam clausit, clausamque per tres horas tenuit, quousque a Magistris civium ei mandatum fuit, ut Ecclesiæ januas iterum reseraret. Magistri civium miserunt ad Decanum & Canonicos ejusdem Ecclesiæ, ut Ecclesiam adirent, moreque consueto Vesperas atque Completorium decantarent. Deinde omnis Senatus per quinque dies congregatus, etiam Dominica die usque ad meridiem in conclavi sederunt conferendo, quid super hac re acturi essent.

Senatus Sabbato die D. Antonium Fugger, similiter & partem adversam, segregatim

gatim tamen, ut coram Senatu compare-rent, citaverunt, ut palam quælibet pars intentionem hujus Controverſiæ expone-ret. Quo facto, utræque partes ſine aliqua inculpatione in pace ad lares proprios re-dierunt. In octava Aſcenſionis Domini D. Antonius Fugger, ut coram Senatu com-pareret, vocatus eſt, eoque aſtante, liber, vulgo Stattbuech, publice lectus eſt, eique objectum fuit, ipſum anſam præſtitiſſe ad concitandam ſeditionem, & quomodo hu-jusmodi tranſgreſſores ex edicto, & tenore iſtius libri puniri debeant; cum eo tamen mitius agere velint, ob ejus (ac ſuorum) munificentiam, ac largas elemoſynas, quæ profuſe in pauperes, inopes, claudos ac debiles, in concives, & extraneos elargi-untur, pie adminiſtrando. Sed ne immu-nis evaderet, tanquam transgreſſor, ſe-quenti Feria ſexta, ſcilicet in Profeſto S. Petronillæ, deberet turrim Göggingerthuren intrare, ibique per 7. dies ac noctes perma-nere. Sed poſt biduum poſſit egreſſum u-namquamlibet diem ac noctem quinque flo-renis redimere, & poſtea domum adire. Cumque D. Antonius Fugger dilationem reſpondendi per Doctorem poſtulaſſet, ei denegatum fuit, ſed ut ipſe pro ſe, ſuaque transgreſſione reſponſum redderet, juſſus eſt; ſeu alium ex Senatu more aliorum ci-vium eligeret, qui ſuam intentionem pro-poneret. His auditis D. Antonius Fugger

brevi ac caſtigata oratione ſe abſolvens, a Senatu diſceſſit, & præfixo termino de ſero comitantibus duobus ſervis, turrim intravit. Qui poſtquam ſibi lectiſternia præparavere, abierunt, & ipſe Dominus Antonius Fugger ſolus remanſit. Circa horam 10. vero noctis cum lectum ad quieſcendum adiret, invenit male ſtratum, ac depoſitum. Quare neceſſitate coactus ipſemet Lectiſternia aliter locavit, ſtravitque: & in lecto permanſit uſque ad octavam horam diei, & ex tunc uſque ad horam prandii per pinnas ad hortos & campos oculos reflexit: altera autem die hora meridiana iterum domum ſuam liber adire juſſus eſt. Sicque Pater Patriæ pœnam luit, qui ſe ſicut verus Catholicus habuit, juxta Decretum C. M. & omnium Principum atque ſtatuum R. I. Et ipſe Marcus Ehem cum ſua cohorte immunis evaſit, qui bis mandatum transgreſſus fuerat, contra juſſionem Magiſtri civium faciendo, & ſeditioſam ſocietatem congregando.

Sacramentum Evchariſtiæ in præfata Eccleſia infra octavam Corporis Chriſti in Altari Plebani incluſum Marcus Ehem cum ſua factione pati noluit, & ad Chorum Canonicorum deportatum fuit.

In die Dedicationis Eccleſiæ S. Udalrici Auguſtæ, quidam textor poſt Completorium

rium circuivit Altare S. Udalrici præfatæ Eccleſiæ cum extracto virili membro ex caligulis, in manibus portans publice coram honeſtis mulieribus atque aliis perſonis atque viris honeſtis ac devotis utriusque Status, qui eo in loco cauſſa devotionis Eccleſiam intraverant, ut ſic ille Lutheranus devotionem illorum peſſumdaret, derideretque. Voluit etiam urinam ſuam in Cryptam S. Udalrici in deriſionem ſpargere; ſed clamore mulierum facto fuga lapſus eſt.

Conjurata Societas, ut æſtimabatur, ex Anabaptiſtis ſociata, fere 400. virorum malignantium, ex Germania diviſim per Rhenum aſcendens, ut igne ubique locorum villas atque urbes vaſtarent, & in favillas redigerent. Ex quibus Wormatiæ 12. viri capti fuerunt, qui in tortura reatum cognoſcentes, numerumque, & intentum ſuæ ſocietatis prodentes, multa enormia confeſſi ſunt, quare & digna pœna conſumpti ſunt, inceſſerunt etenim in urbibus, pagis, & villis ab invicem ſequeſtrati, per rimas domus ſpeculantes, ubi ſtramen, fœnum, pulvinaria, & id genus locata eſſent, ut ibidem ignem ſecrete immitterent. Et in quocunque loco quis certificatus fuerat per viſum aut per aliam explorationem, faciebat cum creta ad domum tale ſignum XI. quod quilibet ſocio-

rum videns, caute tempus obſervans, quo ignem immittere poſſet. Fuerunt etiam aliqui ex ſocietate illa Argentinæ & Conſtantiæ capti, qui etiam confeſſi ſunt, ut præfati in Wormatia.

In Vigilia Pentecoſtes Auguſtæ ſub Officio Miſſæ Servus Doctoris Rechlinger ſuper equum ſedens per ambitum S. Joannis Eccleſiam B. M. V. intravit, & Altare Plebani miris ſaltibus gyravit in contemptum cum maxima levitate. Deinde januam Eccleſiæ verſus Præpoſituram exivit. Quam levitatem nobilis vir Wolfgangus de Freyberg Capitaneus Auguſtenſ. videns, extra Eccleſiam ipſum ſubſecutus eſt, & nutu manuum ad ſe vocavit. Quo annuente cum ad ipſum pervenit, mox crinibus ipſius apprehenſis, illum de equo dejecit, pedibus conculcando, taliter pugnis ſuppreſſit, quod Servi Wolfgangi de Freyberg timentes coacti ſunt hujusmodi Blaſphematori auxilium præſtare ſuæ liberationis, ne a ſuo Domino perimeretur.

In Feſto S. Bernardi quidam Laicus in Eccleſia B. M. V. ſub Officio Miſſæ incedens, ut bos clamare cæpit cum maxima levitate, in deriſionem Cleri, quod Capitaneus Auguſtenſis Sebaſtianus Schertlin videns, extra Eccleſiam illum ſecutus eſt, qui

qui & ipsum sub suis prostravit pedibus: pugnisque taliter castigatus est, quod vix demum precibus sit ereptus, cum protestatione, se deinceps nunquam talia commissurum.

Augustæ Processiones in Litaniis, & Festo Corporis Christi ne haberentur publice per plateas incedendo, a Senatu prohibitæ sunt, itaque ab omnibus observatum est.

In Festivitatibus SS. Udalrici & Afræ Augustæ Canonici B. M. V. & S. Mauritii non audebant more antiquo processionaliter Ecclesiam SS. Udalrici & Afræ adire, sed unus post alium sine superpelliceis Ecclesiam intraverunt, & deinde successive adunati Processionem in extrema parte Ecclesiæ ordinaverunt, Chorumque cum cantu consueto intraverunt.

In Profesto Corporis Christi omnes Scabini Augustæ in Ecclesia B. M. V. omnes Candelas atque Phalangas numero 42. abstulerunt, exceptis macellariis. Quæ Candelæ in Festivitatibus semper ex antiquo instituto accensæ fuerunt.

In Profesto Corporis Christi Augustæ Magistri Ecclesiæ, vulgo Zechmaister, Georgius

gius de Stetten, Joannes Heslin, Joannes Aman Prælatum & Conventum S. Udalrici adierunt, poſtulantes ſibi dari magnam Campanam ibidem: qui a nobis negativum reſponſum reportaverunt, eoquod illa Campana eſſet Monaſterii, prout in libro ſtructuræ Eccleſiæ noſtræ continebatur, prout expenſæ & pondus publice coram eis lectum fuit. Deinde Feria 3. ſubſequente ipſi abſtulerunt clam & ſine requiſitione hora prima poſt meridiem a præfata Eccleſia Caldarium aſperſionis aquæ benedictæ, & deduxerunt in carro piſtoris ad domum Georgii de Stetten, & in die S. Michaelis fregerunt in fruſta vendentes pro 49. fl.

In Profeſto B. Mariæ Magdalenæ præfati Magiſtri Zechæ turrim Eccleſiæ noſtræ aſcenderunt ad conſtruendam domunculam ibidem pro uno horologio empto pro 70. fl. Quibus reſponſum fuit nomine Abbatis, & Conventus per Eraſmum Hueber Priorem, & Antonium Reiſchlin Subpriorem & Magnum Nuſſer noſtrum Cancellarium cum proteſtatione, quod ædificationem domus Horologii eis non aliter admittere velimus, niſi ſub antiqua poteſtate ac jurisdictione, quod Prælatus, & Conventus poſſint ad nutum Horologium & domunculam deponere, & ultra locum noſtrum præocupare, ſeu intrare. Ad proteſtationem illam Magiſtri

gistri Zechæ resp onderunt: quod ipsis optime constet, se nullum jus habere in loco illo, velintque ipsi Successores illorum, domunculam & Horologium omni tempore ad requisitionem Prælati, & Conventus amovere, atque deponere.

In Dominio Landgravii de Leichtenberg in villa Debnia in mense Septembri horribilis casus accidit. Nam in præfata villa Plebanus ibidem, & aliqui Nobiles, pro collatione sumenda ad mensam in simul consederunt; fuere autem eis appositæ certæ scatulæ cum Zuckero, & Confecto, & inter ceteras scatulas una scatula eis fuit appositа cum rotulis ex albo Zuckero. At Plebanus unam post aliam in manum suam accepit, & cuilibet ex Nobilibus, & qui ibidem in collatione sederant, unam porrexit in os, cum his verbis: *Hoc est corpus meum;* quo facto confestim nescio, qua de caussa extra januam stubæ egressus est, ubi ejus unus oculus extra caput, distantia unius pugilli pendens, & superior pars oris tali distantia a labiis distans, unde labium dependebat, lacerabatur; & a quo id factum sit, nescitur. Sed asseritur divinitus hoc contigisse ex vindicta Dei.

Ulmæ Feria 6. post Clementis Senatus ibidem publice proclamari fecit, ut nullus homi-

hominum ſub illorum jurisdictione conſtitutus, deinceps Sextis, & Sabbatinis diebus carnes comederet, ſub pœna 2. fl. Inſuper indulſit omnibus civibus in urbe Ulma, ac ruſticis in pagis, & villis, quod extra Ulmam bene poſſent Miſſas audire, & divinis Officiis intereſſe, nam antea ſub gravi pœna prohibitum erat.

Auguſtæ in Monaſterio Harburg 12. Moniales de tertia Regula S. Franciſci fuerunt, quæ unanimiter Monaſterium, redditus, & cenſum circa Feſtum Omnium SS. Senatui Auguſtenſi reſignaverunt: & in prompta pecunia Senatui præſentaverunt 2500. florenos. Pro quibus omnibus Senatus dedit cuilibet illarum omnibus diebus vitæ ſuæ 50. fl. ſub nomine precariæ. Quæ ante Nativitatem Domini omnia utenſilia Monaſterii inter ſe diviſerunt. Fuit una illarum octogenaria, & Magiſtra illarum monocula. Quælibet earum proprium hoſpitium conduxit, aliquæ ex illis matrimonium contraxerunt.

Ex hac relatione, benevole Lector! non ſine lacrimis, cordisque gemitu, perſpicere poteris, quanta mala intra tam breve temporis ſpatium unius perditi hominis petulantia, & arrogantia ſuſci-

ſuſcitaverit: Quis vero vineam Domini Sabaoth tam cito tamque continenti incendio devaſtatam credidiſſet? parva equidem erat ſcintilla primo ſub ementitæ Reformationis, Zelique cineribus latens, quæ tamen ſuperbiæ ventis, ac liberioris vitæ irritamentis excitata in apertum, tamque furioſum erupit incendium, ut florentiſſimas urbes, & regna, totamque ferme Europam abſumeret, nec ipſo etiam ſanguine copioſe effuſo reſtingui poſſet. *Habemus itaque*, ſcripſit Eraſmus ad Lutherum (a), *res uſque ad cruentam ſtragem progreſſa eſt, & metuimus atrociora, ni Deus propitiatus averterit.* Imo merito nobis quoque atrociora ſunt timenda; noſtro enim ævo tanquam tot malorum prodromus, conſpicitur fallax politioris literaturæ jactantia, quicquid ſacrum ſanctumque vilipendendi libertas ſub ſpecioſo abuſus tollendi prætextu occultata, atque effrænis ſentiendi, ſcribendique licentia, ac denique publicus totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ contemptus; adeo, ut de præſenti

(a) Hyperaſpiſtes Diatribe.

ſenti ævo vix non idem, quod præfatus Eraſmus de ſuo effatus eſt, dici poſſet: *Tale Sæculum Luthere nobis peperit tua fortitudo, ut jam de Chriſto nec bene loqui liceat, nec male.* Unica futuris hiſce malis obviandi ſpes repoſita eſt in vigili illorum oculo, quos Deus conſtituit ſuper Gentes & Regna, ut evellant, & deſtruant, ædificent & plantent. Horum Zelo, potentia & auctoritate facile ſuccreſcentia hæreſum Zizania ſuffocari poterunt; non enim noctuæ tenebris aſſuetæ, Novatores inquam, & Pſeudo-Politici lucem ſplendoremque illorum ſuſtinebunt, qui in veritate, juſtitia, & judicio populos ſuos paſcunt, vulpes, dum adhuc parvæ ſunt, capiunt, luposque ovinis pellibus contectos ab ovili ſuo in tempore abigunt.

Ita faxit Deus.

CON-

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CXXIV.

§. 1. Annæ Britannæ Galliarum Reginæ obitus Pag. 1.

§. 2. Papa Helvetios Gallis conciliare fruſtra conatus, pacem inter Cæſarem, & Venetos procurat 5

§. 3. Conditiones pro firmitate hujus pacis a Papa propoſitæ 7

§. 4. Leo ſucceſſu fruſtratus in Venetos vindictam exerit 8

§. 5. Veneti Marani obſidionem bis ſolvere compulſi 8

§. 6. Helvetii Genuæ in ſupremum Gratianopolis Præſidem crudeles 10

§. 7. Angliæ Regis conſilia de pace cum Gallis 11

§. 8. Pax Galliam inter & Angliam a Longevillæ Duce agitata 13
§. 9. Ludovici XII. nuptiæ cum Maria Angliæ Regis ſorore 15
§. 10. Connubium Valeſii Ducis cum Claudia Galliæ Regis filia 16
§. 11. Plurium Cardinalium obitus, & primo Eboracenſis 18
§. 12. Carreti Finarii Cardinalis extrema 19
§. 13. Mors Cardinalis Briſſoneti 20
§. 14. Pax Gallos inter & Anglos Pontifici minus probata 22
§. 15. Seſſio IX. Concilii Lateranenſis 23
§. 16. Abſolutio abſentibus Franciæ Prælatis a Pontifice conceſſa 25
§. 17. Decretum de reformatione Curiæ Romanæ in hac Seſſione promulgatum 26
§. 18. Selimi Turcarum Imperatoris victoriæ 33
§. 19. Selimus cum valida claſſe expeditionem in Italiam parans 35
§. 20. Papa Cæſarem, Venetosque ad Turcarum bellum fruſtra adhortatus 36
§. 21. Armorum ſocietas adverſus Turcas a Pontifice contracta 37
§. 22. Papa Venetos in Cæſaris gratiam revocare conatus 39
§. 23. Ludovicus hac de re edoctus, Pontifici mentem ſuam aperit 40
§. 24. Rex Mediolanenſem Ducatum recuperare intentus 41

§. 25.

§. 25. Regina Vidua Scotiæ Gubernatrix 42
§. 26. Chriſtiernus II. Daniæ Rex 43
§. 27. Regis Luſitani Legatio ad Papam 44
§. 28. Bulla Cruciata a Papa Luſitaniæ Regi conceſſa 45
§. 29. Æthiopiæ Imperatoris Legatio ad Luſitaniæ Regem 46
§. 30. Joannis Raulini Doctoris obitus 48
§. 31. Ludovici XII. Galliarum Regis obitus 50
§. 32. Franciſcus I. Ludovici ſucceſſor 52
§. 33. Franciſci I. regiminis auſpicia 53
§. 34. Fœdus cum Anglis a Franciſco Rege innovatum 55
§. 35. Fœdus cum Carolo Auſtriaco 55
§. 36. Helvetii cum Gallis inimicitiam inire recuſantes 56
§. 37. Cæſar, Rexque Catholicus inducias innovare renuunt 58
§. 38. Regina vidua Ludovici conjux Suffolciæ Duci nupta 59
§. 39. Papa neutri parti adhærere a Galliarum Rege rogatus 60
§. 40. Seſſio X. Concilii Lateranenſis 61
§. 41. Decretum de Montibus Pietatis 62
§. 42. Alterum Decretum de Clericis 64
§. 43. Decretum III. de impreſſione librorum 66
§. 44. Decretum IV. de Sanctione Pragmatica 68

§. 45. Parlamentum Aquenſe in Provincia Synodo ſubjectum 70
§. 46. Regis Catholici anxietas ob bellicum Gallorum apparatum 71
§. 47. Fœdus Cæſaris cum Rege Catholico, Mediolani Duce, & Helvetiis adverſus Gallos 72
§. 48. Pratus Cancellarius pecunias cogere, a Franciſco I. juſſus 73
§. 49. Petrus Navarrus a Gallis ad eorum vexilla accitus. 74
§. 50. Philiberta de Sabaudia Juliano Medicæo Pontificis Fratri nuptui data 75
§. 51. Papa Principibus adverſus Franciam fœderatis junctus 77
§. 52. Octavianus Fregoſius Genuenſium Dux Gallis addictus 78
§. 53. Gallorum exercitus ab Helvetiis tranſitu prohibitus 79
§. 54. Franciſcus I. Lugduno profectus in Italiam iturus 80
§. 55. Alpes per viam Helvetiis incognitam a Gallis ſuperatæ 82
§. 56. Proſper Columna, & Pontificis exercitus Villefrancæ interceptus 84
§. 57. Rex Taurinum veniens, Helvetios ad fœdus ſollicitat 85
§. 58. Helvetii ad concordiam proni 87
§. 59. Omnia concordiæ pacta accepto ſup-

petia-

petiarum nuncio ab Helvetiis rejecta 88
§. 60. Hiſpanorum & Helvetiorum conjunctio præpedita 90
§. 61. Exigua Cardonii ſpes in Pontificis fœdere 91
§. 62. Fœderati trajecto Pado Helvetios ſibi jungere parant 92
§. 63. Fœderati recedere, ac ab armis ceſſare per Livianum compulſi 93
§. 64. Gallorum exercitus Mariniani ab Heltiis invaſus 94
§. 65. Helvetii Marinianenſi prœlio devicti 95
§. 66. Anceps prœlium nocte interruptum 97
§. 67. Prœlium poſtera die redintegratum 98
§. 68. Utrinque occiſorum numerus 99
§. 69. Gallorum exercitus Mediolanum ingreſſus 101
§. 70. Maximilianus Sfortia dedita arce in Gallias abſtractus 101
§. 71. Sfortia pinqui penſione promiſſa in Franciam delatus 103
§. 72. Liviani obitus 103
§. 73. Pontificis trepidatio ob Marianenſem victoriam 105
§. 74. Inter Papæ Nuncium & Galliarum Regem fœdus initum 105
§. 75. Fœdus a Rege lubenter, a Papa ægre firmatum 107

§. 76. Pontifex Galliarum Regi colloquendi copiam petens 108
§. 77. Congreſſus Papæ & Regis Bononiæ 110
§. 78. Adrianus Gouffier Conſtantiæ Epiſcopus a Papa Cardinalis creatus 111
§. 79. VolſæusEboracenſis Archiepiſcopus itidem Cardinalis 112
§. 80. Negotia inter Papam & Regem Bonnoniæ agitata 113
§. 81. Venia Duci a Pontifice negata 115
§. 82. De rebus Regni Neapolitani, & Venetorum pace cum Cæſare 116
§. 83. Papa a Rege abolitionem Pragmaticæ Sanctionis poſtulans 117
§. 84. Cancellarius a Rege deputatus abrogandæ Sanctioni Pragmaticæ favens 118
§. 85. Galliarum Rex Bononia Mediolanum reverſus 119
§. 86. Galliarum Regis fœdus cum Helvetiis 120
§. 87. Congreſſus Principum Viennæ in Auſtria 121
§. 88. Sinderovia ab Hungaris obſeſſa 122
§. 89. Albuquercii Indiarum Proregis obitus 123
§. 90. Ferdinandi Conſalvi mors 125
§. 91. Ordinum Caſtellæ comitia Burgis a Rege Catholico celebrata 126

§. 92. Subsidium ab Arragonensibus Ferdinando denegatum 127
§. 93. Rex Catholicus Madritum reversus 128
§. 94. Lovanienſis Decanus in Hiſpaniæ aula 129
§. 95. Archidux Gallorum auxilium ſibi certum reddere ſollicitus 130
§. 96. Muliercula quædam a Rege de valetudine ſua in conſilium adhibita 131
§. 97. Reſciſſo priori teſtamento Carolus hæres ſcriptus 132
§. 98. Regis catholici obitus 134
§. 99. Ximenius Cardinalis Caſtellæ Rector 135
§. 100. Contentio Lovanienſis Decani cum Ximenio de Regni Procuratione 135
§. 101. Cardinalis Ximenii adminiſtratio 137
§. 102. Ad temperandam ejus auctoritatem regiminis conſortes ab Archiduce adjuncti 139
§. 103. Archidux Caſtellæ & Arragoniæ Rex proclamari ſtudioſus 140
§. 104. Archiducis epiſtola hac ſuper re ad Ximenium Cardinalem 141
§. 105. Archiducis epiſtola in Regni comitiis perlecta 142
§. 106. Archidux a Ximenio Caſtellæ Rex proclamari juſſus 144
§. 107. Arragonenſium Ordines Archiduci Regium nomen denegantes. 145

§. 108. Cæſar Mediolani Ducatum occupare aggreſſus 145
§. 109. Cæſar cum exercitu ſuo in Italiam 147
§. 110. Papa contra pacta cum Gallis inita Cæſari favere creditus 148
§. 111. Abdua ſuperata Mediolanum a Cæſare obſeſſum 149
§. 112. Helvetii contra Nationis ſuæ viros arma ſumere recuſantes 150
§. 113. Cæſar metu territus motis caſtris ſecedens 152
§. 114. Urbinatis Dux ſua ditione a Papa dejectus 153
§. 115. Conneſtabilis Mediolani Præfectura ſe abdicat 154
§. 116. Joannis Albreti molimina ad recuperandum Navarræ Regnum 154
§. 117. Joannes profligato ejus exercitu vita functus 155
§. 118. Rex Hiſpaniæ de Joannis Albreti expeditione apud Galliarum Regem conqueſtus 156
§. 119. Colloquium Novioduni inter Gouffierum, & Cheurienſem habitum 157
§. 120. Pacta inter Galliæ & Hiſpaniæ Reges 158
§. 121. Negotii de concordatis exitus 160
§. 122. Congregatio Generalis ante Seſſionem XI. Concilii Lateranenſis 161
§. 123. Seſſio XI. Lateranenſis Concilii 163

§. 124.

§. 124. Bulla de Concionatoribus 165
§. 125. Bulla Leonis X. de abrogatione Sanctionis Pragmaticæ ſubrogata 166
§. 126. Concordata Sanctioni Pragmaticæ ſubrogata 175
§. 127. Diſcrimen Concordata inter ac Pragmaticam Sanctionem 177
§. 128. Conſtitutio de Privilegiis Religioſorum 187
§. 129. Pax Cæſarem inter & Venetos concluſa 190
§. 130. Selimi Turcarum Imperatoris victoria de Sultano Ægypti 192
§. 131. Arzila a Fezzarum Rege nequidquam oppugnata 194
§. 132. Barbaroſſiæ irruptio in Africam 195
§. 133. Viri Apoſtolici in Congi Regnum a Luſitaniæ Rege miſſi 196
§. 134. Eliſabethæ Luſitanorum Reginæ beatificatio 198
§. 135. Philippus Benitius Beatorum faſtis adſcriptus 198
§. 136. Vigerii Cardinalis obitus 199
§. 137. Cardinalis de Prie obitus 201
§. 138. Jacobi Almaini obitus 203
§. 139. Extrema Joannis Baptiſtæ Spagnoli ſeu Hiſpanioli alias Mantuani 212
§. 140. Mors Ladislai VI. Bohemiæ, & Hungariæ Regis 215

LIBER CXXV.

§. 1. Papa Lateranenſi Concilio finem imponere cogitat 217
§. 2. Seſſio XII. Lateranenſis Concilii 218
§. 3. Finis Concilii V. Lateranenſis 220
§. 4. Franciſci Pici Mirandulani Oratio de correctione morum 221
§. 5. Conjuratio in vitam Leonis decreta 223
§. 6. Ambo Cardinales comprehenſi, ac cuſtodiæ dati 224
§. 7. Cardinalium Senatus triginta & uno auctus 226
§. 8. Alii duo Cardinales creati 230
§. 9. Concordatum Franciſci Regis juſſu a Parlamento receptum 231
§. 10. Regis edictum de recipiendo Concordato 235
§. 11. Senatus ſententia de Concordato non recipiendo 239
§. 12. Univerſitas Pariſienſis Concordato obluctata 240
§. 13. Pariſienſis Univerſitatis appellatio ad futurum Concilium 242
§. 14. Ximenius Cardinalis Indorum querelis intentus 246
§. 15. Malaccenſium ſeditio 247

§. 16.

§. 16. Ximenius Inquisitionis moderationi ab Hispaniarum Rege tentatæ obluctatus 249
§. 17. Ximenius pro Regis itinere classem parare jussus 250
§. 18. Papa ab Hispanis decimas petere constituens 251
§. 19. Cardinalis Ximenius propinato veneno lethali febri absumptus 253
§. 20. Hispaniarum Rex ad Africæ oram appulsus 255
§. 21. Ximenii Cardinalis obitus 256
§. 22. Celebria ædificia ab hoc Cardinale condita 257
§. 23. Carolus Austriacus in Hispaniam delatus 260
§. 24. A Toletano Senatu exceptus 261
§. 25. In Castellæ Regem coronatus 262
§. 26. Castellanorum Ordinum petita a Carolo 263
§. 27. Ferdinandus Infans ad Cæsarem missus 264
§. 28. Papæ amicitia a Francisco I. variis modis expetita 266
§. 29. Indulgentiæ pro fabrica Basilicæ S. Petri a Papa promulgatæ 268
§. 30. FF. Prædicatores ad Indulgentias in Saxonia promulgandas selecti 269
§. 31. Augustinianorum Generalis Vicarii tumultus

multus adversus indulgentiarum Præcones 271
§. 32. De ortu & primis auspiciis vitæ Martini Lutheri 272
§. 33. Lutherus Wittembergæ Doctor Theologiæ creatus 274
§. 34. Lutheri sermones adversus Indulgentias 276
§. 35. Ecclesiæ Catholicæ dogma de Indulgentiis 278
§. 36. Eadem doctrina magis confirmata 280
§. 37. Nonaginta quinque propositiones a Luthero contra Indulgentias editæ 281
§. 38. Indulgentiarum corruptelæ a Luthero adversariis suis objectæ 284
§. 39. Lutheri errores de Justificatione, & Sacramentorum efficacia 285
§. 40. Tetzelii propositiones Lutheri thesibus oppositæ 287
§. 41. Responsum Tetzelii ad Lutheri probra, & calumnias 290
§. 42. Quæstio de auditione sacri die Dominica extra Parochiam a Pontifice decisa 294
§. 43. Quarumdam Propositionum censura Facultatis Theologicæ Parisiensis 296
§. 44. Propositionum prioribus contrariarum censura ejusdem Facultatis 298

§. 45.

§. 45. Quorumdam Cardinalium obitus 300
§. 46. Arcimboldus ad prædicandas Indulgentias ad Septentrionalia Regna missus 301
§. 47. Bulla Leonis Papæ adversus Sueciæ Administratorem 302
§. 48. Continuatio negotii de concordatis 303
§. 49. Parlamentum ad acceptanda concordata a Rege vehementer sollicitatum 305
§. 50. Trimolius Regis nomine Parlamentum accedens 306
§. 51. Regii Advocati rationes Trimollio propositæ 309
§. 52. Parlamenti consilium de concordato appositis conditionibus acceptando 309
§. 53. Novæ Trimolii solicitationes 311
§. 54. Secunda Parlamenti provocatio ad Papam, & concilium 313
§. 55. Libellus supplex ab Universitatis Rectore Parlamento porrectus 313
§. 56. Libellus supplex a Decano Parisiensis Ecclesiæ Parlamento exhibitus 315
§. 57. Concordatum quibusdam conditionibus temperatum a Parlamento acceptatum 316
§. 58. Binæ Regis Epistolæ ad Parlamentum 316

§. 59.

§. 59. Regis diploma adverſus Univerſitatem 318
§. 60. Unius anni Induciæ pro concordati executione a Papa Regi conceſſæ 320
§. 61. Parlamenti repugnantia in recipiendo concordato vindicata 321
§. 62. Parlamenti rationes de Pragmatica non abroganda 326
§. 63. Cancellarii reſponſio ad Parlamenti rationes 334
§. 64. De privilegio ad Beneficia nominandi Galliarum Regibus conceſſo 339
§. 65. Reſponſum Cancellarii ad mandata & gratias 341
§. 66. Concordati Decretum de cauſſis 345
§. 67. Summa reſponſionum Cancellarii 349
§. 68. Diſſidia ob concordati executionem ſuborta 351
§. 69. Stephanus Poncherus ad Senonenſem Eccleſiam a Rege nominatus 352
§. 70. Contentiones de Epiſcopatu Albienſi & Archiepiſcopatu Bituricenſi 353
§. 71. Annotationes Eckii in propoſitiones Lutheri 354
§. 72. Lutheri Theſes de pœnitentia 356
§. 73. Simulata Lutheri ſubmiſſio in quadam epiſtola ad Papam 358

§. 74. Epistola Lutheri ad Leonem Papam 359
§. 75. Sylvestri Prieratis scripta adversus Lutherum 362
§. 76. Lutherus a Jacobo Hochstrato impugnatus 363
§. 77. Cæsaris Epistola ad Papam in caussa Lutheri 364
§. 78. Lutherus Romam citatus, consentiente Papa in Germania dijudicandus 365
§. 79. Cajetanus Cardinalis ad Lutheri caussam in Germania judicandam a Papa designatus 367
§. 80. Lutherus Augustæ coram Legato 369
§. 81. Primum colloquium Cajetani Cardinalis cum Luthero 370
§. 82. Colloquium secundum Lutheri cum eodem Cardinale 373
§. 83. Lutheri scriptum Legato traditum 375
§. 84. Lutherus Legati minis territus, Augusta auffugit 376
§. 85. Lutheri appellatio a Papa male edocto ad melius edocendum 378
§. 86. Epistola Legati Cardinalis ad Electorem Saxoniæ 379
§. 87. Electoris responsum ad Cardinalem pro Luthero 381

§. 88. Lutheri libellus contra Legati epiſtolam ad Electorem 382
§. 89. Pontificis Decretum de virtute Indulgentiarum 383
§. 90. Secunda Lutheri appellatio ad Concilium 385
§. 91. Lutherus errores ſuos ſpargere pergit 386
§. 92. Melanchton novus Lutheri aſſecla 388
§. 93. Carloſtadii initia 389
§. 94. De Zwinglio, & Zwinglianis 390
§. 95. Leonis X. Papæ conſilia ad præcavendas Turcarum invaſiones in Europam 392
§. 96. Luſitaniæ Regis connubium cum ſorore Caroli Auſtriaci 393
§. 97. Diviſio Archiepiſcopatus Toletani fruſtra tentata 394
§. 98. Arragonenſium Comitia Cæſarauguſtæ a Carolo Auſtriaco celebrata 395
§. 99. Cæſar Imperii Romani ſucceſſionem in Ferdinandum Nepotem ſuum perpetuo jure transferre cupidus 396
§. 100. Galliarum Regis molimina pro Tornaco recuperando 397
§. 101. Tornacum Volſei ſuaſu ab Anglo Gallis reſtitutum 399

§. 102.

§. 102. Galliarum Regis Legatio ad Angliæ Regem 400
§. 103. Fœdus Anglos inter & Gallos 401
§. 104. Tornacum Gallis redditum 403
§. 105. Æmulatio Lautrecum inter & Trivulcium Mediolani 404
§. 106. Accusationum capita adversus Trivultium 405
§. 107. Trivultii Mareſcalli obitus 407
§. 108. Stockolmia a Christierno Daniæ Rege obsessa 407
§. 109. Facultatis Theologicæ judicium de indulgentiis 408
§. 110. Infaustum Adriani Cornetani Cardinalis fatum 410
§. 111. Volseus Cardinalis ex Cornetani spoliis dives 412
§. 112. Idem unacum Campegio Legatus in Anglia 413
§. 113. Remolini Cardinalis obitus 414
§. 114. Cardinalis Bendinelli mors 416
§. 115. Pandulphi Cardinalis extrema 418

LIBER CXXVI.

§. 1. Maximiliani I. Imperatoris obitus 421
§. 2. Hujus Cæsaris indoles 422

§. 3. Carolus Hiſpaniæ Rex imperii competitor 424
§. 4. Franciſcus I. Imperium aucupari intentus 425
§. 5. Rationes pro Galliarum Rege 425
§. 6. Poloniæ, Hungariæ, & Bohemiæ Reges a Gallo ſollicitati 427
§. 7. Helvetii a Galliarum Rege ad conciliandos ipſi Electores rogati 428
§. 8. Nec Carolus, nec Franciſcus Pontifici acceptus 229
§. 9. Carolus Miltizius a Pontifice ad Electorem Saxoniæ miſſus 430
§. 10. Epiſtola Pontificis ad duos præcipuos Conſiliarios adverſus Lutherum 431
§. 11. Miltizii Pontificii Nuntii colloquium cum Luthero 432
§. 12. Lutheri epiſtola ad Papam ſubmiſſione plena 434
§. 13. Lutherus Eraſmum ad ſuas partes pertrahere molitus 436
§. 14. Eraſmi epiſtola ad Leonem X. Papam 441
§. 15. Apologia verſionis Novi Teſtamenti 442
§. 16. Eraſmi verſio a pluribus Theologis impugnata 445

§. 17.

§. 17. Eraſmus inter Caroli Auſtriaci Belgii Principis Conſiliarios receptus 446
§. 18. Lutheri epiſtola ad Eraſmum 447
§. 19. Reſponſum Eraſmi ad Lutherum 448
§. 20. Apologia Eraſmi contra turbas ex hac epiſtola ſuſcitatas 450
§. 21. Epiſtola Saxoniæ Electoris Eraſmum ad Lutheri ſectam ſollicitantis 451
§. 22. Alia epiſtola Eraſmi ad Lutherum 452
§. 23. Quidam Religioſi Lutherum confutant. ejus apologia 454
§. 24. Diſputatio Lipſienſis Eckium inter & Lutherum ac Carolſtadium 458
§. 25. Primum Lipſienſe colloquium inter Eckium & Carolſtadium 458
§. 26. Diſputatio Eckii cum Luthero 461
§. 27. Diſputatio ejusdem cum Luthero circa Primatum Pontificis 463
§. 28. Eckii colloquium cum Luthero de Purgatorio 468
§. 29. Diſputatio de Indulgentiis 469
§. 30. Colloquium de Pœnitentia 472
§. 31. Diſputatio Eckium inter & Carloſtadium de bonis operibus 473

§. 32. Lutherus a Colonienſi, & Lovanienſi Univerſitatibus damnatus 477
§. 33. Canoniſatio S. Franciſci de Paula 479
§. 34. Electio Cæſaris Francofordiæ decreta 480
§. 35. Imperium Electori Saxonico oblatum, atque ab eo recuſatum 480
§. 36. Carolus Hiſpaniarum Rex ad Cæſaream dignitatem a Friderico Saxoniæ Electore nominatus 484
§. 37. Trevirenſis Elector huic nominationi obluctatus 485
§. 38. Electio Caroli in Cæſarem 486
§. 39. Electorum Legatio in Hiſpaniam ad Cæſarem neo-electum 487
§. 40. Nuncius de recens invento, occupatoque Mexico ad Carolum delatus 489
§. 41. Fretum Magellanicum detectum 491
§. 42. Caroli V. lex de ſuprema Regnorum Hiſpaniæ auctoritate 493
§. 43. Antonii Bohieri Cardinalis obitus 494
§. 44. Philippi Lucemburgii Cardinalis obitus 495
§. 45. Ludovici de Arragonia Cardinalis fata 497
§. 46. Mors Cardinalis Roſſii, ſeu de Rubeis 498

§. 47. Initia Zwinglii 500
§. 48. Zwinglius more Lutheri contra Indulgentias declamat 501
§. 49. Lutherus a Miſnienſi Epiſcopo damnatus 503
§. 50. Epiſtola Lutheri ad Carolum V. Imperatorem 504
§. 51. Alia ejusdem epiſtola ad Archiepiſcopum Moguntinum 506
§. 52. Romæ contra Lutherum agi cæptum 507
§. 53. Saxoniæ Elector præſidium Luthero a ſe præſtitum excuſat 509
§. 54. Lutherus ab Auguſtinianorum Capitulo ſeſe ſubmittere juſſus 510
§. 55. Epiſtola Lutheri ad Leonem Papam 511
§. 56. Liber *de Chriſtiana libertate* a Luthero Pontifici nuncupatus 513
§. 57. Lutheri tractatus de confeſſione 514
§. 58. Ejusdem ſcriptum adverſus vota 516
§. 59. Cæſar Lutherum cuſtodiæ dare, a Papa ſollicitatus 517
§. 60. De Bulla adverſus Lutheri errores promulganda Romæ actum 518
§. 61. Bulla Leonis X. contra Lutherum 520
§. 62. Lutheri errores ad quadraginta & unum articulos redacti, ac damnati 522

§. 63. Continuatio præfatæ Bullæ contra Lutherum 528
§. 64. Lutheri liber de captivitate Babylonica 532
§. 65. Ejusdem opinio de Euchariſtia in hoc libro contenta 535
§. 66. Ejus ſententia de Miſſa, aliisque Sacramentis 535
§. 67. Tumultus abeunte Cæſare in Hiſpania ſuſcitati 538
§. 68. Ingens Toletanorum ſeditio, plures eorum urbes horum exempla ſequentes 541
§. 69. Cæſar Caronii conſcenſa navi ex Hiſpania profectus 544
§. 70. Idem per Angliam profectus, & Dubrim appulſus 545
§. 71. Colloquium Franciſci I. cum Henrico VIII. prope Ardrecium & Guinas habitum 546
§. 72. Officioſa ſalutatio Cæſaris, atque Angliæ Regis 548
§. 73. Cæſar Gandavum perveniens, urbemque ingreſſus 549
§. 74. Carolus Aquisgrani coronatus 550
§. 75. Agitur de Auſtriæ ſtatibus Ferdinando Cæſaris Fratri cedendis, deque ejus connubio 551

§. 76.

§. 76. Comitia generalia Wormatiæ a Cæsare indicta 552
§. 77. Aleander Pontificis Nuntius ad Germanos 553
§. 78. Breve Apostolicum Saxoniæ Electori ab Aleandro traditum 554
§. 79. Responsum Electoris Saxonici 555
§. 80. Lutheri provocatio a Pontificis Bulla ad futurum Concilium 557
§. 81. Ejusdem libri in pluribus Germaniæ urbibus combusti 560
§. 82. Bulla ac Decretales a Luthero Wittembergæ publice combusti 562
§. 83. Propositiones ex Decretalibus a Wittembergensi Schola extractæ 561
§. 84. Libellus Lutheri adversus Ambrosium Catharinum 563
§. 85. Res Daniæ & Sueciæ 564
§. 86. Stockolomia a Christierno II. Daniæ Rege occupata 565
§. 87. Daniæ Regis sævitia in Senatores Suecos 566
§. 88. Ulrici Hutteni satyra adversus Papæ Bullam 570
§. 89. Censura Facultatis Parisiensis de confessione, & Communione Paschali 572
§. 90. Selimi Turcarum Imperatoris obitus 573

§. 91. Solimanus II. Succeſſor, ac Turcarum Imperator 574
§. 92. Erarldus ſeu Erardus de Marca a Leone X. Cardinalis creatus 575
§. 93. Hyppolitus Cardinalis Eſtenſis præter plures alios mortuus 576
§. 94. Albretus Cardinalis mortuus 578
§. 95. Ruverei Cardinalis obitus 579
§. 96. Bernardi Tarlati fata 580
§. 97. Geofredi Bouſſardi extrema 583
§. 98. Claudii Seyſſel Taurinenſis Archiepiſcopi mors 586
§. 99. Sylveſter Mozolinus alias Prieras mortuus. 589

HISTO-



Concordata in locum Sanctionis Pragmaticæ subrogata.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXXIV.

LEO X. PONTIFEX.
MAXIMILIANUS I. IMPER. OCCID.

§. I.

Annæ Britannæ Galliarum Reginæ obitus.

Equidem Ludovicus XII. sex Episcopos, ac quatuor Doctores ad Synodum mittere pollicebatur, Regina tamen ejus Conjux nomine Anna de Bri- Sæcul. XVI. A.C. 1514.

Sæcul. XVI. A. C. 1514.

tannia, cujus hortatu Rex Pisanum concilium detestabatur, ad instituendam majorem hujus Legationis solemnitatem Maritum induxit, ut octo Franciæ Prælatos Romam ablegaret. Ut ergo Pontifex gratum hanc ob rem animum ostenderet, viciſſim sincero ac ferventi studio Helvetios a Fœderatorum societate abstrahere, eosque demum Gallis conciliare conabatur, ex horum concordia rebus quoque suis studiose consulturus.

Brantome vie des Dames illustres. *Bembo ep. 1. cap. 7.* *Marian. lib. 30. n. 104.*

Attamen Anna Regina, ex quo Ludovicum ad ejurandum Pisanum cœtum permoverat, haud diu vita superstes erat; quippe hoc anno milleſimo quingenteſimo decimo quarto die nona Januarii in Blesensi castro rebus humanis valedixit, anno ætatis suæ trigesimo septimo. Aspexit primam lucem Nannete in Britannia die decima sexta Januarii anno Christi quadringenteſimo septuageſimo sexto supra milleſimum, & postea Carolo VIII. primis desponsata nuptiis, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo sponso suo orbata fuit, sed ineunte sequenti anno Ludovicum XII. Regni successorem sibi copulavit, postquam ipse matrimonium cum Joanna de Francia Ludovici XI. Filia initum, nullum declarari postulasset. Ceterum tam tenero affectu Ludovicus Annam prosequebatur, ut animi sui firmitas doloris vehemen-

Argent. hist. de Bretag.

mentiæ succumberet, illiusque mortem immodice lugeret, ac pullatis vestibus indutus aliquot diebus ab omni hominum consortio abstineret, cunctis etiam Comædis aula exulare jussis: Cum vero Regina nulla suscepta prole moreretur, haud parum illius animum affligebat, quod Britanniæ, ac Franciæ Successorem fore prævideret Franciscum Valesii Ducem, ac Ludovicæ de Sabaudia capitalis inimicæ suæ Filium: Tanto enim odio Engolismi Comitissam Franciſci Matrem insectabatur, ut Claudiæ de Francia filiæ suæ cum Valesii Duce nuptias impeditura, extrema quæque tentaret, nec prius a proposito destitit, donec congregati Regni Ordines Regem supplices adirent, ut hanc conjunctionem omnino dissolveret, quod tamen nonnisi quinto post ejus obitum mense factum est: cum vero indies illius aversio crescceret, ac permoleste ferret, quod Franciscus proximus esset Gallici sceptri hæres, hinc nil intentatum reliquit, ut eundem a Mediolanensi etiam Ducatu arceret, ac inito connubio inter Renatam de Francia suam secundo genitam Filiam, & Carolum Archiducem, hunc Ducatum ad Augustissimam Domum Austriacam transferret. Nec tamen in hoc votis ejus secundus alluſit eventus.

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

Argent. hist. Britann.

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

Ceterum extra omnem controversiam positum est, hanc Reginam præclaris omnino dotibus ornatam fuisse; nam insignis erat ingenii acie, animi magnitudine, ac religionis studio, necnon rara etiam prudentia regno præerat, cum Carolus VIII. interea in Italiam contenderet. Insuper reditus suos, quos semper ex suo Brittanniæ Ducatu percipiebat, in pios usus impendit, & varia condidit monasteria, ac præter alia Chailloti prope Parisios conventum FF. Minimorum de Nigeone, & alium Lugduni in Vezæ suburbio pro FF. Minoribus de observantia construxit: Nec parca manu concurrebat ad ædem FF. Minimorum Romæ ad S. Trinitatem in montibus, quem conventum Carolus VIII. erexit. Reginæ cadaver Blesis depositum permanebat, donec Franciscus I. pro defuncto Ludovico XII. Prædecessore suo sumptuosum monumentum erigi curasset, in quod etiam Reginæ tumbam collocari jussit. Peractis exequiis Pontifex ad Ludovicum Regem, cui hanc Reginam in paucis caram fuisse, perbene noverat, literas consolatorias perscripsit, quibus eam egregia, singularique virtute, & spectata in Deum, ac Dei Ecclesiam pietate præditam commendavit. Attamen Leo ejusmodi honorum obsequia deferens, propriæ suæ utilitati intentus

Bembo l. 7. epist. 1.

tentus erat, ſuaque commoda, ut ſibi procuraret, nil intentatum reliquit (*). Sæcul. XVI. A.C. 1514.

§. II.

Papa Helvetios Gallis conciliare frustra conatus, pacem inter Cæsarem, & Venetos procurat.

Ceterum Leo Pontifex incaſſum ſuam impendit operam, ut Helvetii depoſito odio Gallis adhærerent: Hi enim Mediolani Ducatum Maximiliano Sfortiæ reddi conſtanter poſtulabant, quem tamen Ludovicus eidem cedere renuebat: Pontifex igitur, cum pacem cum Helvetiis conciliandam deſperaret, Venetos ſollicitavit, ac rurſus eadem concordiæ pacta propoſuit, quæ jam olim inter Cæſarem & Rempublicam cæpta, *Marian. lib.* 30. *n.* 106.

(*) *Ita comparata ſunt lividorum hominum ingenia, ut in iis, quibus infenſi ſunt, juſtitiam interpretentur ſeveritatem ex privato odio progenitam, benevolentiam vero proprii quæſtus utilitatisque ſtudium: Quis enim conciliabit, una ex parte Papam unice deſideraſſe, Gallos ex Italia pellere, alia vero ex parte nil ardentius ſollicitaſſe, quam ut Gallici nominis hoſtes in Italia proſperis armis adverſus Franciam pugnantes pacem cum Gallis ineant? quæ tamen inter ſe pugnantia Continuator uno halitu profert.*

Sæcul. XVI. A. C. 1514. postea vero interrupta fuere: Cum vero nil antiquius haberet, quam ut Galli ex Italia pulsi Mediolani Ducatum recuperare præpedirentur, haud sibi prosperum consilii successum polliceri poterat, quamdiu Respublica Gallis unita esset. Jam anno priori Veneti exercitus Hispani potentia pressi, Papam controversiæ arbitrum seligi consenserant, eundemque ipsemet Imperator acceptabat, illo tamen abhinc tempore haud ultra hoc negotium urgebatur. Ferdinandus quoque consilia, quæ Helvetii agitarent, edoctus, sibique soli belli molem impendere veritus, unius anni inducias cum Gallis innovavit, iisdem legibus, quibus præcedenti anno eædem concedebantur, uno tantum excepto secreto articulo, vi cujus Ludovicus hoc anno Mediolanum non invaderet. Pontifex hujus clausulæ ignarus, has inducias nonnisi cum Mediolanensis Ducatus dispendio firmatas fuisse verebatur, quapropter denuo arbitri judicio standum proposuit, summisque precibus ab utraque contendentium parte compromissum fieri impetravit, quo infra unius anni spacium dissidia Cæsarem inter & Venetos componerentur, ea lege, ut interea elapso saltem proximo mense ab armis cessaretur.

§. III.

Secul. XVI
A.C. 1514.

§. III.

Conditiones pro firmitate hujus pacis a Papa propositæ.

Præterea Pontifex, ut hujus pacis firmitati consuleret, provide statuit, ut Ambæ partes, quod arbitrio stare vellent, cautionem facerent, & Venetorum Respublica Ecclesiasticis copiis ingressum in Cremensem urbem concederet; si vero urbes Sedi Apostolicæ concreditæ disertis verbis in arbitri sententia non comprehenderentur, nec etiam alterutri partium adjudicarentur, tunc quantocius ei, qui illas in sequestri fidem dedit, reddantur; insuper illi, quorum intererat, sibi quoque præcavebant, & quidem Leo X. literis proprio chirographo signatis pollicebatur, se sine utriusque partis consensu nunquam sententiam pronunciaturum. Ast propter hanc ipsam conditionem pacis conciliatio effectu caruit; quippe Imperator probe intelligens, Pontifici haud acceptum esse, quod Germani quasdam in Italia urbes possiderent, totam Longobardiam sibi eripi metuebat, eoquod jamjam ante initam pacem a se mediam illius partem exigi cerneret; hinc haud temere Venetos cum Pontifice in ipsius damnum colludere suspicabatur. Nec ipsis quoque Venetis res arridebat; con-

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

jectabant enim illi, quod Papa, cum ad tuendas urbes, quæ ipsi sub depositi fide relinquendæ forent, sat militum non haberet, forte illas tam exiguo præsidiariorum numero firmaturus esset, ut non modo Germani, sed & Hispani, si eis luberet, nullo ferme negotio illas sibi subjicere possent.

§. IV.

Leo successu frustratus in Venetos vindictam exerit.

Cum Pontifex sua pacis conciliandæ studia optato exitu frustrari perspiceret, Venetorum pertinaciam ulturus Prospero Columnæ & Sabellio Ducibus negotium dedit, ut Cremam cingerent; ast Ranceus de Ceri hujus urbis Præfectus inopino erumpens, Pontificis copias profligavit, pluresque occidit; Sabellius tamen fuga sibi consuluit, demum vero Prosper soluta obsidione in Romandiolam secessit.

§. V.

Veneti Marani obsidionem bis solvere compulsi.

Haud magis prospera Venetis accidit Forojulienſis expeditio. Primo quidem Livianus secundis dimicabat armis; quippe

quippe urbes hucusque ſervatas repara- Sæcul. XVI.
re haud ſollicitus, confeſtim omnes in- A.C.1514.
de milites educebat, ut ex illis exiguum ſuum augeret exercitum, quem ex funeſtis nuperæ cladis reliquiis conflabat. His copiis inſtructus, magnis itineribus ad interiora Forojulienſis Provinciæ proceſſit, & Cæſareos, qui hunc Belliducem viginti omnino Leucis abſentem fore exiſtimabant, ex præcipua eorum ſtatione depulit, atque duabus aliis pariter occupatis, multos inde captivos abſtraxit. Aſt Marani obſidio, quam paraverat, ſucceſſu caruit. Hanc urbem Germani anno priori, ope cujusdam Sacerdotis nomine Bartholi occupabant; hic enim patriæ ſuæ proditor, quo Marcellus Proviſor familiariter utebatur, Germanis portas urbis aperuit, captis ipſo etiam Proviſore, aliisque Reipublicæ Miniſtris. Siniſtro hoc eventu Veneti haud parum afflicti, urbem recuperare aggrediuntur; verum his obſidionem ſolvere compulſis, triſte urbis amiſſæ ſolatium ſupererat ſola hujus Sacerdotis captivitas, quem Venetias abductum inter ambas majores columnas medium in foro S. Marci ſuſpendio mulctarunt, a populo lapidum grandine trucidatum. Jam ſecunda vice Marani obſidionem hoc anno tentabant Veneti, haud tamen magis proſpero armorum ſucceſſu; quippe denuo cum copiis ſuis

Sæcul. XVI A.C.1514.

auffugere cogebantur, innumeris ferme indigenis militibus urbi ſuppetias turmatim ferentibus; hoc tamen compendii ex hac expeditione referebant Veneti, quod Francipanum ceteris magis formidandum Reipublicæ hoſtem in inſidias delapſum, captum abſtraherent.

§. VI.

Helvetii Genuæ in ſupremum Gratianopolis Præſidem crudeles.

Interea Helvetii Genuenſium ditioni hoſtile tributum imperare tentabant; ſub idem vero tempus Ludovicus XII. eo deſtinabat primum Gratianopolitani Senatus Præſidem, ut de quorumdam captivorum commutatione ageret. Helvetii re comperta Præſidem ſibi tradi poſtularunt, quem etiam cives, quod Gallis minus propenſi eſſent, læſo gentium jure Helvetiis commiſerunt, urbis ſuæ deprædationem veriti. Hi ergo Præſidem illico tormentis ſubjiciunt, ab eoque petunt, ut ex Helvetica gente illorum Beliducum, quos Trimollius auro corruperat, nomina manifeſtaret. Cum vero Præſes illorum ignarus eſſet, ac tormentorum vim immota conſtantia toleraret, Helvetii, cum deſideratam rei veritatem ab eo extorquere deſperarent, furorem in exercitus ſui Duces exonerarunt, omnes-

nesque, quos Divionensis pacti compli- Sæcul. XVI.
ces suspicabantur, patria extorres fece- A.C.1514.
runt. Ex hac Helvetiorum violentia facile dijudicari poterat, quod supervacaneum foret, novis conatibus hanc nationem ad Gallorum fœdera reducere velle.

§. VII.
Angliæ Regis consilia de pace cum Gallis.

Cum interim Rex Angliæ Ferdinandum inducias cum Ludovico innovasse intelligeret, de Arragoniæ Rege graviter conquestus est, auxitque ejus in Fœderatos indignationem notitia, qua compererat, quod præfatæ armorum induciæ ab ipso etiam Cæsare mense Aprili ratæ fuerint habitæ; unde se a Fœderatis per summam ignaviam eo tempore derelinqui expostulabat, quo tamen nil propius esset, quam ut cunctas a suis Prædecessoribus ditiones trans mare amissas recuperaret. *Basel in addit. ad Naucler.* Accessit alterum indignationis suæ argumentum, quod acerbiori longe vulnere animum ejus penitus exulcerabat; nunciatum enim illi erat, Renatam *Gerson in Lud. XII.* de Francia Archiduci promissam esse, cum tamen Mariam sororem suam præfato Duci in conjugem dari speraret, nec *Polyd. Virgil. in Henr. VIII. l. 27.* abs re, cum illa jam decimo quarto ætatis suæ anno eidem desponsa fuisset; igitur

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

tur vindictam in Fœderatos exercere intentus, pacem cum Gallia conciliari consensit, quam proxime futuram confisus, nec exercitum suum in aciem eduxit.

Cum vero utriusque fœderati concordia cum Gallis insscio Pontificis Legato firmata esset, hic totam rei seriem Leoni perscripsit, qui Mediolanensium ditionem ad Archiducem devolvi ægre ferens, hoc negotium summa cum cura tractandum suscepit. Igitur Eboracensem Cardinalem, qui Romæ Henrici Regis Legatum agebat, adiit, eidemque hæc exposuit, evolutis quibusdam annis Carolus Archidux eriget Monarchiam, quæ ceteras facile absorptura est, nisi ejus potentiam Gallorum vires æquent; cum autem nullius magis quam summorum Pontificum interfit, ut æqualis inter Principes potentia conservetur, aliunde etiam Sedis Apostolicæ, nostræque auctoritatis imminutio in sacrum Collegium recideret; nec ejusmodi malis obviari poterit, nisi Henricus Gallos infestis armis obruere præpediatur, ac utrumque Regnum tam arcto amicitiæ fœdere jungatur, ut unitis viribus arma sua in Cæsarem, Regem Catholicum, & Helvetios convertere possint. Cessit Papæ rationibus Eboracensis Cardinalis: agebatur tamen de seligendo viro, qui Londini rem cum Henrico scite pertractaret. Igitur Ludovicus Gal-

liarum

liarum Rex hujus negotii curam Longevillæ Duci, qui in Anglia captivus hærebat, demandavit, nec adverso sane successu; quippe Dux colloquiis cum Henrico habitis eo inclinabat Regis animum, ut ille ad pacem ineundam pronus videretur, dummodo honestæ conditiones proponerentur. Sæcul. XVI. A.C. 1514.

§. VIII.

Pax Galliam inter & Angliam a Longevillæ Duce agitata.

Galliarum Rex, comperto secundo Ducis conatu, eidem negotium dedit, ut rem secreto ageret. Equidem Henricus aliquamdiu propositi sui tenax, fortiter insistebat juribus, quæ ipsi in Aquitanniam, ac Normanniam competerent, spe autem eidem facta, Mariam ejus sororem cum Ludovico XII. qui aliquot abhinc mensibus (ut supra memoravimus) conjuge sua orbatus erat, matrimonio jungendam, ea, quæ immoderatius postulaverat, aliquanto temperare cæpit, pluresque consultationes, remotis omnibus arbitris præter Thomam Volseyum Lincolniensem Episcopum habuit, ubi tamen Longevillæ Dux negotii successum parum promoverat. Tandem vero Henricus a petitionum suarum immoderatione desistens, haud dubitanter conditiones, *Paris de Grassis t. 4. p. 120.*

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

nes, quibus pax sperari posset, explicabat. Ludovicus accepto rei nuncio, protinus Joannem de Selva primum Rothomagensis Parlamenti Præsidem, atque Jacobum de Silles Normanniæ Prætorem in Angliam ablegavit, faustis etiam legationis auspiciis; quippe duo duntaxat articuli pertinaciori animorum contentione agitati exitum morabantur. Horum primus Tornacensem spectabat civitatem, quam Angliæ Rex sibi perpetuo jure asserendam contendebat, quamvis ceteroquin illa rebus suis, pace semel firmata, minus proficua videretur, eoquod in media Archiducis ditione sita esset; cum vero hujus urbis Episcopalem Sedem non sine magno proventuum commodo Volseyus Regis cliens, primusque Minister administraret, hinc Henricus hac ratione impulsus hanc urbem animo tam obfirmato retinere statuit, ut ejus arbitrio omnino cedendum esset. Altero contendebatur articulo, Regi Angliæ quotannis numerandos esse centies mille aureos, in compensationem jurium, quæ in Franciam haberet; nihilominus Galliæ Legati hanc summam ad sexies centena librarum millia sex annorum spacio solvenda dextre deducebant, ea tamen ratione verum tributum Galliarum Regno imponebatur; Scriptorum nonnulli omnino decies centum aureorum millia imperata refe-

referunt, aſt illi comprehendunt etiam ſeptingenta illa quadraginta quinque aureorum millia in Stapulenſis fœderis legibus promiſſa (*), quorum tamen non niſi exigua pars hucusque Anglis numerata fuerat. Igitur Regis utriusque Deputatis cunctos articulos mutuo conſenſu firmantibus, fœdus die ſeptima menſis Auguſti utrinque ſignabatur, quamvis jam menſe Majo ab armis ceſſatum eſſet. Triplicis hujus fœderis articulos Rapinus de Thoiras integros recitat. Sæcul. XVI. A.C. 1514. *Rapin Thoiras hiſt. Ang. t. V. p. 86. & 87.*

§. IX.

Ludovici XII. nuptiæ cum Maria Angliæ Regis Sorore.

Ergo Regia Angliæ Princeps in Gallias deducitur, cum vero ſolemni ritu Carolo Archiduci deſponſata eſſet, eadem paucis ante firmatum fœdus diebus, præſente Notario, nonnullisque teſtibus palam profitebatur, quod ſe Caſtellæ Principi Auſtriæ Archiduci fidem ſuam deſpondere, vi compulſa fuiſſet, ac præterea Archidux pollicitus eſſet, quod illam, quamprimum decimum quartum ætatis ſuæ annum attigiſſet, per Procuratorem ac *per verba de præſenti* ducere vellet, nihilominus fidem ſuam fefelliſſet. *Marian. lib. 30. n. 107. Polyd. Virg. lib. 27.*

Facta

(*) *Vide Librum CXVII. §. 24.*

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

Facta hac declaratione iter aggressa Abbavillam pervenit, ubi Ludovici Regis nomine Engolismensis Comes die nona Octobris Anno Domini millesimo quingentesimo decimo quarto eam desponsabat. Ceterum Juvenis ille Comes, qui Ludovico abs liberis decedente proximus Regni hæres erat, animum suum in adolescentis hujus Reginæ amorem accendi senserat; cum vero Suffolciæ Dux, qui Regis Angliæ Legatus eandem in Gallias comitabatur, ac ante hasce nuptias illam quoque amore deperibat, necdum pristinas affectus sui flammas extinxisset, Arthus Gouffierus Engolismensis Comitis, qui alias Valesii Dux dicebatur, Gubernator illum serio admonuit, ut sibi provide de iminenti periculo caveret, quod forte ei impenderet, nec cervici suæ Dominatorem sibi imponeret, idque merito sibi etiam a Suffolciæ Duce timendum ajebat; hæc Arthi admonitio juvenem hunc Comitem ab amoris sui plaga sanabat, ille autem Suffolciæ Ducem omni in loco velut e specula observari iubebat.

§. X.

Connubium Valesii Ducis cum Claudia Galliæ Regis Filia.

Brantome vie des Dames.

Eodem anno Claudia Ludovici XII. natu major filia nupsit Francisco Valesii Duci,

Duci, qui ex Regni lege proximus erat Gallicæ coronæ hæres. Equidem Anna de Britannia, cum Franciſci Matri minus propenſa eſſet, Claudiam filiam ſuam, ut memoravimus, Carolo Archiduci jungi poſtulabat, verum ratio ſtatus ejusmodi nuptias reprobabat. Ergo Claudia jam anno milleſimo quingenteſimo ſexto Valeſio Duci in Sponſam promittitur, cui tamen nonniſi hoc anno die decima quarta Maji (*) in Eccleſia S. Germani in Laia matrimonio copulata, ac poſt Ludovici XII. obitum Reginæ honoribus decorata fuit. Primam lucem aſpexit die decima tertia Octobris anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono. Non equidem corporis forma eminebat, quinimo claudicatione vix tamen apparente deformis erat; nihilominus naturæ vitia largiter virtutum præſtantia emendabat. Has nuptias Rex, ne conjugi ſuæ moleſtiam crearet, maturare noluit, Regina tamen fatis functa, non modo datam Duci fidem exſolvit, ſed etiam regias literas expediri juſſit, quibus eidem Britanniæ Ducatum ceſſit, non quidem

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

(*) *Mezerayus in ſua Synopſi Chronologica pag.* 201. *has nuptias die* 18. *Maji, P. Daniel vero decima ejusdem menſis celebratas memorant.*

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

quidem sine quadam animi repugnantia, utpote turbarum memor, quas Britonnes adversus eum, cum adhuc Aureliæ Dux esset, in Gallis suscitabant.

§. XI.

Plurium Cardinalium obitus, & primo Eboracensis.

Pitseus de illustr. Angl. Script. Rapin. de Thoiras hist. D'Angl. t. 5. p. 89.

Dum interea Volseius Londini cum Franciæ Legatis de pace ageret, Romæ Bambriggius, quem alii Bambridge nominant, Eboracensis Archiepiscopus die decima quarta Julii, vel si aliis Scriptoribus fides, ultima Junii rebus humanis valedixit. Vocabatur Christophorus Urswiceus, qui unacum Joanne Morono Cantuariensi Archiepiscopo sub Rege Richardo III. quamdiu is Anglorum Regnum usurpaverat, graves persecutiones perpessus est. Ast Henricus VII. cum ad Regnum perveniisset, eundem ab Eleemosynis habuit, ejusque opera usus est in legationibus ad potentissimos quosque Europæ Principes, eidemque Archiepiscopatum Eboracensem contulit, Alexander vero Papa hujus nominis sextus suum in Anglia Thesaurarium instituit, demum Julius II. Anno Domini millesimo quingentesimo undecimo Cardinalibus Presbyteris adscripsit. Ferunt, illum a quodam Italo ejusdem familiari, qui simul

mul & illius Sacellanus erat, fuisse veneno interemptum. Gallorum studiis haud parum addictus præclara Ludovico XII. præstitit obsequia. Eo Romæ defuncto, Leo Papa, quamvis de relictis ejusdem beneficiis disponendi jus haberet, nihilominus Henrico VIII. Angliæ Regi perscripsit, se eo inconsulto nihil acturum; cum ergo Rex Eboracensem duntaxat Archiepiscopatum Thomæ Volseio conferri peteret, id quoque Papa protinus illius precibus dedit. Sæcul. XVI. A C. 1514.

§. XII.

Carreti Finarii Cardinalis extrema.

Eodem anno duorum adhuc Cardinalium mortem sacrum luxit Collegium; horum primus fuit Carolus Dominicus de Carreto, qui regnante Ludovico XII. in aula Franciæ ad amplissimos honores meritorum suorum suffragio evectus, primum Carducensis, mox Rhemensis, ac denique Turonensis Episcopus renunciatus est; hunc etiam Julius II. quamvis cetera Ludovico Regi parum faveret, ad ejus tamen preces Cardinalium Senatui Anno Domini millesimo quingentesimo quinto annumeravit. Idem Pontifex nullum non movit lapidem, ut Carretum Romam attraheret, eumque favoribus, quibus suam erga illum venerationem testatam

Bemb. l. 2. hist. Venet. & c. l. 9. Guicc. l. 10. Folieta in elog. Aubery hist. Cardin.

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

ſtatam faceret, cumulare poſſet. Nec ipſe viciſſim benevolentiæ memorem gratumque animum exhibere neglexit; Sedis enim Apoſtolicæ auctoritatem adverſus Piſanum Concilium ſtrenue tuebatur, necnon in Lateranenſi Synodo pacem inter Chriſtianos Principes ſummo ſtudio procurabat. Vulgo Finarii Cardinalis appellabatur, eoquod Galleatii filius, ac Alphonſi I. Finarii Marchionis, Fabricii Carretti ordine quadrageſimi ſecundi Equitum Hieroſolymorum Magiſtri, ac Ludovici ſeu Aloyſii Cadurcenſis Epiſcopi frater eſſet. Obiit Romæ hoc anno menſe Auguſto.

§. XIII.

Mors Cardinalis Briſſoneti.

Paul. Jov. Guicc. l. 8. & ſeq. San-Marth. Galli. Chriſt. de Epiſ. Nar. Rhem. tom. 1. Lodevienſ. & Meldenſ. tom. 2.

Die quarta Decembris itidem mortalitatem exuit Guilielmus Briſſonetus, alias *Cardinalis Maclovienſis* dictus, eoquod primo illius urbis Epiſcopus eſſet; poſtea vero ad Nemauſienſem, ac denique poſt Robertum Briſſonetum ejus fratrem ſub annum Chriſti milleſimum quadringenteſimum nonageſimum ſeptimum ad Archiepiſcopalem Rhemenſem Eccleſiam evectus fuit, unde etiam die vigeſima Maji anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo Ludovicum XII. Galliarum Regem ſacro oleo inunxit: anno tamen mill-

millesimo quingentesimo septimo Rhemen- Saecul. XVI.
sem Archiepiscopatum abdicavit, Narbo- A. C. 1514.
nensi præfectus. Exposcente Carolo VIII. eoque præsente consecutus est Guilielmus sacram purpuram, quam ipsemet Alexander VI. in publico Patrum Senatu eidem propria manu contulit. Is apud Carolum, ejusque Successorem Ludovicum XII. Galliarum Reges plurimum gratia ac auctoritate valebat, suoque ministerio summa cum laude fungebatur. Observant Paulus Jovius, Bembo Cardinalis, & Guicciardinus, Guilielmum Carolo VIII. auctorem fuisse expeditionis in Neapolis Regnum suscipiendæ. Idem quoque in Pisano Concilio adversus Julium II. vehementius agebat, quare ab eodem Pontifice dicta ei dies fuit, ut Romæ se sisteret, cum vero contumax esset, Cardinalatu privatus est. Cetera Vir erat rerum gerendarum dexteritate conspicuus, Literatorum fautor, ac Gallici nominis studiosissimus. Priusquam sacris initiaretur, Rolletam Berneam uxorem habuit, ex qua duos suscepit filios, Guilielmum Meldensem Episcopum, ac Dionysium Lodevensem Antistitem: Scripsit præter Enchiridion precum Christianarum, qui libellus ei attribuitur, præter Acta Synodi Maclovii habitæ, in qua urbe probitatis exemplo, ac Religionis Zelo clarus sedem figebat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1514.

§. XIV.

Pax Gallos inter & Anglos Pontifici minus probata.

Belcarius l. 14.

Pace Franciam inter & Angliam firmata, integrum ac liberum Ludovico erat, ut ditiones, quas adverſo belli curſu in Italia amiſerat, pro arbitrio ſuo recuperaret. Id vero diſplicuit Pontifici, qui quidem datis literis ipſum Henricum Angliæ Regem, ut Gallis pacem concederet, ſollicitabat, ubi tamen negotio ultimam pœne manum admoveri cernebat, nullum non movit lapidem, ut cæpta ſubverteret; quin imo ad repellenda hoſtium arma cum Arragoniæ Rege unius anni fœdus iniit, cumque ſibi ſoli belli mollem impendere pertimeſceret, pro more Nationis ſuæ cum utraque parte concordiam ſtabilire conatus eſt, ac propterea Galliarum Regi fœderis pacta propoſuit, non quidem eo animo, ut eidem Mediolani expugnationem magis expeditam redderet, ſed ut Hiſpanis Neapolis Regno pulſis, illud in Julianum de Medicis fratrem ſuum transferret, cui etiam Cæſar non modo pro Neapolis Regno, ſed etiam pro Beneficiario Regienſi Ducatu inveſtituræ diploma pollicebatur. Aſt Pontifex haud immerito Maximiliano utpote nonniſi propriis commodis intento,

tento, ejusque promissis exiguam fidem adhibebat, hinc quæ sibi proponebantur, auribus quidem excepit, sed vicissim alia proposuit, nunquam tamen hac in re quid facturus esset, decidit; interea vero nec labori nec sumptibus pepercit, ut Helvetios ad suas partes pertraheret, illos vehementer adhortatus, ut in suscepto Maximilianum Sfortiam in Mediolanensis Ducatus possessione tuendi proposito firmi persisterent. Sæcul. XVI. A. C. 1514.

§. XV.

Sessio IX. Concilii Lateranensis.

Die quinta Maji celebrata est Synodi Lateranensis Sessio ordine nona, cui æque ac priori ipse summus Pontifex præfuit, comitantibus eum cunctis Cardinalibus, ac Præsulum quam plurimis. Sacro minus solemni de Spiritu Sancto per Dyrrachinum Archiepiscopum peracto, Antonius Puccius Cameræ Apostolicæ Clericus sermonem habuit; demum recitatis litaniis, aliisque precibus consuetis Cardinalis Arragonius ex capite 14. S. Joannis Evangelium decantavit, quod incipit: *Si diligitis me* &c. Eo finito Lusitaniæ Regis Oratores dato pedum osculo summo Pontifici mandatum Regis sui offerebant, de facultate sibi tradita Synodo assistendi eundem certiorem

Labbe Conc. l. 14. p. 203. 208. Raynald. ad ann. 1514. n. 3. Osor. l. 9. Marian. l. 30 n. 110.

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

reddentes. Datæ sunt hæ literæ, quas Phædra alta voce perlegit, Ulyssipone die vigesima prima Octobris Anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo. Posthæc Marius de Peruschis literas seu *instrumentum* recitavit, quo ex Pisano Concilio Franciæ Prælati, qui eidem Concilio adhæserant, suam a Lateranensi Synodo absentiam excusabant, *Venimus*, inquiebant illi, *usque ad montes Romam ituri, quia vero non potuimus obtinere salvum conductum ab Imperatore, & Mediolanensium Duce, Alpes trans Delphinatum superare ausi non sumus*, demum supplices rogabant, ut a censuris, quas incurrissent, solverentur, polliciti, se Pisanæ Congregationi renunciaturos, ac in omnibus Lateranensi Concilio adhæsuros. Dabant has literas die decima septima Martii, suaque illis nomina apponebant Cabilonensis, Lexoviensis, Ambianensis, Engolismensis, & Laudunensis Episcopi. Confecerat autem præfatum *instrumentum* Guilielmus Costa Prior Commendatarius de Valleloysia Ebrodunensis Diœcesis, & Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Salvatoris Montispessulani, ex Diœcesi Magalonensi. Ut vero Franciæ Prælati suas excusationes firmis inniti rationibus, seque dudum corde & ore Pisano conventui nuncium misisse testarentur, declararunt, se in quodam cœnobio Taurinensis

Diœce-

Diœceſis jam a decima ſeptima Martii per duos ferme menſes moram traxiſſe, ac publicæ ſecuritatis literas præſtolatos fuiſſe, eas vero obtinendi nulla ſpe facta, coram præfati Conventus Superioribus publicum erexiſſe inſtrumentum, quo apertius conſtaret non modo de debita eorum diligentia, qua Sanctitatis ſuæ mandatis obtemperare parati eſſent, ſed præcipue de ſincera voluntate, qua per idem inſtrumentum jam tum Piſanæ Congregationi renunciaſſent, ac Lateranenſi Synodo adhæſiſſent, prout & nunc illam deteſtari, huic vero adhærere vellent. Sæcul. XVI. A.C. 1514.

§. XVI.

Abſolutio abſentibus Franciæ Prælatis a Pontifice conceſſa.

Equidem Hieronymus Moronus Mediolanenſem Ducem, cujus Orator erat, ob denegatas ſecuritatis literas culpa liberare ſatagebat: cum vero ejus rationes, quantumvis validæ, ſemper tamen Præſulum adventum præpediviſſent, horum excuſationes a Synodo admittebantur, eosque Papa a cenſuris, ſi quas incurriſſent, abſolvit, impoſito rurſus præcepto, ut Concilio adeſſent, ſeveriſſime etiam prohibens, ne quis illos in ſuo itinere Romam verſus quovis pacto impedi- *Collect. Conc. t. 14. p. 201. & ſeqq. Raynald. hoc ann. n. 45. 8. 47. 18. & ſeq. Bemb. l. 6. ep. 20. Paris de Graſſ. t. 4. p. 47.*

Sæcul. XVI A. C. 1514.

pediret. Hujus rei Bullam condidit ab Episcopo Massilienſi prælectam. Præterea Pontifex preces injunxit per universum Orbem Christianum pro pace inter Principes obtinenda, necnon pro unione adversus Infideles, hancque in rem Indulgentias elargitus est: demum districte prohibuit, nequis ejus fœderibus, quæ aut per Legatos aut Nuncios Apostolicos inire voluerit, clam vel aperte aliquod impedimentum quovis pacto interponere præsumeret.

§. XVII.

Decretum de reformatione Curiæ Romanæ in hac Sessione promulgatum.

Collect. Conc. p. 219 & seq.

Post hæc Neapolis Archiepiscopus prolixum perlegit decretum de Reformatione Curiæ Romanæ, in quo non pauca continentur statuta circa morum disciplinam. Primo enim sancitum. *Ut deinceps Ecclesiis de personis ætate matura, gravitate morum, literarumque scientia præditis provideatur; nullus quoque Episcopus Ecclesiis citra vigesimum septimum ætatis annum, nec monasteriis Abbas citra vigesimum secundum præesse valeant. Utque personæ idoneæ promoveantur, Cardinalis, cui electionis, postulationis aut provisionis Ecclesiæ vel monasterii relatio committetur, ante-*

antequam in Consistorio electum proponat, uni cujuslibet Ordinis antiquiori Cardinali electionem notam faciat, ut negotium electionis examinetur, & si qui contraverint, idoneos, & fide dignos testes audiant, & si opus fuerit, alios assumant, processusque & jura ejusmodi relationis unacum dictis testium ad consistorium deferant.

Sæc. XVI. A.C. 1514.

II. *Nullus Episcopus, aut Abbas, quovis requirente, nisi sibi copia & facultas legitimæ defensionis permittatur, etiamsi crimina fuerint notoria, diligenterque auditis partibus, dignitate privari valeat: neve aliquis Prælatus invitus, nisi ex aliis justis efficacibusque rationibus & caussis, transferatur a sua Ecclesia ad aliam*

III. *Quoniam ex commendis Monasteriorum ipsa Monasteria tam in spiritualibus, quam in temporalibus graviter læduntur, statutum, ut cum illa per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacaverint, nullo pacto cuiquam possint commendari, nisi pro conservatione auctoritatis Apostolicæ Sedis, & ad occurrendum malitiis illam impugnantium. Ea vero monasteria, quæ commendata fuerint, cum per Abbatum decessum, quibus erant commendata, commendæ hujusmodi cessaverint, Cardinalibus duntaxat, ac personis bene meritis commendari possint. Ita tamen ut Commendatarii, si mensam separatam habuerint, ac seorsim a mensa conventuali,*

Sæcul XVI A.C. 1514

ventuali, quartam suæ mensæ partem pro restauratione fabricæ Conventus impendant; si vero mensa fuerit communis, tertiam omnium fructuum monasterii, pro fabrica Monasterii, & sustentatione Monachorum impertiri teneantur.

IV. *De cetero Parochiales Ecclesiæ. ac dignitates, quarum fructus ducentorum auri valorem annuum non constituunt, S. R. E. Cardinalibus non commendentur, nisi per obitum familiarium suorum vacaverint, quæ illis commendari possunt, ut illa ad illarum personarum sibi gratarum & idonearum commodum infra sex Menses dimittere teneantur.*

V. *Ecclesiarum membra a suo capite absque legitima & rationabili caussa nequaquam disjungantur; dispensationes autem ad plura incompatibilia beneficia ultro duo, nisi qualificatis non concedantur, nisi ex magna & urgenti caussa. Personis vero ultra quatuor beneficia, parochiales Ecclesias, vicarios, ac dignitates, etiam per viam unionis vel commendæ ad vitam obtinentibus terminus duorum annorum ex nunc præfigatur, ut interim quatuor tantum ex eis retentis reliquas dimittere teneantur, & beneficia dimittenda resignare valeant in manibus Ordinariorum.*

Præ-

Præterea eodem decreto ea, quæ Cardinales, atque Curiæ Romanæ Officiales concernunt, ordinata fuere, & quidem de Cardinalibus ſtatutum, *quod cum illi ceteros omnes in ipſa Eccleſia poſt ſummum Pontificem honore ac dignitate præcedant, conveniens ac debitum ſit, ut vitæ munditia, ac virtutum ſplendore cunctis præfulgeant. Quapropter ſint omnes divinis officiis, Miſſarumque celebrationibus intenti, habeantque capellas ſuas, in loco honeſto, Sitque eorum domus, familia, menſa, ſuppellexque non faſtu aut pompa, neque ſuperfluis rebus reprehenſibilis, ne peccandi, excedendique modum licentia inde naſcatur, ſed ut æquum eſt, modeſtiæ, & frugalitatis ſpeculum dici mereantur. Illis itaque ſint contenti, quæ Sacerdotalem præſeferunt modeſtiam, ac Prælatos & quoscunque alios inſignes Viros ad Romanam Curiam venientes benigne, honorificeque tam publice quam privatim tractent. Præterea miniſterium indecorum Epiſcoporum, Prælatorumque in domibus non habeant, ne ceteris præeſſe inſtituti in vilia deſcendant miniſteria. Statuimus quoque, ne partialitatem ſuſcipiant aliquam. Principum & quorumcunque aliorum, ac præſertim pauperum & Religioſorum juſta negotia pio promoveant affectu.*

Tituli ſui loca, ſi præſentes fuerint, perſonaliter, ſi vero abſentes, per Vicarium ſemel

ſæcul. XVI. A. C. 1514.

Labbe Coll. conc. t. 14. p. 222. Rayn. l. c. n. 22. 23 & ſeqq.

Secul. XVI A.C. 1514.

mel saltem singulis annis visitent: Clericos & populos Ecclesiarum titulo suo subjectarum cum diligentia inquirant, vigilentque circa cultum divinum & bona dictarum Ecclesiarum, & pro augmento divini cultus, quilibet Cardinalis relinquat suo titulo, quantum sit satis ad Presbyterum unum commode ibi sustentandum, vel tantum illi relinquat vel donet, quantum conscientiæ suæ videbitur. Ecclesiarum bona temere non effundant Cardinales, sed ea in piis, & bonis operibus exponant: Ecclesiis, quæ illis commendatæ sunt, etiamsi Cathedrales fuerint, debite inserviri procurent, dignos vicarios seu suffraganeos cum competente mercede apponentes: reliquis de justo Religiosorum Deo servientium numero provideant, ædificia quoque in statu convenienti conservent, & diruta instaurent. Circa numerum Familiarium equorumque ea utantur circumspectione, ne luxus ac prodigalitatis vitio notari possint: neve rursus avari, sordidique habeantur: Attenteque provideant, ne quis in familia eorum in Sacris constitutus vestes portet, quæ Ordini Ecclesiastico parum conveniant, sed ita vivant, ut mores Ecclesiasticis suis Ordinibus non discrepent. Denique nullis Cardinalibus legationis titulum obtinentibus, eam per locum tenentes administrare liceat, sed personaliter ipsi adesse teneantur, exceptis tamen illis, quos legitima

tima cauſſa impediente abeſſe contingat, & hoc pro minori parte temporis. Sæcul. XVI. A.C. 1514.

De ceteris autem Officialibus fuit decretum, *ut Magiſtri Scholarum pueros ſuos ea, quæ ad Religionem & bonos mores pertinent, edoceant.* Blaſphemi quoque, Concubinarii, & Simoniaci in eodem decreto variis pœnis caſtigari jubentur; *ſi Clericus fuerit vel Sacerdos beneficiorum fructibus unius anni mulctetur, & hoc ſit pro prima vice, pro ſecunda, omnino beneficiis ſuis privetur; ſi tertia, ad omnia beneficia ulterius retinenda inhabilis reddatur. Laicus vero blaſphemans, ſi Nobilis fuerit, pœna viginti quinque Ducatorum mulctetur, & pro ſecunda vice quinquaginta, pro tertia vero nobilitatem perdat. Si vero ignobilis ac plebejus fuerit, in carcerem detrudatur, & ſi denuo deprehenſus fuerit, ad triremes damnetur. Sancitum præterea, ut Sæculares Judices contra Blaſphemos animadvertant, ſique eos juſtis pœnis non affecerint, quaſi eidem ſceleri obnoxii, eisdem quoque pœnis ſubjiciantur. Concubinarii æque ac Simoniaci tam Clerici quam laici juxta juris cenſuram ſevere puniantur. Quilibet habens beneficium cum cura vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, fructus ſuos non faciat pro rata omiſſæ recitationis. Si vero ultra dictum tempus in hac negligentia permanſerit, beneficio ipſo privetur. Intelligatur autem*

officium

Sæcul. XVI. A. C. 1514.

officium omittere, quoad hoc, ut beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit.

Collect. Conc. Labb. t. 14. p. 228. Raynald. l. c. n. 33. 34.

Statuitur, *ut fructus Ecclesiarum per sæculares ullos Principes, etiamsi Imperator, vel Reges fuerint, sequestrari, occupari sub quocunque prætextu non præsumantur sine expressa Romani Pontificis licentia, cum fructuum Ecclesiasticorum plenaria dispositio & administratio ad Romanum Pontificem, & illos etiam, qui ejusmodi Ecclesias jure obtinent, solum pertineat.* Innovantur etiam Canones *in favorem libertatis Ecclesiasticæ tam quoad Clericos, quam eorum bona editi,* ac prohibetur, ne *Laici Clericis decimas, & alia hujusmodi onera imponant.* Denique statuitur, *ut contra hæreticos, & Judæos procedatur per Judices a Papa deputandos, relapsi vero absque ulla spe veniæ ac remissionis debitis pœnis puniantur.*

Hæc decreta a Leone X. Papa salubriter condita, atque in nona Lateranensis Concilii Sessione circa Cleri Romani restaurationem promulgata fuere: nulla tamen ibidem mentio facta legitur querelarum, quas Galli, atque Germani ingeminabant. Recitato autem hoc decreto, idem Neapolitanus Archipræsul aliam ejusdem Pontificis Constitutionem prælegit, qua Sanctitas sua enunciabat, *se decimam Sessionem ad primam Decembris*

bris diem indicere, ut Prælati, aliique vocati commode ad ſacrum Lateranenſe Concilium venire poſſint. Eadem tamen Seſſio poſtmodum ad vigeſimam tertiam Martii prorogata eſt: cum vero argumentorum gravitas, quæ in eo pertractanda eſſent, amplius temporis ſpacium pro matura diſcuſſione expoſceret, Seſſio rurſus ad quartam Maji diem Anni ſequentis milleſimi quingenteſimi decimi quinti differebatur; unde prorogationis literæ ad valvas Eccleſiarum S. Petri & S. Joannis in Laterano die vigeſima ſecunda Martii affigebantur. Sæcul. XVI. A. C. 1514.

§. XVIII.

Selimi Turcarum Imperatoris victoriæ.

Interim Selimo Turcarum Imperatori cupiditatem, qua imperii ſui fines protendere anhellabat, ſatiandi materia nunquam deerat, ipſa animi ſui fortitudine magnis conatibus adſpirante. Jamjam Mammelucos numeroſo exercitu aggreſſus proſtravit, fugavitque. Inde victricia arma in Perſidem circumferens, cum Iſmaele Sophi die nona Octobris hoc anno manus conſeruit, dudum ancipiti eoque atroci prælio dimicans; tandem vero plena victoria Perſarum Regem profligavit, qui, cum recentem exercitum

Chalcond. in hiſt. Turc. l. 15. n. 8. 13. Bemb. l. 10. ep. 5. Rec. Bizar. rer. Perſ. l. 10 In collect. rer. Turcic. poſt Chalc. Leunclav. l. 7 in Pandect. Turc. n. 215. Paul. Jov. in Selim. Raynald. hoc ann. n. 40.

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

pro futuro bello contrahere haud posset, mediam Regni sui partem Victorum arbitrio reliquit. Verum inter Selimi triumphos ceteris facile palmam præripuit victoria, quam die vigesima sexta Augusti in Calderanis campis de Ismaele reportabat. Equidem hæc gloria plusquam suorum quinquaginta millibus Selimo stetit, imo e prælio redux Euphraten trajecturus, amissis belli tormentis majorem exercitus partem gladius & fuga abstulerat, nihilominus brevi suorum cladem pinguioris victoriæ quæstu reparabat; resumptis enim viribus Taurisium ac Kemnanam urbes armis subjecit, Aladuliam occupavit, ac devicto, trucidatoque Ustuaoglo Rege in Siriam contendit, ibique Campsonem Gaurum, Ægypti Sultanum haud procul Aleppo prælio vicit, cujus urbis cives, necnon Damasci totiusque reliquæ Syriæ incolæ ultro victoris imperium susceperunt: Inde vero Jerosolymam petens, totam Palæstinam subegit, fortissimi Sinan Bassæ ministerio usus, qui prope Gazam insignem prorsus victoriam reportavit. Post hæc Ægypti deserta victricibus suis armis emensus, Tomumbejum Mammelucorum Ducem haud procul Matherea profligavit, eumque Cairum usque fugere compulit, ubi acerrimum utrinque committebatur prælium ad tres omnino dies,

dies, noctesque pertinaci dimicantium studio protractum, donec tandem penes Selimum victoriæ summa staret. Nec multo post Mameluci prælium restaurantes rursum cædebantur, in quo Tomumbejus capitur, ac strangulatus ad quamdam Cairi portam, quam Selimus occupaverat, suspenditur, demum tota urbs militum deprædationi integro triduo exponitur. Ultimo tandem Selimus Alexandriam, Pelusium, Tripolim, ceterasque Ægypti urbes expugnavit, easque in unam Provinciam redegit. Sæc. XVI. A.C. 1514.

§. XIX.

Selimus cum valida classe expeditionem in Italiam parans.

Selimus tam secundo armorum successu inflatus, centum quinquaginta triremium classem paravit, hoc unum destinatum habens, prout ipse promulgari jusserat, ut omnes vires suas in Europam effunderet, totoque impetu in Italiam irrueret. Papa hoc nuncio vehementer territus, cum Cæsarem, Venetosque indomitam Turcarum vim repellendo impares intelligeret, ad utrumque speciatim Oratores ablegavit, quos inter illi, qui ad Rempublicam mittebantur, Venetis hæc exponebant: Vos minime latet, quod Turcis Italiam invadentibus, totus Chri- *Marian. l. 30 n. 109. Paul. Jov. in vita Selim. Spond. ad ann. n. 7.*

Sæcul. XVI. A. C. 1514

ſtianus Orbis in diſcrimen adducatur, ut ergo ſævi furentesque infidelium auſus præveniantur, Religionis Chriſtianæ, ſtatusque publici ſalus expoſcit. Nihilominus Veneti, cum de concordiæ pactis cum Cæſare convenire non poſſent, nil certi hac ſuper re ſtatuebant.

§. XX.

Papa Cæſarem, Venetosque ad Turcarum bellum fruſtra adhortatus.

Petr. de Angler. ep. 540. & 543. Raynal. ann. 1513. n. 100. & 109. & ann hoc n. 37. 43. & ſeq. Paul. Jov. hiſt. l. 4.

Nec Papæ legatis ad Cæſarem miſſis felicior adſpirabat eventus; hi enim incaſſum eidem exponebant, quod ipſe eſſet temporale totius Chriſtianæ Reipublicæ caput, ac proin ejus nomen apud totam retro poſteritatem odio foret, ſi ea, quæ Turcæ per ducentos propemodum annos Chriſtianis eripuerunt, recuperandi occaſionem negligere vellet, præcipue, cum Mammeluci, Perſæque potius invaſi, quam penitus extincti eſſent, & Selimus probe noſſet, hoſtes ſuos nonniſi per obfirmatam violentiam debellari poſſe, atque ea ex ratione ſelectiores totius exercitus copias, quæ ipſius in Europa ditiones tuebantur, in eos duxiſſet, ſubrogatis nonniſi exiguis, iisque rudibus adhuc ad bella tyronibus. Cæſar his rationibus parum moveri videbatur, ne

ne tamen Papæ Legatis palam adversaretur, se Imperatori Selimo arma inferendo imparem esse obtendebat, eoquod bello, quod in Venetos moviſſet, tam acriter implicaretur, ut novum suscipere haud sibi integrum foret, quamvis ceteroquin suam quoque opem conferre paratus esset, minime tamen copias suas ex Hungaria dimittere posset, eoquod ingenitum bellum sit Germanis cum Hungaris; proin timendum, ne illi transitum his aut omnino negarent, aut durissimis nonnisi conditionibus concederent. Obtendebat insuper, quod cum Ladislao Hungariæ & Bohemiæ Rege fœdus fuisset initum, vi cujus Rege defuncto Cæsar vel ejus posteri in hæc Regna succederent; hinc duo sceptra, quæ Nepoti suo competerent, amittendi periculo sese exponeret, quod tamen minime consultum foret: his denique addidit, magis e re esse, ut Imperii vires reserventur, fors quondam in Hungaria atque Bohemiæ Nobiles convertendæ; hos enim initis pactionibus vehementer adversari ajebat. Sæcul. XVI. A. C. 1514.

§. XXI.

Armorum societas adversus Turcas a Pontifice contracta.

Summus Pontifex hac Cæsaris repulsa nullatenus animo fractus, opera sedulo *Marian. lib. 30. n. 109.*

Sæc. XVI. A. C. 514.

dulo navata tantum effecit, ut adversus Turcas fœdus pangeret, Mediolanensi Duce, ac Genuensibus eidem nomen dantibus. Ceteros quoque Principes Christianos, ac præcipue Galliæ, Angliæ, & Lusitaniæ Reges ad eandem Societatem pertrahendi spem concipiebat. Præcipui autem hujus fœderis articuli erant. I. Ad recuperandas Christianorum Principum ditiones, Turcasque ab illis repellendos Fœderati justum Equitum numerum pro ratione cujuscunque virium taxandum suppeditabunt, atque ad conscribendos pedites, alendumque exercitum æstimatione facta certam pecuniaram summam subministrabunt. II. Siquis Fœderatorum alteri bellum nunciaturus esset, illum ceteri omnes velut communem hostem habebunt, invasumque tueri satagent. III. Denique Confœderati Principes sexdecim saltem Helvetiorum millibus suo quisque ære stipendia solvent. Attamen dominandi libido, invidia, ac mutua Principum odia pia hæc Pontificis evertebant consilia; opportune tamen factum, ut Infideles aliunde pluribus bellis impliciti, arma sua aliorsum convertere compellerentur, eoque pacto Italiæ saluti vel inviti consulerent.

§. XXII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1514.

§. XXII.

Papa Venetos in Cæsaris gratiam revocare conatus.

Depulso Turcarum metu Papa etiam Cæsarem inter & Venetos pacem conciliare constituit: ut vero conatibus prosper arrideret successus, Gallos nuper a Venetis ex Genuensi statu depulsos, ne denuo redirent, præpedire omni studio adlaboravit, cumque hanc in rem nullum efficacius censeret medium, nisi ut eosdem a Venetorum fœdere abstraheret, ideo hanc societatem rescindere conabatur, eo fine, ut demum pristinam Cæsaris cum Republica amicitiam restitueret; Hanc in rem Imperatori, quem pecuniarum illecebris capi sperabat, præprimis decies centena aureorum millia pro Verona aliisque, quas Germani in Continenti ditione occupassent, urbibus offerebat. Cæsari promissum arridebat; cum autem ejusmodi pactum Veneti consensu suo firmare cunctarentur, a Leone X, qui inscia Republica concordiam agitabat, de promissi securitate sibi caveri postulabat. Nonnihil angebatur Pontifex, ad Venetos tamen Bembum ablegabat, qui eos ad Papæ consilia inclinaret. Verum illi acquiescere renuebant. *Guicc. l. 12.*

Sæcul. XV. A.C. 1514.

§. XXIII.

Ludovicus hac de re edoctus, Pontifici mentem suam aperit.

Ludovicus Galliarum Rex rem edoctus, Pontificem fidei datæ proditorem, hostemque, qui ad speciem amicus, reapse tamen molestiam ei creare intentus esset, fore autumabat; Nihilominus sollicite ejus gratiam sibi demereri studebat hæc exponens: Ego animo constitui, quod pace cum Anglis firmata, exactaque hieme quantocius cum copiis meis in Italiam reverti velim: vestræ igitur Sanctitatis amicitiam exposco, ac spero, quod eadem saltem neutri parti palam sese addicat, ac inito fœdere polliceatur, quod copias suas a Fœderatorum exercitu revocare, ac Mediolanensis Ducatus expugnationem nec aperte, nec clam impedire velit. Leo X. Ludovici postulata ampliſſimis integræ amicitiæ pollicitationibus eludebat, cum vero a Regis Legato, ut annueret, impensius sollicitaretur, nil aliud in responsis dabat, quam hæc verba: ceterorum quoque amicitia mihi sedulo conservanda est; timendum enim, ne si Gallis mea devoveam studia, mox omnium furorem in me provocem. Hinc Regem rogo, ut me ab ejusmodi fœderis necessitate eximeret, cum ipsus

ipsus illud rebus suis nullatenus profi- Sæcul. XVI.
cuum, mihi vero summe noxium censere cogatur; denique faustissimi Ottomanicæ potentiæ successus omnino prohibent, ne & ego ad redintegrandum bellum, quod nonnisi copiosa Christiani sanguinis profusione extinqui potest, manu consilioque concurram. A. C. 1514.

§. XXIV.

Rex Mediolanensem Ducatum recuperare intentus.

Ludovicus percepto Pontificis responso, hunc consiliis suis minus propitium fore, haud ægre colligebat, hinc, ut Mediolani Ducatum recuperaret, nil inausum, intentatumque relinquere statuit. Ipsus etiam exercitum suum ducere anhellabat: ast cum jam aliquot abhinc annis ob podagræ dolores equo vehi præpeditus esset, hinc cui supremum exercitus imperium crederet, anxiis curis agitabat; Trimollium enim e Burgundiæ Præfectura evocare, minus consultum censebat, eoquod hæc Provincia Helvetiorum, si forte rursum eo redire attentarent, incursionibus exposita esset. De Trivultio, quod ei ad tuendum Mediolanensem Ducatum aut cura aut fortuna in Novarrensi obsidione abfuisset, graviter adhucdum querebatur; nec tanta

Sæcul. XVI A.C. 1514.

Regis erat de Valesii Duce, ejus licet genero, ac primo Regni hærede, ut eidem tanti momenti expeditionem committeret; præcipue cum aliunde ad ducendum exercitum quinquaginta armatorum millibus validum haud multo usu exercitatus esset. Tandem ergo Ludovicus Mompensierii Comitis solertiam selegit, qui quidem nonnisi viginti quinque annorum adolescens, Vir tamen bello ac pace summus erat.

§. XXV.

Regina vidua Scotiæ Gubernatrix.

In Scotia Jacobus V, nonnisi duos annos natus Patri suo succedebat, Regina Matre Henrici VIII. Sorore regni curas moderante: Huic enim Rex quamdiu ipsa viduitatem coleret, Scotiæ administrationem demandavit. Ceterum quod Regina sceptrum rotaret, hucusque hanc apud gentem insolita res erat, atque Regni Proceres abs dubio mortuo Rege testamenti tabulas rescidissent, nisi spes prævaluisset, qua Reginam ab Angliæ Rege fratre suo id impetraturum confidebant, ut ipse Scotiæ tranquilitatem minime turbaturus esset. Nec sua eos fefellit opinio, quippe toto, quo Regina absque Marito permanserat tempore, Regnum

gnum optata pace fruebatur: poſtquam autem illa Arcimbaldi Duglaſſii Anguſini Comitis nuptias expetebat, mox vario tumultu totum regnum turbabatur: Ipſa vero a regiminis cura eximebatur Joanne Albaniæ Duce in ejus locum ſubrogato. Hic poſtquam in Galliis uxorem duxerat, Ludovici Franciæ Regis ſtipendia merebatur, quamvis defuncti Scotiæ Regis Nepos eſſet. Sæcul. XVI. A. C. 1514.

§. XXVI.

Chriſtiernus II. Daniæ Rex.

In Dania Joanne Rege vivis erepto, Chriſtiernus ſeu Chriſtianus hujus nominis ſecundus ejus filius ſucceſſit; hic Princeps erat ad crudelitatem usque ſeverus, unde a ſuis *Crudelis* ſeu *Tyrannus*, ac *Septentrionis Nero* cognominabatur; ſub primis regni ſui auſpiciis exigua admodum valebat auctoritate ac potentia; quippe exortis Canutſonum inter & Upſalenſem Archiepiſcopum belli tumultibus, Regum Daniæ imperium nonniſi unius regni limitibus circumſcribebatur, Adminiſtratoribus illo abhinc tempore Scotiæ ſceptrum tenentibus. Horum autem imperium, cum Daniæ Regibus permoleſtum accideret, perſæpe, fruſtraneo tamen ſucceſſu, illud abolere conabantur: Tandem vero Jacobus Vulfinus

Jo. Magnus hiſt. Suec. l. 24. Chryſtræus Saxon. l. 9. De Thou l. 1. Ann. 1514.

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

nus Upsalensis Archiepiscopus Suecorum Regum studiis addictus, defuncto Stenonsturo regni Administratore, nil intentatum reliquit, ut Daniæ Reges in Sueciæ sceptra reponerentur: id cum impetrare non posset, Archiepiscopalem Sedem suam Errici Trolli Senatoris, qui Administratoris Stenonsturi capitalis erat inimicus, filio cessit. Hic Christierni II. novi Daniæ Regis partibus accedens, brevi cum Administratore simultates suscepit, moxque ejus Suffraganei Præsulis sui exemplum secuti sunt, quin imo eorum nonnulli iræ magis impotentes, Regem Daniæ, ut inducias rescinderet, sollicitarunt.

§. XXVII.

Regis Lusitani Legatio ad Papam.

Marian. l. 30 n. 110. Paris de Grassis MS. Arch. Vatic. c. 4. p. 44. Raynald. hoc ann. n. 1.

Interea Lusitaniæ Rex, qui in regno suo plena tranquilitate potiebatur, atque immensis, quas ex Indiarum navigatione quotannis percipiebat, divitiis auctus, priori anno ad finem vergente, solemnem Legationem Romam decernere constituit, eo fine, ut Romano Pontifici de more obedientiæ pensum exsolveret, ac insolita, eaque prorsus magnifica eidem offerret munera. Igitur Anno Salutis millesimo quingentesimo decimo quarto die

die duodecima Martii, Romam ingredi- Sæcul. XVI.
tur Oratorum princeps Triſtanus de Cu- A.C.1514.
gna, qui dudum in Indiis moratus, hujus regionis optime gnarus erat. Admittebatur is ad alloquium ſummi Pontificis præſentibus cunctis Cardinalibus, ibique Jacobus Pacecus tertius legationis ſocius, ac jurisconſultus longe celeberrimus Regis nomine ad Papam orationem dixit, non minus ſententiis gravem, quam verborum facundia præſtantiſſimam, quam Pontifex ſumma animi voluptate excipiens, paucis reſpondit, *Regem Emanuelem pro eo, ac par eſſet, ſe magnifacere,* Marian. l. 30 n. 112. *allata munera ſibi grata extitiſſe, & quod poſtularet, curæ fore; piiſſimos quoque tanti Principis conatus ſe pro viribus juvaturum.*

§. XXVIII.

Bulla Cruciatæ a Papa Luſitaniæ Regi conceſſa.

Poſt hæc ſummus Pontifex *confectis mox tabulis*, verba ſunt Marianæ, *cruciatæ veniam in opem belli Africani Luſitano Regi conceſſit. Adjecit in ſacri belli ſumptus decimarum Eccleſiaſticarum tertiam partem in templorum fabricas, & ſarta tecta, cultumque conſumi ſolitam: præterea aliorum ſacrorum vectigalium in univerſa Luſitania decimas indulſit. In uſu* Marian. l. 6.

harum

Sæcul. XVI A C 1514.

harum conceſſionum proſequitur Mariana, *graves extitere difficultates; Miniſtri & collectores ſimulatione Religionis inertiæ alimenta quærere, multas fraudes concipere, & alioqui ex publicis vectigalibus quantum peculatus avertit! iis incommodis commotus ſacer Ordo centum quinquaginta aureorum millibus (*) priſtinam redemere immunitatem, ac non ultra triennium moleſtæ exactiones exſtitere. Populo grave videbatur, eas copias in victum Sacerdotum, & templorum cultum deſtinatas alio converti, unde in Aulicorum delitias tandem deſinerent, rebus a prima origine mutatis.*

§. XXIX.

Æthiopiæ Imperatoris Legatio ad Luſitaniæ Regem.

Marian l.30. n. 113. Raynald. ann.1513.n. 28. & ann. 1514 n.103. Oſor. l. 9.

Sub idem tempus David Æthiopiæ Imperator glorioſa Luſitanorum facinora edoctus, gentis adeo bellicoſæ amicitiam expetebat: Igitur in ſpem erectus, quod pro mutuo commercio vires ſuas Luſitanis jungere poſſet, ad Regem ablegavit Armeniæ Monachum, Matthæum nomine

(*) *In Gallica Continuatoris editione fors ex errore typi non niſi quinquaginta aureorum millia annotantur; ea vero quæ idem Marianæ verbis de ſuis perperam addidit, non facti veritatem, ſed animum livore plenum teſtantur.*

nomine Virum non mediocri probitatis laude clarum, atque ad hoc munus pro dignitate obeundum valde idoneum. Hic primo itinere in Indias navigans, ab Alphonso Albuquercio, qui ibidem Regio nomine imperitabat, perhonorifice excipiebatur, ejusque jussu prima, quæ sese obtulerat, occasione in Europam instructis navibus deducebatur: Cum vero nautæ hunc Legatum nonnisi impostorem, fraudumque architectum arbitrati, multis eum tota navigatione contumeliis vexarent, Matthæus in Lusitaniam delatus graviter de injuria querebatur, unde omnes, qui procaciter Viro illudebant, in vincula conjiciebantur, severiores adhuc pœnas daturi, nisi Matthæus pro illis veniam precatus fuisset. Post hæc a Rege publice ad colloquium admissus, eidem literas Imperatoris sui Arabico & Persico idiomate conscriptas detulit, simulque Crucem auro magnifice inclusam e ligno Crucis Dominicæ donavit; hanc, ipsumque Legatum Lusitanniæ Rex summis honoribus recepit, totoque, quo in Aula morabatur, tempore frequentem cum illo sermonem habuit de moribus, ac Æthiopiorum, & Abyssinorum ritibus, de eorum religione, ceterisque omnibus, quæ studiosa indagatione digniora videbantur. Ceterum Matthæus semper Regio sumptu alebatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1514.

§. XXX.

Sæcul. XVI. A. C. 1514.

§. XXX.

Joannis Raulini Doctoris obitus.

Dupin. Bibl. des Auth. Eccl. t. 14. in 4. p. 92. XVI. Siecle.

Hoc anno die septima Februarii Joannes Raulinus magni nominis Doctor rebus humanis ereptus est. Is parentibus divitiis, ac genere clarissimis Tulli natus Parisiis in Navarræ Collegio studiorum curriculum emensus est, atque adeptis omnibus Academiæ honoribus, demum sub annum Christi millesimum quadringentesimum septuagesimum nonum Doctoratus laurea decoratus fuit. Biduo post Guilielmo de Castroforte Navarrensis Collegii Rectore vivis sublato, ipse ei subrogatur, quo munere non sine magno nominis sui honore defunctus, Bibliothecam cunctis proficuam instruere cæpit, quæ tractu temporis librorum copia plurimum aucta est. Refert Joannes Major, quosdam Religiosos ad prædicandas Indulgentias destinatos Raulino auctores fuisse, ut & ipse hujus muneris socius esset, proin mercede inde aquisita impensas, quas pro Doctoratus laurea facere compelleretur, sustinere posset, Raulinum vero respondisse, ejusmodi rem Christi Ministro indignam esse, atque ideo eorum consilio nullatenus acquievisse. Post hæc autem hujus sæculi vanitatem

ac

ac corruptionem sibi satis perspectam pertæsus clam ad Cluniacensium Abbatiam in Burgundia secessit, ibique sub annum a Christo circiter millesimum quadringentesimum nonagesimum septimum Monachorum familiæ nomen dedit, vitamque sancte, pieque exegit. Elapsis aliquot annis Parisios reversus, ac in Cluniacensi Collegio versatus, a Cardinale de Ambasia Ordinem S. Benedicti ad veterem disciplinam revocare jubebatur. Ceterum Verbi divini præconio non modo delectabatur, sed eo etiam munere non sine magno animarum fructu usque ad extremos vitæ suæ dies fungebatur, donec Parisiis mortis invidia Fidelium solatio ereptus esset. Non pauca posteris reliquit ingenii sui monumenta, quorum tamen potissima sunt nonnulla pietatis opuscula, sermones, atque epistolæ, quæ variis temporibus typis vulgabantur. Ejus epistolæ nonnulla ævi sui facta necnon plurima recte vivendi monita, eaque admodum salutaria complectuntur, has tamen epistolas allegoriarum frequentia, ac tropi, qui passim occurrunt, violenter intrusi inconcinnas efficiunt. Earum quasdam Stephano Ponchero Parisiensi Episcopo, alias Ludovico de Ambasia Albensi Antistiti inscripsit, in quibus Episcopalis muneris onera, necnon illius pericula exposuit. Nonnullas quo-

Sæcul. XVI. A. C. 1514

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

que direxerat ad Joannem Standucklum Theologiæ Doctorem, ac Montis-acutani Collegii Rectorem, qui Rhemensis Archiepiscopi causſam defendendam susceperat, postquam Guilielmus Brissonetus auctoritate ac potentia fretus, eandem Sedem ambierat, ac demum non modo æmulum suum superaverat, sed & purpuram aucupatus erat. Raulinus epistolas suas a Standuckio publici juris factas fuisse, postmodum datis hac super re ad Cluniacensem Abbatem literis querebatur. Trigesimam septimam inscripsit Regis Confessario, cui de moderandis Principum conscientiis sat gravia suggessit monita, ac in pericula, quibus hoc munus valde lubricum exponitur, susiori calamo excurrit. Quod vero ejus sermones attinet, quamvis pietatis sensu abundent, nullatenus tamen velut sacræ eloquentiæ exemplar proponi possent.

§. XXXI.

Ludovici XII. Galliarum Regis obitus.

Marian. lib. 30. n. 114. Guicc. l. 12. Paul. Jov. in vita Leon. X. l. 3. p. 146. & l. 14. & in

Exitiales prorsus Ludovico XII. quas nuperrime cum Maria Angliæ Regis sorore contraxerat, exstiterunt nuptiæ; cum enim nonnisi Filias procreasset, ac Valesii Duci, cujus prodigalitatem, luxumque haud ignorabat, minus propensus

sus esset, masculam prolem Regni hæredem procreandi desiderio accensus, novæ conjugis suæ amplexibus intemperantius indulgebat, unde brevi tempore viribus exhaustus, pristinam valetudinem recuperare haud poterat, unde aliquamdiu exigua in spe trahebat animam, tandem vero viribus expectatione citius deficientibus, Parisiis in Turnellensi Palatio die prima Januarii Anno Salutis millesimo quingentesimo decimo quinto extinctus est, anno ætatis suæ quinquagesimo quarto, Regni decimo septimo. In nullius unquam Regis morte populus communi magis luctu, ac lacrimis sine fraude decurrentibus ingemuit; nunquam enim viciſſim tenero magis affectu Rex suos complectebatur subditos, semper ingeniosus, ut illos sublevaret, ac beneficiorum lenociniis sibi devinciret; nec ullus alius unquam Princeps magis populos suos exactionum onere premi verebatur, quam Ludovicus; certabat populus Regi suo recens coronato donum centum aureorum millium offerre; condonabat ille; tertia bonorum pars a Prædecessore suo vectigal imponebatur, abrogabat ille& cum decimæ partis tributum in capita imperaretur, istius quoque summam singulis annis usque adeo imminuebat, donec non nisi ad dimidiam decresceret, quamvis bella, quæ gesserat, immensas

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

elog. Lud. XII.

Cl. Seyssel. hist. de Louis XII.

Saint. Gelais Brantome, D'Auton. le Feron.

Gaguin in vita Lud. XII.

Mezeray abreg. chron. t. 4. vie de Louis XII. p. 203 De Thou hist. l. 1.

Sæcul. XVI. A. C. 1515.

ferme pecuniarum summas absorberent: Hinc merito pietatis ac clementiæ suæ suffragio *Pater populi* appellabatur. Sepultus est in Ecclesia ad S. Dionysium, cor autem ejus apud Religiosos Cœlestinos Parisiis in Sacello Aurelianensi repositum fuit.

§. XXXII.

Franciscus I. Ludovici Successor.

Daniel. hist. de France t. 3. in fol.

Cum Ludovicus nullam prolem masculam reliquisset, sed duas duntaxat Filias, quarum natu majorem Franciscus, alias Dux Engolismensis dictus duxerat, idem etiam in Regnum successit, assumpto Francisci I. nomine. Proavum habebat Ludovicum Franciæ Regis Filium, primum Aureliæ Ducem, Avum vero Regem nuper defunctum; Idem enim Ludovicus Dux duos susceperat Filios, Carolum, Aureliæ Ducem & Patris sui successorem, ac Joannem, qui Engolismensis Comes nuncupabatur. Porro Ludovicum XII. Galliarum Regem procreaverat Carolus, Joannes vero alterius Caroli Pater erat, qui Franciscum I. progenuit. Is natus erat Connaci in Engolismensi Provincia die duodecima Septembris Anno Christi millesimo quadringentesimo quarto, ac mortuo Carolo Patre suo Engolismensis Comes, postea vero Valesii Dux cogno-

cognominabatur, eoquod Ludovicus XII. fiduciariam illius poſſeſſionem hoc Ducatu auxiſſet. Hac ex cauſſa Principes ex Franciſci genere progeniti, Valeſii cognominabantur, quamvis is reapſe ex Aurelianenſibus genus duxiſſet. Fuit Franciſcus de more Rhemis unctus hoc anno die vigeſima quinta Januarii a Roberto Lenoncurtio ejusdem urbis Archiepiſcopo, atque unacum Franciæ Regis appellatione ſimul Mediolanenſis Dux, jure uxoris ſuæ Claudiæ de Francia, Ludovici XII. Filiæ nuncupari voluit. Hæc enim Tridentinæ inveſtituræ titulo in hujus Feudi poſſeſſionem tum vocabatur, ſi Pater ejus absque prole maſcula decederet; ſat tamen veroſimile eſt, quod Claudia Marito ſuo jus iſtud poſt Patris obitum dono dederit. Arrogato igitur Mediolanenſis Ducis nomine, Franciſcus haud obſcure indicabat, ſe Prædeceſſoris ſui veſtigia preſſurum, nec diu nudo Mediolanenſis Ducis nomine contentum fore; ſua tamen conſilia, rebus nondum domi compoſitis, palam facere, inconſultum arbitrabatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

De Thou hiſt. lib. 1.

Guicc. l. 12. Bellcar. l. 15.

§. XXXIII.

Franciſci I. regiminis auſpicia.

Igitur Rex juvenis Rhemis profectus, ad ædem S. Dionyſii contendit, ut ibidem ob

Ferron Annal. Franc. Bellcar. l. 15.

Sæcul. XVI. A. C. 1515

ob adeptum Regni solium Deo gratias exsolveret, simulque pro prudenti subditorum regimine divinum exoraret auxilium. Præstito hoc pietatis obsequio Lutetiam Parisiorum ingreditur, cunctis hanc solemnitatem augustiorem reddere certantibus, totoque, quo Rex in oppido S. Dionysii morabatur, tempore usque ad Paschatis solemnia nil nisi hastiludia, choreæ, ludi, ac jocosæ exercitationes cernebantur, in quibus ipse Rex præclara dexteritatis suæ specimina edidit; nec tamen ejusmodi delectamenta usque adeo animum ejus occupabant, quin serio regni negotiis intenderet: eodem enim tempore Status sui rationibus providens, munia dignitatesque cunctis suis Officialibus rursum asserebat; regii tamen sigilli custodiam, Stephano Poncherio Episcopo Parisiensi, ac postea Senonensi Archiepiscopo ademit, hanc vero dignitatem Antonio de Pratis primo Parisiensis Parlamenti Præsidi commisit, titulo ac munere Franciæ Cancellarii adjecto; Carolum vero Borbonium nominabat Conneſtabilem; quamvis a tempore Comitis S. Pauli, qui sub Ludovico XI. capite plexus obiit, nullus hoc honoris gradu decoratus exstitisset. Jacobum etiam Chabannium Palicii Toparcham in Franciæ Marescallum evehebat, qui tamen, cum jamjam supremus Regii Palatii Magister esset, officium

ficium ſuum Artho Gufferio Boiſienſi Regis Moderatori ceſſerat. Denique Vindocini Comitem Inſulæ Francicæ, Lautrecium vero Aquitanniæ Præfectos nominabat. Sæcul. XVI. A.C.1515.

§. XXXIV.

Fœdus cum Anglis a Franciſco Rege innovatum.

Rebus ita domi diſpoſitis Franciſcus primas eo curas intendit, ut fœdus, quod ſuus Prædeceſſor cum Henrico VIII. Angliæ Rege ſanxerat, rurſum innovaret; nec hæc quoque res magni molimenis erat; ipſe enim Angliæ Rex, ut Ferdinando moleſtiam crearet, prior amicitiæ deſiderio certabat: quapropter quinta jamjam Aprilis die novum fœdus priori haud abſimile utrinque firmabatur. *Hiſt. de la ligue de Cambray tom. 2. p. 396.*

§. XXXV.

Fœdus cum Carolo Auſtriaco.

Interea aliud quoque agitabatur fœdus cum Carolo Archiduce, Hiſpaniæ Principe, ac Belgii Duce, ac cum iſto armorum ſocietas die vigeſima quarta Martii Pariſiis concluſa fuit, ſequentibus circumſcripta legibus; I. Galliarum Rex Carolum poſt Ferdinandi Avi ſui obitum ad vindicandam Matris, ac Aviæ ſuæ

Sæcul. XVI A. C. 1515

successionem militibus, navibusque juvabit; II. Carolus Gallis Mediolanensem Ducatum recuperare tentantibus minime adversabitur; III. Idem Renatam natu minorem Ludovici XII. Filiam, ac Reginæ Sororem matrimonio sibi junget. Præterea inter eos conventum, ut Archidux clientelæ professionem ob Flandriæ & Artheſiæ Comitatus, quos Galliæ Regum beneficio possideret, nonnisi elapso quinquennio exsolveret. Referunt nonnulli, quod Carolus Navarræ restitutionem promiserit, quamprimum Regis Catholici avi sui hæreditatem adiisset. Alio demum secreto articulo, qui & unicus effectui dabatur, cautum fuit, ut Nassoviæ Comes, qui plena hoc fœdus sanciendi auctoritate ab Archiduce instructus erat, Principis Arausionensis Sororem apud Reginam in Franciæ aula educatam sibi uxorem duceret.

§. XXXVI.

Helvetii cum Gallis amicitiam inire recusantes.

Franciscus rebus ita cum Angliæ Rege, ac Belgii Principe compositis, cum Helvetiis quoque de concordia agere constituit, hanc in rem pro Oratorum suorum, quos eo decernere cogitabat, securitate fidei publicæ literas dari postulavit.

vit. In diversa scindebantur Helvetico- Sæcul. XVI.
rum Pagorum sententiæ, aliis ægre fe- A C. 1515.
rentibus, quod sola sibi relicta Mediola-
nensis Ducatus tuendi gloria, annuis sti-
pendiis, quæ sub trium Regum Prædece-
ssorum imperio a Gallis recepissent,
privarentur; accessit quoque jacturæ do-
lori majoris lucri fiducia; illis enim pol-
licebantur Galli, se quadringenta aureo-
rum millia in Divionensi pacto promissa
illis Cantonibus, qui in Italia Galliæ Re-
gem armis turbaturi non essent, nume-
raturos. Alii ex adverso numero superio-
res Cæsari Regique Catholico favebant,
atque a Sedunensi Cardinale sollicitati,
Gallis Oratoribus publicæ securitatis li-
teras dare recusabant. Rex hac repulsa
parum commotus, responsum, quod ejus
Legatis dedissent, ubique divulgari præ-
cepit, nimirum Helvetios, quam primum
se daret occasio in Burgundiæ Ducatum
arma illaturos, nisi Galli Divionense pa-
ctum integra fide servaturi essent: Qua-
propter omnium ea erat opinio, ingen-
tem illum armorum apparatum, qui Lug-
duni, atque in Burgundia instruebatur,
adversus Helvetios comparari.

Sæcul. XVI. A. C. 1515.

§. XXXVII.

Cæsar, Rexque Catholicus inducias innovare renuunt.

Equidem Rex cum Cæsare fœdus inire anhellabat; hic autem inconsulto Rege Catholico rem agere detrectabat. Quare Ferdinandum convenire oportuit, Rexque ad illum protinus Gufferium Boisyensem ablegavit, qui tamen inducias cum Ludovico XII. sancitas innovari, incassum laborabat, re infecta in Gallias redire compulsus; eoquod Rex Catholicus immota animi sententia postularet, ut Galliarum Rex fidem daret, se toto induciarum tempore Italiam minime lacessiturum. Insuper Cæsar, cum pro Italiæ rebus Catholici Regis amicitiam servare desideraret, Fleurangium Marescallum, quem Franciscus ablegaverat, spe sua delusum pariter in Franciam reverti jussit. Ergo Galliarum Rex, cum utramque hanc negotiationem successus felelliset, cum Venetis agere constituit. Equidem Franciscus Rex fœdus, quod ejus Prædecessor cum Republica Blesis inierat, atque firmaverat, minus proficuum fore arbitrabatur, quamdiu amicitiæ cum Maximiliano ac Ferdinando stabiliendæ spes affulserat; eoquod redintegrati fœderis legibus Cæsari bellum nunciare, eum-

eumque, ut Venetis urbes in Longobardia illis ereptas redderet, compellere debuiſſet: Jam vero abjecta concordiæ ſpe, Franciæ Senatus Reipublicæ Oratori faciles præbebat aures, pactaque Bleſis inita, nulla conditione dempta, integre renovabat. Tanta hujus fœderis fiducia Franciſcus Rex erigebatur, ut Oratori præciperet, quatenus Venetis fidem daret, totum Franciæ exercitum elapſo nondum quatuor menſium ſpacio Abduæ collectum iri. Nec verborum ſuorum facilitati fidei conſtantia defuit. *Sæcul. XVI. A.C.1515.*

§. XXXVIII.

Regina vidua Ludovici conjux Suffolciæ Duci nupta.

Fervente hac rerum viciſſitudine Maria Regina relicta Ludovicici XII. uxor Carolo Brandoni Suffolciæ Duci nupſit, quem ante nuptias cum Rege defuncto initas, tenero amoris affectu complectebatur, ac nonniſi Henrico VIII. fratri ſuo obſequendi ſtudio, pacemque Angliam inter & Franciam conciliandi deſiderio, primas cordis ſui flammas reſtinxit. Aſt intimius hærens amor Ludovici obitu rurſum ſuſcitatus eſt: Itaque Mariti ſui vinculis ſoluta nuptias accelerabat. Equidem Henricus quod res erat ſuſpicatus, quamvis non admodum invitus eſſet, nihilo- *Duchesne hiſt. D' Angl.*

Sæcul. XVI. A. C. 1515.

hilominus datis literis sororem suam, ne ad secundos thalamos procederet, commonere simulabat; quapropter Regina Henricum connubio cum Suffolciæ Duce adversaturum verita, clam se eidem hoc anno mense Martio conjunxit. Primo quidem Henricus rem permoleste ferebat, brevi tamen indignationi, utpote nonnisi specietenus conceptæ prævaluit lætitia, quam inde reapse percipiebat. Quocirca novos sponsos, die duodecima Maji Londinum venientes, perbenigne excepit, eorumque nuptias omnino ratas habuit.

§. XXXIX.

Papa neutri parti adhærere a Galliarum Rege rogatus.

Franciscus I. haud ignarus, Pontificis animum ob memorata fœdera anxiis agitari votis, eundem rogavit, ut saltem in caussa Gallos inter & Maximilianum Sfortiam neutrius partem sequeretur, sed fortunæ successum præstolaretur, demum cui magis faveret illa, suum quoque studium erga eundem palam profiteretur, fidemque fecit Rex, quod supremum Florentiæ Imperium Medicæorum familiæ semper conservare, nec unquam eorum, quæ sub Rege ejus Prædecessore gesta fuissent, memoriam retinere vellet, sed potius cum Sanctitate sua conjunctissime viva-

vivere, semper paratus esset. Primo equidem Papa, ut se integrum, liberumque conservaret, ægre admodum consentiebat; ast postquam eidem proponeretur, quod vix a quovis alio Principe pro tuenda Sedis Apostolicæ auctoritate, propriæque Domus suæ incremento ampliora, quam Galliarum Rex polliceretur, sperari possent, ac præterea neo-electus Rex unius saltem anni cursu indigeret ad hoc, ut subditorum suorum affectum sibi conciliare posset, eoquod necdum Regni sui vires sibi perspectas haberet, proin adhuc illis uti minime valeret, hinc Leo, quamvis ejusmodi rationes veritati minus consonas censeret, illis tamen se victum simulabat, ac neutri parti favere pollicebatur; interim vero cum Rege Catholico fœdus sancire intentus erat; Ferdinandus enim Pontificis amicitiam conservare, Gallosque ab Italiæ accessu arcere, summis votis anhellabat. Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. XL.

Sessio X. Concilii Lateranensis.

Ceterum omnes hæ rerum vicissitudines nullatenus Apostolicam Pontificis sollicitudinem interturbabant, quominus præstituta die quarta Maji Sessionem decimam Lateranensis Concilii celebraret, eique ipsus præsideret. Intererant quoque *Conc. Labb. t. 14. p. 249. & seq.*

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

que viginti tres Cardinales, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum & Doctorum quamplurimi. Re divina per Archiepiscopum Gnesnensem peracta, Patracensis Archipræsul sermonem habuit, quo finito Cardinalis S. Eustachii ex cap. 18. v. 23. S. Matthæi Evangelium decantavit, quod inquit: *Simile est Regnum Cælorum homini Regi &c.* Demum Sabaudiæ Ducis Oratores mandatum sui Domini obtulerunt, vi cujus ipsis sacræ Synodo assistendi facultas data erat; perlectis igitur hisce literis iidem ad Sanctitatis suæ pedes provoluti, sacro osculo obsequii sui pensum exsolvebant. Exclusis denique iis, quibus Concilio interesse haud licebat, fores occludebantur.

§. XLI.

Decretum de Montibus Pietatis.

Conc. l. c. p. 250.

His peractis Bertrandus Episcopus Adrienſis, conscenso suggestu illud prælegit decretum, quod *montes pietatis* concernit. Neminem latet, nomine *montis pietatis* in Italia intelligi locum, seu publicum ærarium, ex quo egentibus pecuniæ vel aliæ res mutuo sine usura dantur, acceptis vicissim pignoribus, quæ pecuniis mutuo datis infra præfixum tempus non solutis vendi possunt. Igitur in hoc decreto declarat Pontifex, ejusmodi

di Montes ab usurarum crimine immunes esse, atque ex eo, *quod aliquid moderatum ad solas Ministrorum impensas, atque hujus Montis indemnitate & conservatione duntaxat ultra sortem absque lucro eorumdem montium accipiatur, nullo pacto improbari posse, multo tamen perfectius fore, si omnino tales montes constituerentur gratuiti.* Nec Leo præ ceteris primus fuit, qui auctoritate sua ejusmodi modos pauperibus subveniendi firmabat; ipsus enim in suo decreto hanc inventionem *velut consuetudinem* commendat a suis Prædecessoribus Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Julio II. approbatam. Ceterum duo dantur ejusmodi Montium Pietatis genera. Horum aliqui non nisi ad tempus, alii ad perpetuum usum instituuntur, eoquod sufficiens pecuniæ summa ad perpetuum usum pauperum deputatur, semperque conservatur, stabilitis certis legibus, quibus dissipationi hujus summæ obviatur. Eæ autem præcipue sunt sequentes: I. Ut pecuniæ Montis non nisi incolis illius loci, in quo erigitur Mons, non autem extraneis dispensentur. II. Ut mutuo datum nonnisi ad limitatum tempus concedatur. III. Ut mutuatarii pignora dent, quæ, si elapso mutui tempore non redimantur, pro Montis conservatione vendi possint. IV. Ut pro impensis Ministrorum, qui necessarii

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

Zechus de usuris Scardeoni hist. Patav. Raynald. hoc ann. n. 3.

Secul. XVI. A.C. 1515.

farii sunt, necnon pro locatione domus, aliisque sumptibus, qui evitari nequeunt, a mutuatariis aliquid ultra sortem solvatur. Alii insuper dantur Montes Pietatis, in quibus Ministri ingentes pecuniarum summas mutuo dant, injuncto mediocrem censum pendendi onere, atque ex hisce pecuniarum summis tam copiosa fors coalescit, ut cujuscunque conditionis personis, earumque necessitatibus subveniri possit, hæ vero pro parte summæ mutuo ipsis datæ parem censum recipiunt. Porro ejusmodi Mons auctoritate Principis erigendus est. Anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo primo Patavii Mons Pietatis stabilitus fuit, ubi non nisi vigesima pars sortis pendebatur: cum tamen prius Judæi quintam sortis partem impendii, seu usuræ nomine exegissent; quocirca iidem in dicta urbe duodecim mensas argentarias dissolvere compellebantur. Hæc consuetudo, quæ suam originem Italiæ debet, tractu temporis ad alias Regiones extendebatur, atque hodiedum in Belgiis quam plurimi ejusmodi Montes stabiliti reperiuntur.

§. XLII.

Alterum Decretum de Clericis.

Collect. Conc. p. 252.

Aliud Decretum recitabat Travisinus Episcopus, quod libertatem Ecclesiasti-

siasticam, dignitatemque Episcopalem concernebat. In eo statuit Pontifex, ne Canonici exempti ex privilegio exemptionis a recta morum disciplina deviandi, aut Superiorum suorum correctionem subterfugiendi ansam accipiant, ideoque illi, quibus exemptorum castigatio a Sede Apostolica demandata est, exemptos delinquentes puniant; & si circa hoc negligentes fuerint, locorum Ordinarii eos admoneant, ut criminosos castigent. Si vero ipsi admoniti officium suum adimplere neglexerint, Ordinarii contra eos procedant, atque illos ad Sedem Apostolicam remittant. Præterea Episcopis Diœcesanis facultatem concedit, *ut monasteria Monialium sacræ Sedi immediate subjecta in eorum Diœcesibus sita semel in anno visitare possint*, vi Constitutionis in Concilio Viennensi editæ (*), quæ incipit: *Attendentes &c.* Declarat insuper, *Exemptiones de cetero absque rationabili causa, & quorum interest, minime citatis concessas nullius roboris & momenti esse.* Dignum tamen esse arbi- Sæcul. XVI. A.C. 1515.

(*) Continuator in Gallica sua editione Parisiensi sic habet: *Et cite la Bulle du Concile de Vienne, qui commence par ces mots: Quæ incipit &c.* Ejusmodi autem hallucinationem animadvertere, nullatenus vero sequi, interpretis fuit.

Sæcul. XVI. A.C. 1515

arbitratur, *quod Notarii Apostolicæ Sedis, & ex Cardinalium familiaribus illi duntaxat privilegio exemptionis gaudeant, qui continui eorum commensales sunt.* Statuit etiam, *ut causſæ beneficiales dummodo beneficia reservata non fuerint, nec viginti quatuor Ducatorum valorem reditus excedant, in prima instantia extra Curiam Romanam coram Ordinariis locorum terminentur, ita ut nulli ante definitivam sententiam liceat appellare, nisi ab interlocutoria, vel a gravamine, quod per appellationem a sententia definitiva reparari non possit. Si quis vero litigantium adversarii sui potentiam merito perhorresçat, seu alia probabili & honesta causſa aliter quam per proprium juramentum saltem semiplene probata occurrat, causſæ ipsæ etiam in prima instantia in dicta Curia cognosci & terminari possint.* Prohibet etiam Principibus, ac Proceribus, ne

Ibid. p. 256. Ecclesiasticos molestent, Ecclesiarum bona occupent, vel Clericos ad vendenda beneficia, vel in Emphyteusin concedenda compellant. Denique Metropolitanis injungit, ut Concilia Provincialia juxta S. Canonum præscripta celebrent.

§. XLIII.

Decretum III. de impressione librorum.

Collect. Conc. t. 14. p. 257. Post hæc Episcopus Nannetensis tertium recitabat decreum super impressione libro-

librorum. In eo affirmat Pontifex, quod licet literarum peritia per librorum lectionem possit faciliter obtineri, ac ars imprimendi libros plurima mortalibus attulerit commoda, cum parva impensa librorum maxima habeatur copia, quibus ingenia ad literarum studia percommode exerceri, & viri eruditi in omni linguarum genere præsertim autem tam probi Catholici facile evadere possunt, ut etiam infideles sciant, & valeant sacris institutis instruere, Fideliumque collegio per doctrinam Christianæ fidei *salubriter aggregare. Quia tamen multorum querela Sedis Apostolicæ pulsavit auditum, quod nonnulli hujus artis imprimendi Magistri libros tam Græcæ, Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldeæ linguarum in latinum translatos, quam alios, qui errores etiam in fide ac pernicioſa dogmata, atque contra famam personarum etiam dignitate fulgentium continent, imprimere, ac vendere præsumant; volentes igitur de opportuno super his remedio providere, sacro approbante Concilio, statuimus, quod de cetero nullus librum aliquem tam in urbe nostra, quam aliis quibuscunque civitatibus, & Diœcesibus imprimat, nisi prius in urbe per Vicarium nostrum, & sacri Palatii Magistrum; in aliis vero civitatibus per Episcopum Diœcesanum, vel per alium Doctorem ad id ab Episcopo deputandum, ac per Inquisitorem hæreticæ*

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

Raynald. ad ann. 1515. n. 6.

Sæcul. XVI. A.C.1515.

pravitatis in locis, in quibus librorum hujusmodi impressio fieret, diligenter examinentur, & per eorum manu propria subscriptionem, sub excommunicationis sententia gratis sine dilatione imponendam, approbentur.

§. XLIV.

Decretum IV. de Sanctione pragmatica.

Conc. l. c. p. 258.

Denique quartum etiam Decretum a Petro Episcopo Castello-maris perlegebatur; quo Pontifex *Gallos de novo pro ultimo & peremptorio termino requirit, & monet, ut in Concilii curia compareant ad allegandum ea, quæ in caussa Pragmaticæ, quo minus aboleretur, proponere voluerint, quapropter ante Kalendas Octobris proxime futuri omni excusatione & dilatione cessantibus, legitime compareant. Quo termino elapso, ad ulteriora & terminationem dicti negotii etiam definitiva sententia, atque eorum omnium Prælatorum, Abbatum & Clericorum Galliæ contumacia, & non comparitione minime obstantibus, in prima ex tunc futura Sessione procedatur.*

Lecto hoc Decreto Solierius, Galliarum Regis Orator ad pedes Sanctitatis suæ accedens Prælatorum Franciæ absentiam excusavit, caussatus, eos a Romanæ urbis aditu impeditos fuisse

fuisse per tumultus in Longobardia fuscitatos; Gallorum enim inimicos minime censuras in *Bulla Cœnæ Domini* fulminatas vereri, proin rogare se, ut illos excusatos haberet, eosque ab accessu Synodi absolveret, *vel ita pro sua prudentia provideret, ut tutus esse possit accessus, ac expeditus ad eandem Synodum.* Cui respondit Pontifex, *quod ex Provincia Provinciæ facilis esset, tutusque aditus per Genuam, & quod providisset de securitatis literis a Genuensibus dandis;* & propterea voluit Sanctitas sua, ut præfata ejus Constitutio in suo robore persisteret, atque effectui danda esset. Post hæc quidam Synodi Procurator contumaciæ sententiam pronunciari postulabat adversus illos, qui vocati Concilio interesse neglexissent. Pontifex tamen iisdem usque ad proximam Sessionem inducias indulsit; simulque plurium Prælatorum, qui Synodum adire præpediti erant, excusationes admittebat. Episcopus enim Taurinensis excusationis literas protulit pro Joanne de Sabaudia Genevensi Episcopo; Humbertus Caneti pro Archiepiscopo Tarentino: Archiepiscopus vero Gnesnensis pro Episcopo Narnienſi, & sic pro multis aliis.

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

Sæcul. XVI. A.C 1515.

§. XLV.

Parlamentum Aquenſe in Provincia Synodo ſubjectum.

Collect. Conc. t. 14. p. 275. *Vid. ſupra L. CXXIII. §. 229.*

His peractis Synodi Procuratores poſtulabant, ut in Concilii tabulas referretur *inſtrumentum*, quod in Curia Senatus Aquenſis in Provincia coram Notariis jamjam actis inſertum fuerat. In hoc inſtrumento Parlamentum præfatæ Provinciæ ſeſe ſubmiſit Decreto in octava Seſſione adverſus illius Conſiliarios promulgato, hi vero declararunt, quod omnia hactenus contra Eccleſiaſticam libertatem a dicto Parlamento facta & geſta revocent, ac ad priſtinum ſtatum omnia reducant; ſimulque humillime ſupplicant, ut a cenſuris, quas incurriſſent, abſolvantur. Cum igitur Ludovicus de Soleriis Franciæ Orator, ac hujus cauſſæ Procurator nomine Conſiliariorum Aquenſis Senatus debita ſatisfactione culpam reparaſſet, mox pro iis abſolutionem impetravit, ea tamen clauſula, *perinde ac ſi præſens abſolutio facta non eſſet, niſi omnes & ſinguli principales prædicti infra quatuor menſes præmiſſa omnia ab Oratore eorum nomine promiſſa rata habuerint, & approbaverint.* His ita decretis Seſſio ſoluta eſt, quam ſequens nonniſi anno ſequenti milleſimo quingenteſimo

mo decimo sexto die decima nona De- Sæcul. XVI.
cembris excepit. A C. 1515.

§. XLVI.

Regis Catholici anxietas ob bellicum Gallorum apparatum.

Haud exiguo temporis intervallo usque ad hanc Sessionem excurrente Papa interea nequaquam otiosus spectator esse constituit eorum, quæ ultro citroque agitabantur, & quidem a Gallis, attentari noverat, ut ii numeroso delectu habito Mediolani Ducatum recuperarent, ab Italis vero, ut sese grandibus Galliarum Regis conatibus opponerent. Hos enim terrebat juvenilis Franciſci ætas, animusque gloriæ appetens. Præ ceteris magis anxie Ferdinandi mentem occupabat ingens ille armorum apparatus; quæ enim Gallorum essent consilia dubius hærebat, quamvis Franciscus Rex, quod in Mediolanenses bellum pararet, minus sollicite occultasset; cum vero itidem se Helvetios invasurum obtenderet, inquietissimus curarum turbo Regis Catholici animum circumsonans nova indies cepit incrementa; se enim a Gallorum Rege deludi, ejusque arma Navarram spectare verebatur. Ast ubi fœdus cum Venetis innovari, sibique a Gallis induciarum prolationem ea lege,

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

ut ſecretus de Mediolanenſi Ducatu articulus aboleretur, proponi intellexerat, apertius, quid adverſus eum Franciſcus agitaret animo, introſpexit. Quapropter collatis cum Cæſare conſiliis ambo Pontifici exponunt, ventum eſſe ad novi fœderis ſanciendi neceſſitatem, primas eo curas fore intendendas, ut nulla mora validus exercitus in aciem educeretur; omnino enim Gallis iter in Italiam intercludendum. Præterea Ferdinandus ad Henricum VIII. Generum ſuum Oratorem ablegavit, qui priſtinum inter eos fœdus innovari curaret. Legatus, quamvis jamjam menſe Majo Londinum adveniſſet, nonniſi tamen ineunte Octobri Legatione ſua defungebatur, re infecta diſcedens, eoquod Angliæ Rex ſe ab Arragoniæ Rege nonnunquam circumventum fuiſſe, memoria retineret.

§. XLVII.

Fœdus Cæſaris cum Rege Catholico, Mediolani Duce, & Helvetiis adverſus Gallos.

Igitur Ferdinandus Papam, Helvetios, Cæſaremque ad mutuam armorum ſocietatem ſollicitabat. Haud ægre ad ſuas partes Imperatorem pertrahebat; hic enim, cum quodlibet fœdus rebus ſuis propitium, alienis noxium eſſe cognoſceret,

ret, nullum etiam reſpuebat. Minus expeditum erat cum Helvetiis negotium; hujus enim nationis nonnulli adhucdum Gallis favebant, nihilominus de Sedunenſis Cardinalis dexteritate perſuaſi, novum fœdus ad arma non modo repellenda, ſed & Gallis inferenda pepigerunt, relicto etiam ſummo Pontifici loco, qui tamen, ſi accedere velit, mentem ſuam infra certum temporis ſpacium aperire teneretur. Ferdinandus quoque, cum Navarram tueri, potiſſimum intentus eſſet, validum exercitum a Fonte Rapido, ut Gallos ab invadendis alienis ad ſua revocaret, in Franciam immittere pollicebatur, & quidem eodem tempore, quo interea Helvetii in Burgundiam moverent; Imperator vero, protracto in Venета ditione bello, eosdem, ne Gallis opem ferrent, præpediret. Præterea inter eos conventum, in ſingulos menſes Helvetiis quadraginta aureorum millia eſſe numeranda, Regique Chriſtianiſſimo, niſi cunctis ſuis in Mediolani Ducatum prætenſis juribus cederet, nec pacem, nec inducias fore indulgendas. Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. XLVIII.

Pratus Cancellarius pecunias cogere, a Franciſco I. juſſus.

Interea vero Franciſcus I. exequendis

Sæcul. XVI. A.C. 1515

suis consiliis intentus, Cataphractorum agmen quatuor Lancearіorum millibus auxit, unde facile viginti peditum millia recensebat. Ingentem quoque tormentorum apparatum adduxit, Gallis interim, Germanisque peditibus versus Lugdunensem agrum procedere juffis. Cum vero Rex pecuniis exhaustus tam validas copias alere non posset, Prato Cancellario suo negotium dedit, ut pecunias corraderet, unde eo suadente Rex Magistratus vendidit (*), novamque viginti Consiliariorum Curiam erexit, ex quibus duo delegata Curiæ supremæ Parisiensis judicia constituebantur (**), præterea idem Francisco Regi adversus avita regni statuta suggessit, quod regiam potestatem non excederet, si non expectato regni ordinum consensu nova vectigalia decerneret.

Garimbert. annal. de Fr. l. 4.
Mezeray Abreg. chro. t. 4. p. 209.
Belcar. l. 16. n. 12.

§. XLIX.

Petrus Navarrus a Gallo ad eorum vexilla accitus.

Præterea Franciscus cum quadam corasæ

(*) Palatius in vita Maximiliani I. num. CLXXXII. subjungit: *Non sine injuria; venales enim Magistratus, venales quoque sententias habere, consentaneum est.*

(**) *Gallice vocantur* Tournelles.

raſæ hujus pecuniæ parte Petrum Navarrum, qui in Ravennatenſi prælio captus, adhucdum in Galliis detenebatur, ad deſerenda Hiſpanorum ſigna ſollicitavit. Hunc enim, cum is inter præſtantiſſimos totius Europæ Belliduces merito celebraretur, Rex ad ſua ſtipendia pertrahere cupiebat; eoque fine lytri nomine viginti Ducatorum millia e Regis ærario ſolvi juſſit. Petrus hac Franciſci magnanimitate devictus, ſeſe Galliarum Regi Sacramento obſtrinxit, a quo etiam, cum Baro de Molard Vaſconum peditum Tribunus ſub idem tempus moreretur, hac dignitate augebatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

Memoir. du Bellai. Belcar. l. 14. Apologie de D. Pedro de Navar. imp. ann. 1515. Marian. hiſt. Hiſp. lib. 30. n. 125.

§. L.

Philiberta de Sabaudia Juliano Medicæo Pontificis Fratri nuptui data.

Interea Pontifex familiam ſuam, novo affinitatis ſplendore illuſtriorem reddere ſatagebat. Equidem Juliano Medicæo fratri ejus ipſemet Rex Catholicus Iſabellam de Cardonna in Sponſam offerebat; Pontifex vero Philibertam Caroli Sabaudiæ Ducis, ac Ludovicæ, quæ Franciſci I. Mater erat, ſororem præferendam cenſuit. Igitur Galliarum Rex Leoni novum hoc amicitiæ vinculum gratulandi occaſionem nactus, Guilielmum Bu-

Marian. lib. 30. n. 114. Machiavel hiſt. Florent. l. 4. Paul. Jov. in vita Leon. X.

Secul. XVI A.C. 1515

Budæum, Virum totius Regni doctiſſimum ad Papam ablegavit, dato negotio, ut cum Sede Apoſtolica novam belli ſocietatem pangere intentus eſſet. Hujus Legationis ſocius Guilielmo adjungebatur Antonius Maria Palavicinus Nobilis Mediolanenſis. Porro ambo perbenigne a Papa excipiuntur, ac præcipue Budæus Pontificis benevolentiam dextre captatam in rem ſuam vertebat, liberius de fœdere cum Gallis ineundo collaturus. Ergo Leoni pollicetur, Regem Franciæ Dominum ſuum, ſi Mediolani Ducatum recuperaturus eſſet, Juliano ejus fratri Parmam & Placentiam in Principatum relicturum; ambas enim ditiones a Mediolano avellendas, & Mutinæ, & Reggio urbibus, quas Cæſar Pontifici ceſſiſſet, adjungendas eſſe, Juliano autem velut Eccleſiæ beneficiario novum hunc Principatum ex lege clientelari poſſidendum fore tradendum. Pontifex hujus promiſſi amplitudinem, quamvis ſuis conſiliis haud abſonam, omnino tamen rejecit; jam enim fœderi contra Gallos ſancito nomen dederat, tanta licet ſecreti Religione, ut Rex jamjam Vercellas delatus, primum rem comperiſſet.

Aug. Polit. l. 5. ep.

Sæcul. XVI. A.C. 1515

§. LI.

Papa Principibus adversus Franciam fœderatis junctus.

Ceterum Imperator, atque Arragoniæ Rex Gallos in Italiam irrupturos haud temere suspicabantur, unde Papæ exponebant, quod plurimum ad tuendas Sedis Apostolicæ ditiones interfit, ut Papa firmo fœdere Cæsareis, atque Hispanis conjungatur, eoquod Ecclesiæ Status abs dubio in Gallorum prædam cessurus esset, si hæc Natio rursus in Italiam penetrare permittatur; Leo tandem horum sollicitationibus cedens, novo fœderi nomen dare statuit, ea tamen lege, ut haud intempestive innotesceret, quod huic societati accedendi libertate nuper sibi relicta usus fuisset; hac enim via saltem ad speciem communis omnium Patris officium tueri videretur. Verum provida hæc taciturnitas nequidquam profuit: Cum enim Albertus Carpio, & Hieronymus de Vich, quorum prior Cæsaris, alter Hispaniæ Regis Oratores erant, re infecta Palatio Vaticano excedere recusarent, hinc Papa inito cum illis pacto fidem suam obstrinxit, se plusquam tertiam bellicorum sumptuum partem laturum; præterea idem Regi Catholico pecuniam pro sacro bello collectam in suos *Guicc. l. 12.*

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

suos usus convertere concessit; unde Pontificis beneficio Ferdinandus supra decies centena aureorum millia recepturus credebatur.

§. LII.

Octavianus Fregosius Genuensium Dux Gallis addictus.

Bizar. hist. Gen. l. 19. *Fogliet. in elog. & in hist. Gen. l.* 12. *Mem. du Bellai. Bemb. l.* 10. *ep.* 32. *Guicc. l.* 12. *Raynald. ad an.* 1515. *n.* 13. & 14.

Cum interea Pontifex Gallos vana spe detinere satagebat, ab Octaviano Fregosio turpiter deluditur. Hic oppressa Fliscorum, atque Adorniorum factione, anno millesimo quingentesimo decimo tertio Hispanis Genuam occupantibus hujus Reipublicæ Dux creatus est; maximam vero adepti imperii partem summo Pontifici debebat, suumque animum beneficii memorem in variis eventibus testatum reddebat. Aft Papæ amicitiam non nisi frequenti propriæ vitæ suæ periculo sibi a crebris Fliscorum conjurationibus impendente conservari posse, probe intellexerat, cumque eidem aliunde nunciatum esset, se a Fœderatis, quibus ejus fides suspecta erat, exauctoratum iri, hinc Borbonium Franciæ Conestabilem adiit, qui Octavianum ad Gallorum studia pertrahere summe sollicitus, eidem Regis nomine promisit, quod divi Michaelis ordine foret decorandus, centumque Cataphractis, pacis bellique tem-

tempore a Rege alendis præficiendus foret, insuper præter decem millium librarum pensionem eidem ex quibusdam Provinciæ castellis totidem millium aureorum reditus, si forte Genua pelleretur, assignandos, ac denique pinguia Beneficia ejus fratri conferenda pollicitus est, si Octavianus Francisco I. Genuensis Principatus clientelam profiteri velit. Hæc promissorum amplitudo Octaviano adeo proficua videbatur, ut eam acceptare minime cunctaretur. Ergo fœdus, Pontifice aliisque fæderatis rei agitatæ insciis, utrinque firmatur, atque Octavianus depositio Ducis nomine Gubernator appellatur: Post hæc Regiis copiis arcem ingressis, Genuensis populus Galliarum Regi fidem suam Sacramento obstrinxit. Hoc facto Octavianus justam consilii causam publicis literis testatam facere conabatur, quæ res non nihil Pontificis animum turbabat. Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. LIII.

Gallorum exercitus ab Helvetiis transitu prohibitus.

Nihilominus Leo X. equitum suorum agmina, Prospero Columna ductore, Pedemontium versus duci jussit, Gallis Alpium transitum intercluſurus; reliquas vero exercitus copias Julius Mediceus *Petr. Justin. lib. 1. Belcar. l. 15. Guicc. l. 12.*

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

Ferron. in Franc. l. 5. Paul. Jov. l. 15.

cæus in Longobardiam duxit, accepto negotio, ut prius ad Hiſpanorum caſtra procederet, urgente neceſſitatis eventu ſeſe illis junctus: Interea Cardinalis Sedunenſis Mediolanenſium ditionem cum viginti millibus Helvetiorum ingrediebatur, quas copias partim numeratis a Papa pecuniis, partim obſtricta duntaxat fide conſcripſerat. Huic militi in unum agmen coacto quantocius Mediolanenſis Ducis Equites Cataphracti acceſſerunt, omnesque ſimul itinere per Pedemontium facto Seguſii caſtra metati ſunt, Genevæ juga, ac Mont-Ceniſii aditus occluſuri, eoquod Galli olim per hæc anguſta viarum in Italiam erumpere ſolerent. Ferdinandus vero ad certam Regis advenientis famam copias, quas ad defendendum Navarræ Regnum conduxerat, dimiſit, totamque Mediolanum tuendi curam Helvetiis reliquit, & ipſe etiam Cardonius, qui in Italia copiis præerat, Fœderatorum exercitui ſeſe jungere haud ſollicitus erat. Otioſus quoque Oeniponti hærebat Imperator, & Leo Pontifex parca admodum Fœderatis ſuppeditabat auxilia, proin tota belli moles Helvetiorum cervicibus impendebat, ita quidem, ut ab iis, qui fœdere ipſis juncti erant, promiſſas nequidem pecunias acciperent: aſt in hoc parem cum pluribus aliis ſortem

tem tulerunt, quos Maximilianus & Ferdinandus æquali ratione ludificabant. Sæcul. XVI. A.C.1515.

§. LIV.

Franciscus I. Lugduno profectus in Italiam iturus.

Interea vero Franciscus I. ineunte mense Augusto Lugduno proficiscitur, comitantibus eum septem Principibus e regio sanguine ortis; ducebat Exercitum omnium, qui unquam Alpes transibant, longe florentissimum: Regiminis vero curam demandabat Ludovicæ de Sabaudia Matri suæ, quæ *Princeps augustissima* vocabatur. Porro Occitaniam atque Aquitanniam pro tuenda utriusque Provinciæ tranquilitate sat muniebat, pari etiam Cataphractorum numero Burgundiam firmabat, Helvetios forte irrupturos repressurus; præter extracta hæc a ceteris agmina nihilo secius Italiæ exercitus facile recensebat bis mille quingentos Lancearios, necnon triginta duo peditum millia. Attamen Rex, cum aditus ab Helvetiis obsessos intelligeret, longiorem expeditionis suæ moram verebatur, eo potissimum nomine, quod hos transitus vi superare desperaret, eos autem simul ab omni parte aggredi, loci angustiæ prohiberent, timendumque, ne infra paucos dies, si exercitus in in- *Rayna'd. hoc an. n. 30.*

Secul. XVI. A. C. 1515

teriora montium longius procederet, annonæ inopia periturus esset, utpote quæ nonnisi minoribus plaustris advehi posset. In hac rerum incertitudine id consilii fuit propositum, vi cujus quadringenti Lancearii, ac veteranæ militiæ quinque millia, ductore Aymardo de Prie magni nominis Belliduce in Provincia navibus imponerentur, quæ copiæ Genuam contenderent, ibidem vero juncto Octaviani Fregosii agmine, demum in illam Mediolanensis Ducatus partem, quæ cis Padum protenditur, irrumperent, urbesque Alexandriam, & Tortonam inopino impetu occuparent, eo consilio, ut Helvetii Segusium relinquere compellerentur, veriti, ne a fronte simul & a tergo premerentur. Ast cum minus expedita esset hujus consilii executio, Galliarum Rex res suo molimine minus graves animo volvit.

§. LV.

Alpes per viam Helvetiis incognitam a Gallis superatæ.

Raynald. ann. 1515. n. 17.
Ferron. in Lud. XII.

Opportune accidit, ut quidam rusticus ex nobili Morretti Comitis prædio oriundus præmii spe pellectus, Dominum suum conveniret, eique exponeret, novam sibi semitam notam esse, per quam Galli elusis Helvetiis, Alpes transire possent.

possent. Comes rem protinus Sabaudiæ Duci expositi, qui Morretum illico Lugdunum, ubi tum Rex agebat, unacum rustico ablegavit. Rusticus hic exercitum per indicatam viam se ducturum spopondit, Rex tamen id obsequii genus acceptare renuit, nisi prius Lautrecus, & Petrus Navarrus hæc itinera explorassent. Referebant illi, quod hi montes summa soli inæqualitate plurimum in transitu molestiæ crearent, iterque continenti scopulorum asperitate, ac vallium iniquitate impervium esset, magno tamen labore illos æquari, has vero repleri posse ajebant. Accepta horum relatione præmissis quatuor Fossorum millibus copiæ ad transitum destinatæ admoventur, ceteris interea ad fallendos Helvetios amplum iter aggredi simulantibus: Igitur ad perrumpendam rupium duritiem cuniculi aperiuntur, montium intervalla pontibus nectuntur, vacua vallium spacia, ubi id loci opportunitas patiebatur, virgultorum fascibus complentur, demumque superatis Argentarii, & Gallitani montium faucibus, usque ad rupem S. Pauli, quam aperire oportuit, penetratur, indeque ad montem Pede-Porcum, per quem Navarrus obliquatum iter sibi parabat, Gallorum agmina pertingunt, illucque deductis belli tormentis tandem Architectorum militarium

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

Guilletre

Mont de Pied de Porc.

Secul. XVI A. C. 1515.

rium induſtria, ac impigro militum æqua & iniqua eluctantium labore totus exercitus evoluto octavo itineris die ad veſperam in Salutiarum fines deſcendit, inſciis omnino Helvetiis.

§. LVI.

Proſper Columna, & Pontificis exercitus Villefrancæ interceptus.

Ferron. in Franc. l. l. 5. Raynal. ibid.

Collectis interea copiis, Palicius ad interiora regionis penetrans usque ad locum haud procul Villafranca ſitum pervenit, quo Proſper Columna Pontificii exercitus Dux Helvetios tecturus proceſſerat. Galli adhucdum cum montium jugis luctari credebantur, cum jamjam urbis portas aggreſſi, Papæ milites facto impetu propellunt, cunctosque unacum Proſpero Columna eorum duce capiunt, deprædatis etiam eorum ſarcinis, equisque circiter mille abſtractis. Hoc Pontificii equitatus diſpendio Leonis, Cæſaris, Regisque Catholici conſilia penitus ferme evertebantur; Helvetii quoque non niſi pedem referre ſolliciti, Chiraſio ac Vercellis in reditu ferro flamaque vaſtatis, Riotæ prope Novarram ſubſtiterunt. Pontifex, roboris fiducia, quam de Proſpero Columna concipiebat, ſtimulatus, fœderi acceſſit. Aſt bellum proſequendi

sequendi aviditatem multum remisit, suoque Nepoti Laurentio Medicæo, Pontificias copias Helvetiis junctûro præcepit, ut ab urbibus, quas Padus alluit, haud longe recederet, & Bononiæ, si forte Bentivolii (ut Leo verebatur) eam occupare tentarent, proximus adesset. Literas etiam ad Sabaudiæ Ducem dabat Pontifex, quibus se Regi Christianissimo conciliari postulabat, nec Sabaudus pacis conciliatorem agere recusabat; verum illi, quos Franciscus I. a consiliis habebat, summum Pontificem compellere audebant, ut cuncta, quæ Julius II, ejus Prædecessor in Mediolanensi ditione occupasset, ceterisque omnibus Galliæ Fœderatis eripuisset, restitueret, hancque in rem Galli auro corruperunt Bibiennam Leonis clientem, cujus etiam opportunis precibus Papa cessisset, nisi Julius Medicæus ejus Patruelis omnibus viribus obstitisset, illumque induxisset, ut tam duræ conditionis acceptationem ad extremæ necessitatis eventum reservaret. Sæcul. XVI. A. C. 1515.

§. LVII.

Rex Taurinum veniens, Helvetios ad fœdus sollicitat.

Interea vero Gallorum exercitus continuo propius accedebat, Rexque relicto monte S. Pauli Cuneum venit, ibidem

Sæcul. XVI. A. C. 1515. pernoctaturus, inde vero Carmanoliam, ac denique ad Montem Calerium contendit, atque urbem ingressus est, ubi a Sabaudiæ Duce exceptus, Taurinum deducebatur, ibidemque collatis consiliis Helvetios oblata pecuniarum summa ad Gallorum partes, reditumque in patriam sollicitare decernebat: Nunciabatur enim Regi, quod crebra inter eos diffidia ferverent, ac Cardinalis Sedunensis cum Alberto de Petra Tribuno, ac inter Helvetiorum Belliduces præcipuo tam acres suscepisset inimicitias, ut hic viginti quinque legiones, quas ab exercitu abstraxerat, Bernam reduceret. Rex Helvetiorum animos inter se discordes facilius ad sua vota inclinandos existimabat, augebatque sanciendi fœderis fiduciam Alexandrinorum, & Tortonensium facilitas, qua utriusque urbis cives ad Aymarum de Prie exscensione in Genuensi portu facta excipiendum paratos sese exhibebant, quo nuncio Sedunensis Cardinalis haud parum territus, consilii inops hæsit, ignarus, quo loco Pontificiscopiæ, quas inquirebat, subsisterent, ne autem forte in hac incertitudine quid siniſtri tentaret, haud immerito verebatur: Igitur Galliarum Rex hac rerum viciſſitudine opportune utendum ratus Vercellas contendit, atque Aymaro datis literis significari jussit, impostorum adeo

adeo non Helvetici exercitus conjunctionem ab eo impediendam, ut illam etiam promoveret, fore enim, ut simul juncti citius suos Legatos Vercellas decernerent, ac una omnes de pace agerent; quin imo Rex hanc in rem Helvetiis necessarias securitatis literas dedit. Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. LVIII.

Helvetii ad concordiam proni.

Cuncta proximam pacem polliceri videbantur: Sabaudiæ enim Dux individuus Regis comes identidem ejus aures pulsabat, exponens, quod præstaret certam pacem amplecti, quam victoriam blandientis etiam fortunæ arbitrio mere relictam sperare. Interea Pontificis Regisque Catholici exercitus accurrere negligebant, cumque ambo Principes quinquaginta aureorum millia ad singulos menses promissa Helvetiis nondum numerassent, hi seditione mota Pontificium castrensis ærarii Præfectum spoliarunt, ac quamplurimi eorum ad sua revertebantur, Cardinale Sedunensi nequicquam suadente, ut neglecto etiam stipendio ad pugnam provolarent. Accessit etiam fortunæ præter morem constantis prosperitas, qua Franciscus Rex Navarram urbem Helvetiis inde recedentibus confestim suæ subjecit potestati. *Guicc. l. 12. Paul. Jov. l. 15.*

Secul. XVI. A.C. 1515.

§. LIX.

Omnia concordiæ pacta accepto ſuppetiarum nuncio ab Helvetiis rejecta.

Memoir. du Bellai liv. 1. Ferron. in Franc. 1.

Igitur Rex tot ſecundarum rerum concurſu animatus, Lautreco negotium dedit, ut fœderis pacta cum Helvetiis, quamvis hi illa nimium ſibi proficua Vercellis propoſuiſſent, nihilominus rata haberet; proin nihil propius videbatur eſſe, quam ut fœdus jamjam maturum utrinque firmaretur; cum ecce! Helvetiis nunciatur, quod popularium ſuorum viginti millia, Roſtio Tribuno ductore, in auxilium venirent; nec vanus erat rumor, quippe Roſtius non modo advenit, ſed etiam Albertum de Petra, qui cum ſuis Bernam revertebatur, in itinere obvium ſecum ad caſtra reduxit, propoſito pinquiſſimæ prædæ, nec non immenſæ gloriæ præmio ac ſpe. Helvetii his ſtimulis concitati Vercellenſe fœdus interruperunt, ac ſuppetiarum, quæ ex Helvetia advenerant, fiducia animati, necnon pecuniis, quas ab Hiſpanis acceperant, aucti denuo Cardinalem Sedunenſem magni habere cæperunt, polliciti, ſe Galeræ, quo jamjam pervenerant, nationis ſuæ auxilia præſtolaturos. Ceterum Franciſcus I, quamvis fœderis ſpe dejo-

dejectus esset, nihilominus expeditionis suæ cursum promovebat; opportune enim Papienses urbis suæ portas eidem ultro aperiebant; unde Ticinum amnem superandi occasionem nactus, nullo ferme negotio ad Mediolanensem urbem processit, Trivulcio interea primam aciem illius suburbiis admovente; sperabat enim, hanc civitatem ultro Regis imperio sese subjecturam: Cives vero, ne in consiliis suis præcipites essent, Regi significabant, se nullatenus averso a Gallis animo, sed Maximiliani Sfortiæ metu, quominus Regi adhærerent, prohiberi; tempore autem suo se sua in eum studia ac fervens Gallico imperio se devovendi desiderium luculenter testificaturos. Rex horum excusatione contentus, Biagrassam progreditur, ut copias, quibus Aymarus præerat, e dextra Padi ripa tueretur; interea enim Cardonius Pro-Rex, Marco Antonio Columna cum valida militum manu Veronæ relicto, alterum ejusdem fluminis litus cum exercitu suo circumibat, eo fine, ut Liviano Veneti exercitus Duci arrepti itineris consilium occultaret; demum vero ad Hostiliam fluvium Cardonius contendit, impositisque pontibus trajecit exercitum, quem Papæ copiis Placentiæ conjunxit, cunctas denique vires Helvetiis Monzæ aggregaturus. Ast Livianus, qui a tergo

Sæcul. XVI. A.C 1515.

Sæcul. XVI. A.C. 1515. instabat, cuncta ejus consilia evertit, ilumque Padi trajectu intercluſit.

§. LX.

Hiſpanorum & Helvetiorum conjunctio præpedita.

Postera die Gallorum exercitus castra metabatur Mariniani, quæ urbs est Monzam inter, ubi Helvetii stabant, & Placentiam, ad quam Cardonnius castra locabat, æquo intervallo discreta. Hoc castrorum situ utriusque exercitus conjunctio penitus prohibebatur, cum Cardonnius nullo pacto Helvetiis sese aggregare posset, quin prius Gallos, Venetosque proterreret. Ergo Fœderatis nil reliquum erat, quam ut ad Placentiæ mœnia sese reciperent, eodemque loco castra munirent. Quapropter Livianus eos vallo suo nunquam excessuros ratus, totum Cremonæ tractum Laudam usque emensus est, nullo deprehenso hostium vestigio: Galli vero, Venetique, cum cunctando hostium suorum conatus eluderent, haud temere censebant, Helvetios, quod a Gallorum equitatu intra castra pertinacius cohibiti, continenti etiam prælio lacesserentur, tandem animo frangi, eo potissimum nomine, quod nonnisi octingentis levioris armaturæ equitibus a Sfortia suffulti, a Fœderato-

deratorum autem castris equitatum ob- Saecul. XVI.
tinendi spe frustrati essent. In hoc igi- A.C. 1515.
tur adversarum rerum concursu nulla vero similis ratio suadebat, quod Gallorum exercitus, cui ipsemet Rex præesset, bis mille cataphractis & amplius validus ab Helvetiis ad pugnam provocaretur Accesserat quoque dissensio exorta inter Neapolis Proregem, & Laurentium Medicæum, qui Papæ copiis imperabat.

§. LXI.

Exigua Cardonii spes in Pontificis fœdere.

Hujus dissidii occasio inde nata est: Hispani Cinthium, eoquod nomine Pontificis cum Galliarum Rege de concordia egisset, comprehenderunt, eique literas suas seu demandatæ potestatis tabulas abripuerunt, illasque Neapolis Proregi Hispani exercitus duci transmiserunt. His perlectis, totaque earum serie percepta Cardonnius haud obscure intellexit, quod Papa non modo cum Gallis fœdus agitasset, sed totum ferme pacis negotium insciis Hispanis absolvisset; inde vero suspicabatur, ejusmodi armorum societate Regi Catholico suo Domino fabam cudi. Præterea illius diffidentia non modo Cinthii literis innitebatur, sed præcipue quadam Laurentii Medi-

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

Medicæi, qui Papæ nepos erat, epistola opportune intercepta augebatur; hac enim Laurentius Francisco Galliarum Regi significabat, se ingratiis suis contra Regiam Majestatem suam Pontificis exercitum ducere, nihilominus se Gallorum studia semper promoturum, quantum proprii sui nominis honor, ac obsequii, quod Patruo suo deberet, necessitas pateretur. Ex his omnibus Cardonnius sibi in Pontificis fœdere exiguam spem esse repositam intellexit.

§. LXII.

Fœderati trajecto Pado Helvetios sibi jungere parant.

Beltar. l. 15. §. 20. Simler rep. Helv. & l. 1.

Nihilominus Cinthium Cardonnius liberum dimisit, eo quidem consilio, ut Pontifici, ejusque fœderatis innotesceret, cunctas eorum artes denique detectas fuisse: Ut vero de Laurentii Medicæi perfidia certior esset, eidem proposuit, quatenus Fœderatorum copias, si fieri posset, Helvetiis jungeret, idque effectui dare tentaret, quinimo vehementius eidem exprobravit, quod Ignavi aut saltem socordis animi indicium esset, cis Padum cum exercitu otiosum hærere, cum Fœderati ex altera fluminis ripa jamjam classicum canerent. Laurentius, quamvis ipsi Proregis fides suspecta

ſta eſſet, in ejus tamen vota deſcendere ſimulabat: Fœderatorum eſt, inquit, ocius Padum amnem ſuperare, ne Helvetios, cum altera jam vice datam ipſis fidem feſelliſſent, tertia demum ad amplectenda Gallorum ſtudia inſuperhabitis Cardinalis Sedunenſis conatibus adigerent, quo facto ad ſubigendam Italiam planum Helvetiis iter ſterneretur. Sæcul. XVI. A. C. 1515.

§. LXIII.

Fœderati recedere, ac ab armis ceſſare per Livianum compulſi.

Ergo cum omnes in Laurentii ſententiam tranſirent, prope Cremonam pons Pado imponitur, atque ceteris priores Hiſpani amnem ſuperant, Pontificis exercitu ad alteram usque diem trajectum procraſtinante. Ubi vero exploratores, quos Cardonnius nocturno tempore Laudam verſus emiſerat, nunciaſſent, quod Livianus altera ex parte jamjam inſtructam aciem admoveret, ac duæ Gallorum Lancearіorum centuriæ hanc urbem intraſſent, hoc nuncio Fœderatorum exercitus tanto terrore opprimebatur, ut nullo ordine fluvium remetiretur, quin ulla Belliducum imperia fugam ſiſtere valerent: unde ambo copiarum Præfecti Gallici exercitus ſucceſſum *Marian. l. 30 n. 126.*

Sæc. XVI. A.C 1515.

ſum præſtolaturi, Placentiæ hærere ſtatuerunt.

§. LXIV.

Gallorum exercitus Mariniani ab Helvetiis invaſus.

Helvetii Monzæ diutius ſubſiſtere pertæſi, motis caſtris prope Mediolanum tentoria ſua fixerunt: Galli vero, ne eorum adventu metum cepiſſe viderentur, S. Donati oppido, quod huic Metropoli & Mariniano interjacet, primum agmen admoverunt: Cardinalis autem Sedunenſis capitali in Gallos odio flagrans, Helvetios ſuos in unam aciem coactos gravi ſermone alloquebatur: „Magno animo, inquit, milites eſtote! expedita vobis offertur vincendi occaſio, „ minima ſunt, quæ nunc intuemini, „ immenſa vobis ſpolia parantur; Regis „ potentiſſimi cum toto ſuo exercitu armis veſtris profligati gloriam poſteris relinquite.„ Hæc Cardinalis oratio tantopere Helvetiorum animos erexit, ut illi ſumptis quantocius armis, caſtrisque Mediolano motis, ſecum viginti duntaxat minora belli tormenta abſtraherent, ac Gallorum exercitum altero ab urbe lapide diſſitum aggrederentur. Recenſebant Helvetii quadraginta peditum millia, præter ſeptingentos vel circiter octin-

ctingentos equites Italos; nec tympana, nec fistulæ audiebantur, abs dubio, ut eo certius incautos hostes inopina vi opprimerent. Accesserat Livianus Gallorum castra, atque adhuc cum Rege colloquebatur, cum Borbonius Conneſtabilis hostem instare nunciaret. Nulla mora Venetorum Dux equo conscenso Laudam accurrit, protinus cum quadam equitatus sui parte opem laturus.

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

Marian. l. 30 n. 126.

§. LXV.

Helvetii Marinianensi prælio devicti.

Ægre admodum Gallis, ut hostem exciperent, ante eorum castra aciem instruendi spacium concedebatur, vixque Conneſtabilis primum, cui præerat agmen, peditibus Germanis ad rei tormentariæ præsidium relictis, in ordines disponebat, cum Helvetii recta in belli tormenta impetum tentant, ut iis occupatis adversus Gallorum equitatum uterentur. Aſt hæc ipsa tormenta, cum plurima essent, ac optime instructa, Helvetios pedites vallum superare intentos ingenti clade afficiebant. Insuper Conneſtabilis hos aggeres collato pede in eodem vestigio stans tamdiu tuebatur, donec Rex cum media acie, quam ipsemet ducebat, auxilio esset, Palicio interea

Belcar. l. 15. §. 20. Simler. rep. Helv. l. 1. Guicc. lib. 12. Paul. Jov. l. 15.

Sæcul XVI A.C.1515.

rea ultimi agminis imperium tenente. Franciscus Rex ipsus ante prima cataphractorum signa ibat, & identidem in Helvetiorum agmina invehebatur, peditesque Germanos invicta animi fortitudine tuebatur, cumque Chlamys sua liliis distincta, cassisque aureo diademate ornata Regiam ejus Majestatem proderet, hastæ ictum thorace recepit, pluribus etiam lanceis ejus chlamydem impune ferientibus. Tanta nihilominus erat Helvetiorum pertinacia, ut ne repulsi quidem palmam concederent: cum Rex autem hinc in hostem effunderetur, & illinc nigræ, ut vocant, legiones in Geldriæ Provincia conscriptæ ordines perrumperent, Galli nonnulla tormenta, ab Helvetiis jamjam occupata recuperarunt, ingentemque globorum vim in hostem exonerarunt; interea vero Germani pedites, cum insidias sibi a Gallis strui, Helvetiisque eorum hostibus tradi pertimescerent, primo pedem referebant; attamen errorem suum dedocti ad signa rediere, culpamque præclaro facinore reparandi desiderio stimulati, in primum Helvetiorum agmen, quod prius fugitivos excipere parabat, jam toto impetu effusi prostraverunt. Inde pugna eo magis cruenta evasit, quo magis omni ex parte communis cædis aviditas flagrabat.

§. LXVI.

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. LXVI.

Anceps prælium nocte interruptum.

Datum est prælio initium die decima tertia Septembris secunda post meridiem hora, jamque ad quintam diei horam protrahebatur, donec densiores noctis tenebræ dimicantibus prospectum oculorum aufferentes pugnam interrupissent: eadem tamen die Bellemontius Comes Conneſtabilis frater, Sancerrus Comes & Imbercurtius trucidati fuere; ipse quoque Conneſtabilis idem fatum subiisset, nisi a decem vel duodecim equitibus, qui tamen potissimos hostium ictus excepere, circumfusus periculum evasisset: Prælio igitur intermisso quies, quamvis minime petita, aliquantum ab armis fuit: In hoc conflictu Rex nonnisi quinquagesimum passum a conferto Helvetiorum agmine aberat, abs dubio captus, si ab hoste agnitus fuisset; longe majus tamen discrimen adiit mutato certaminis loco. Nihilominus repetitum hostium impetum præsentiens, sedulo equites suos in aciem instruxit, bellique tormenta ad singulos castri sui aditus opportune collocari jussit; cumque vehementius eum sitis premeret, ægre admodum ei frigida ex puro fonte propina-

Raynald. an. 1515. n. 20.

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

ri poterat, reliqua enim omnis occisorum sanguine vitiata erat: post hæc semper in armis perstitit, ne galea quidem detracta, neque somno capto, nisi quantum corpori in tormenti currum tantisper inclinato licuit, ubi tamen eum velut duris assuetum arctissimus somnus complectebatur.

§. LXVII.

Prælium postera die redintegratum.

Marian. l. 30 n. 126. *Mocenigo l. 6* *Justiniani l. 12.*

Altera die decima quarta Septembris Helvetii albescente aurora pugnam majori quam antea rabie redintegrabant, tantoque impetu in mediam aciem, cui Rex præerat, effundebantur, ut nigræ Legiones plusquam sexaginta passibus pedem referre compellerentur, & abs dubio penitus prostratæ fuissent nisi multa globorum flammæque tempestas e Gallicis tormentis emissa hostium ordines attentuasset: Adeo enim perite a Jenolao Galioto rei tormentariæ Præfecto tormenta dispositа, librataque erant, ut plumbeæ glandes, & a fronte & a tergo circumvolitantes continenti clade cunctos Helvetiorum peditum ordines perrumperent. Jam quartam diei horam cruenta pugnantium aviditas tenuit, ac Helvetii, cum nigras legiones, quamdiu eas Con-

Genoivillac

nesta-

neſtabilis equitatus tueretur, perfringere deſperarent, relicta media exercitus parte ceteris copiis Gallorum tergum circumire præceperunt. Aſt Alenſonii Dux, qui huic agmini imperabat, rem ſubodoratus, tecte in itinere Helvetios præſtolabatur, atque in eos irruens illos eo adegit, ut in exiguam quamdam ſylvam non longe diſſitam fugere cogerentur, ubi a Vaſcis peditibus ad unum omnes trucidati fuerunt, eodemque tempore Rex cum octingentis cataphractis lævum Helvetiorum cornu penitus profligavit; hi quamvis pugnando honeſtam nonniſi fugam ſibi pararent, nihilominus ſolutis minime ordinibus pedem referebant, Gallis eos inſequi negligentibus; ſolus Livianus tergis fugientium inſiſtere aggrediebatur: aſt effera illorum, qua inſequentem exceperant, virtus brevi eum edocuit, Italorum haſtas ab Helvetiis minime timeri; nec ille alio edito facinore hujus prælii ſucceſſum promovebat, quamvis non deſint Hiſtorici, qui, ſolida licet ratione deſtituti, Liviano potiſſimas hujus victoriæ partes deberi affirment.

Sæcul. XV. A.C. 1515.

Mem. du Mareſch. de Fleurang. Guicc. l. 12. Paul. Jov. l. 15. Marian. l. 30 n. 126.

§. LXVIII.

Utrinque occiſorum numerus.

Præter illos, quos prima prælii die hoſtium gladius jugulaverat, altera die

Sæcul. XVI A.C. 1515.

exacta pugna inter occisos numerabantur Franciscus Trimollius Talmonti Princeps Ludovici Filius; Buffy de Ambasia Cardinalis ejusdem nominis Nepos; Roya Comes; Salazar Vascus ex Iriatrorum Familia, & Joannes de Mouy Meilleraci Toparcha Regius Vexilifer, cum pluribus aliis generis nobilitate clarissimis. Claudius de Lotharingia Guisiæ Comes viginti duorum annorum juvenis, cum absente Avunculo suo Geldriæ Duce Germanis peditibus imperaret, ingens vitæ discrimen subibat, ac viginti duobus vulneribus affectus, atque in terram projectus, transeuntis turmæ pedibus conculcatus fuisset, nisi Adam Nirembergius ejus armiger cum dispendio vitæ suæ corpus suum prostato superim posuisset, ac tamdiu ejus loco proterrentium rabiem sustinuisset, donec accurrens Regia Cataphractorum manus Comitem periculo eripiendi spacium sortiretur. In utraque hac pugna ex Gallis cecidere quinque aut sex ferme millia selectioris omnino militiæ, Helvetiorum quindecim millibus desideratis. Hi accepta clade Mediolanum unacum Sedunensi Cardinale secesserunt, verum paulo post urbe, cum illius cives Gallis aditum patefacere parati essent, excesserunt, ac per Lacum Larium in patriam suam redierunt.

Papyr. Mass. dans l'eloge du Duc de Guira

§. LXIX.

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. LXIX.

Gallorum exercitus Mediolanum ingressus.

Cardinalis Sedunensis in Germaniam profugus, Maximiliano Sfortiæ pollicitus est, se eidem brevi longe magis numeroso Helvetiorum exercitu præsto futurum; interea vero Mediolanenses urbis suæ portis ultro apertis claves Regi obtulerunt. Hic altero ab urbe Lapide castra metatus, Mediolanensibus nonnisi centies mille aureos trina solutione pendendos mulctæ nomine indixit, civibusque cuncta eorum jura confirmavit, urbem tamen ingredi renuit, quamdiu Maximilianus Sfortia illius imperium teneret, qui etiam cum bis mille præsidiariis in illa inclusus sese tuebatur.

Belcar. l. 15. n. 20. Guicc. lib. 12. Pet de Angl. ep. 550. 555. Raynald. an. 1515. n. 21.

§. LXX.

Maximilianus Sfortia dedita arce in Gallias abstractus.

Ergo Rex Papiam secedit; verum Mediolanensis arx nequidem uno Mense Gallorum impetus sustinuit; equidem Borbonius Connestabilis Maximiliano Sfortiæ persuadebat, quod nonnisi honorifica arcis ditione rebus suis undique desperatis saluti esset, & Gonzaga Regi

Sæcul. XV. A.C. 1515.

omnium amicorum longe cariſſimus gratiæ concilia-tor foret: cum vero Hieronymus Moronus Mediolanenſis Cancellarius præcipua in Ducatu auctoritate valeret, ſuæque dignitatis conſervandæ tenaciſſimus eſſet, hunc quoque Gonzaga ad Gallorum ſtudia pertrahere, omnino neceſſarium cenſebat. Igitur Morono fidem dedit, Cancellarii munus eidem perpetuo jure aſſertum iri, ac præterea libellorum ſupplicum Præfectura decorandum, adjecta mille ducentorum aureorum penſione. His conditionibus adimpletis, Conneſtabilis Pomperanum ad arcem miſit, ac Sfortiæ deditionem acceptavit his pactis concluſam.

Raynald. l.c. Belcar. l.16. n. 12.

I. Galliarum Regi Cremonenſem ac Mediolanenſem arces, quas ſolas adhuc tenebat, redderet.

II. Rex viciſſim æs alienum, quo Sfortia gravaretur, necnon ſtipendia Helvetiis Mediolanenſem arcem tuentibus numeraret, Maximiliano autem certam pecuniarum ſummam numerato daret, qua accepta Dux in Franciam ſecederet, cui Rex quotannis triginta aureorum millium penſionem penderet, ac eum Cardinalem fieri procuraret, ſi eidem penſionem ſuam pari conditione ex Beneficiis percipere præplaceret.

III. Denique omnibus illis, qui Sfortiæ partibus adhæſiſſent, plena injuria rum-

rum oblivio concederetur, & Morono prædia, quæ a liberali Sfortiæ manu accepiſſet, integra manerent, ac præter libellorum ſupplicum Præfecturam eidem annua penſio concederetur. Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. LXXI.

Sfortia pingui penſione promiſſa in Franciam delatus.

Deditionis legibus integra fide effectui datis, Sfortia ſe *Helvetiorum ſervitute, Cæſaris dilaceratione, & Hiſpanorum fraudibus liberatum* inquiens, in Galliam contendit, ſed ob ſordidiſſimos mores omnium ludibrio expoſitus vivebat. *Spond. ad ann.* 1515. *n.* 8

§. LXXII.

Liviani obitus.

Dum hæc gerebantur, Livianus hoc ultimo virtutis opere edito, rebus humanis valedixit, in quodam ignobili Brixiæ oppido defunctus, dum Brixiam ac Veronam recuperare parabat. Eo morte ſublato Veneti exercitus imperium Theodoro Trivulcio deferebant, datumque ei negotium, ut Belliducis cadaver Venetias transferri curaret: Cum vero milites Veneti a Germanis, qui Veronenſem tractum tenebant, ſecuritatis literas acceptare obſirmato animo recuſarent, toto expeditionis tempore Liviani

Sæc XVI. A.C. 1515.

corpus secum in castris habebant, tandem vero Athesin remigantes illud per Veronensem ditionem obliquato itinere, atque explicatis vexillis deportabant. Senatus Belliducis sui cadaver summis honoribus excepit, ac magnificis exequiis eidem parentavit. His persolutis Respublica missis ad Franciscum Regem Oratoribus victoriam Regiis armis, auspiciisque relatam gratulata est, idque obsequii genus Rex haud vulgari amicitiæ testificatione acceptans, Venetis præter septingentos Cataphractos septem peditum millia transmisit, ut his suppetiis aucti, quæ sibi erepta crederent, recuperare possent: Interea vero Theodorus Trivultius Piscariam, & Asolam armis suis subjecit, Marchio autem Mantuanus Lunetum, quod sub primis auspiciis Cameracensis Fœderis occupaverat, Venetis ultro cedebat: Brixiam quoque non exspectato Gallorum auxilio obsidere parabant Veneti: ast amissis omnibus tormentis, totoque belli apparatu obsidionem solvere compellebantur, quam Gallis ductore Lautreco in auxilium venientibus, redintegrare tentabant, verum ubi octo Germanorum peditum millia ex Germania advenerant, denuo repulsi sunt; Brixia autem, & Verona a novis hisce Germanorum copiis, milite ac commeatu instructæ fuerunt.

§. LXXIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. LXXIII.

Pontificis trepidatio ob Marianensem victoriam.

Ad primos Marianensis victoriæ rumores summus Pontifex, etiamsi intrepidum vultum fortunæ objicere, immotamque constantiam ostentare conaretur, ingentem tamen, quo percellebatur, timorem dissimulare haud poterat; verebatur enim, ne Rex Medicæis Florentia depulsis pristinam Reipublicæ normam denuo institueret: ea de re iterato plures nuncios e vestigio ad Cardonnium, qui residuas Catholici Regis copias periculo subducturus Neapolim secesserat, decrevit, eumque impense hortatus est, ut in adversis animi firmitatem ostenderet, ac contra infestæ fortunæ procellas obdureſceret.

§. LXXIV.

Inter Papæ Nuncium & Galliarum Regem fœdus initum.

Idem quoque Pontifex nulla mora suo in Galliis Nuncio Apostolico negotium dedit, ut quantocius cum Francisco Rege concordiam iniret, cum ad totius Mediolanensis Ducatus expugnationem nonnisi Parma & Placentia victricibus ejus armis

Sæcul. XVI A.C. 1515.

mis obsisterent, jamque Rex pontem Pado imponi mandasset, eo fine, ut ductore Aymaro de Prie copias eo transmitteret. Interea tamen Fœderis sanciendi negotium tanto studio urgebat Papæ Nuncius, ut Rex ejusdem votis cederet, eoquod novas armorum societates veritus, Papam sibi junctum lætaretur. His ergo legibus pax inter Leonem, & Franciscum coaluit: I. Parmam & Placentiam Regi redderet Pontifex, ut hæ urbes Mediolanensium ditioni rursum unirentur; II. Mediolanensis imperii populus salem, quo uteretur, nonnisi Cerviæ accipere teneretur; III. Sabaudiæ Dux arbiter constitueretur damnorum, quæ Galli perpessi essent, cum Florentini contra Fœdus cum Rege innovatum Fœderatis copias suppeditassent; IV. Rex Florentinos, ac præcipue Medicæorum familiam in fidem suam reciperet; V. Papa & Galliarum Rex adversus omnes, qui alterutrum aggressuri essent, sese mutuo præsidio tutarentur; VI. Denique summus Pontifex Gallorum copiis liberum per status Ecclesiastici ditiones transitum concederet; suos autem milites Brixia & Verona revocaret, indulto ad id duorum vel trium mensium intervallo, ne Cæsarem offenderet.

Guicc. l. 12. Apud Bemb. l. 11 ep. 3. & 19.

§. LXXV.

Sæcul. XVI.
A.C 1515.

§. LXXV.

Fœdus a Rege lubenter, a Papa ægre firmatum.

Hæc fœderis capita a Rege mox firmata quantocius ad Papam, ut eis accederet, per Nuncium deferebantur: Aſt ille cum Principatum in Italia Gallis redditum ægerrime ferret, ac præterea prompti, validique auxilii ſpe ab Helvetiis detineretur, pactis fœderis legibus nomen dare diu cunctabatur, nec prius annuere decreverat, quam Mediolanenſem arcem deditione acceptam fuiſſe percepiſſet. Igitur ſtimulante etiam Nuncio Apoſtolico, qui cæptum a ſe negotium perfici exoptabat, Leo Pontifex fœdus ratum habuit, mutatis nonniſi quibusdam articulis, qui tamen præcipuum concordiæ caput maxime ſpectabant: Pactum enim de reddendis urbibus Parma & Placentia ita temperari voluit, ut Leo Papa ad tuendum Apoſtolicæ Sedis honorem non eas recta Gallis tradere, ſed duntaxat ſua præſidia ex illis educere, ac cives a fidei ſacramento Sacræ Sedi præſtito abſolvere teneretur adeo, ut Galli pro ſuo arbitrio de præfatis urbibus disponere valerent, earumque poſſeſſionem accipere, ipſis integrum eſſet. Articulum quoque de Florentinis Papa ampliabat,

Raynald. ann. 1515. n. 39. & 40.

Sæc. XVI. A.C. 1515.

bat, ſtatuens, ut Rex omnium, quas Gallis quatuor abhinc annis intuliſſent, injuriarum oblivionem illis indulgeret, eosque, nemine excepto, ſuo foveret præſidio; his etiam additum fuit, quod Rex nullius, qui Pontificio imperio ſubjectus, ac beneficiarius eſſet, patrocinium ſuſciperet, nec Papam prohiberet, quo minus delinquentes debita pœna coercere poſſet. Igitur Pontifex fœdus ita temperatum die decima tertia Octobris hoc anno ratum habuit.

§. LXXVI.

Pontifex a Galliarum Rege colloquendi copiam petens.

Extat apud Bemb. l. 11. c. 10.

Pactis a Papa firmatis, Nuncius Apoſtolicus confeſtim in Gallias reverſus eſt, ut Regem hac ſuper re certiorem redderet, ſimulque prout in mandatis habebat, de colloquio ageret, quod in quadam Italiæ urbe haud procul a Mediolanenſi Ducatu diſſita Papam inter, & Galliarum Regem celebraretur. Nuncius adeo feliciter demandato ſibi negotio defungebatur, ut Franciſcus Rex non modo mutatos fœderis articulos ratos haberet, ſed etiam oblatum a Papa congreſſum acceptaret; partim enim Romanæ Curiæ ſplendorem admirandi, partim aulæ ſuæ magnificentiam coram ſacro

cro Collegio ostentandi desiderio stimulatus erat, potissimum vero ea ex causa assensit, ut Italiæ Principes, qui Gallorum studia palam profitebantur, Sedi Apostolicæ conciliare niteretur. Nec Pontifici suæ deerant congressus petiti rationes; cum enim ad flectendos Principum animos mira dexteritate polleret, sperabat, se obtenta colloquii copia non pauca, quæ desideraſſet, a Galliarum Rege impetraturum, atque inter cetera decantatæ Sanctionis Pragmaticæ abolitionem obtenturum, quam Prædecessores sui impigro licet, irrito tamen conatu identidem urgebant. Præterea summus Pontifex in favorem Sabaudiæ Ducis duos novos erexerat Episcopatus, unum Cambrii, alterum Burgi in Bressia, idque sine consensu Franciſci Regis, atque Episcoporum Franciæ, qui, cum eorum Diœceses distraherentur, usurpatæ alienæ potestatis nomine ad superius tribunal appellarunt; Jam vero Papa, cum Sabaudiæ Duci nunc remissius faveret, haud ægre Regi utriusque hujus Episcopatus suppressionem indulsisset, dummodo eam redimeret plena abrogatione Sanctionis Pragmaticæ, quæ diu in Romana Curia Ministrorum, si forte Canonum præscripta transgrederentur, licentiam refrænabat. (*) §. LXXVII.

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

(*) *Quam longe alia fuerint Papæ Regisque consilia*

Sæcul. XVI. A. C. 1515

§. LXXVII.

Congressus Papæ & Regis Bononiæ.

Paris. de Grassis t. 4. p. 125. 141. Bemb. l. 11. ep. 9. Raynald. hoc ann. n. 24. 29. 30. & 35. Bzov. in annal. hoc ann.

Seligitur ergo pro congressus loco Bononia, tantoque Regem salutandi desiderio ferebatur Pontifex, ut ultra dimidiam itineris partem citius illuc venire sponderet, ac re ipsa prior die octava Decembris urbem ingressus est, Rege primum biduo post adventante, cui obviam ibant Parmam usque quatuor Nobiliores Curiæ Romanæ Prælati; eundem vero Reggii excipiebant duo Cardinales, nimirum Nicolaus Fliscus, & Julius Medicæus, qui postea Clemens VII. Papa renunciatus est. Hi tanquam Legati advenientem Regem salutaturi, usque ad Alenzæ fluvii oram, quæ tum Mediolanensem a Pontificia ditione segregabat, processerunt. Altera die Papa Regem, postquam Bononiam ingressus esset, in Patrum Senatu excepit, eumque honoribus regiæ Majestati debitis, veneratus est: Franciscus quoque Leoni obedientiam detulit pro more Christianorum Principum

filia in expetendo hoc congressu, perspici potest apud Raynaldum Odoricum ad hunc annum num. 26. & Bzovium num. 2. col. 3. fol. 241.

pum, qui sub primis imperii sui auspiciis Pontifici velut supremo Christi in terris Vicario obsequium suum profiteri solent. Post hæc Antonius de Pratis in genua provolutus nomine Regis verba fecit, quæ omnia Franciscus in pedes erectus, ac capite tectus sibi probari, humerorum ac capitis inclinatione indicabat. Die decima tertia Decembris Sanctæ Luciæ sacra summus Pontifex rem divinam solemni ritu peregit, cui Rex interfuit, ac celebranti pro lavandis manibus aquam affudit. Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. LXXVIII.

Adrianus Gouffier Constantiæ Episcopus a Papa Cardinalis creatus.

Postera die Pontifex Adrianum Gouffier Boisium Cardinalium collegio adscripsit. Is tum Constantiensi Ecclesiæ in Normannia præfuit; inde ad Albiensem Episcopatum promotus in Galliis Legati Apostolici munus obiit. Fratrem habuit Arturum Gouffier, magnum Franciæ Magistrum, Regique Francisco inter amicos carissimum. *Ciacon. in vit. Pontif. p. 344 Frizon. in Gall. purp. Aubery hist. des Cardin. Panvin. de Rom. Pontif.*

§. LXXIX.

Sæc. XVI. A.C. 1515.

§. LXXIX.

Volsæus Eboracensis Archiepiscopus itidem Cardinalis.

Integrum trimestre præcesserat, ex quo Leo Papa die decima Septembris eadem dignitate decorabat Thomam Volsæum Eboracensem Archiepiscopum, ac supremum Regis Angliæ Ministrum. Is Tornaco in potestatem Henrici VIII. redacto ejusdem urbis Episcopatum ex Regis donatione accepit, quem ut dimitteret Volsæus, Franciscus Galliarum Rex eidem spopondit, se illi purpuram Romæ procuraturum. Volsæus hujus dignitatis percupidus erat, spemque sibi amplissimam fecerat, quod pari felicitate, qua Brambiggio in Eboracensi Archiepiscopatu, itidem in Cardinalatu eidem successurus esset; quinimo Cornetum Cardinalem Apostolicum in Anglia nuncium, ut ipsius nomine hunc honoris gradum sibi a Papa conferri urgeret, sollicitabat. Verum Cornetus adeo non ambitiosis Volsæi votis cessit, ut etiam eidem plurimum officeret. Hac ergo de caussa Volsæus ira inflammatus, Polydorum Virgilium turri includi jussit, non alio ex capite, quam quod illum Cornetus ad colligenda pro Pontifice in Angliæ regno subsidia deputasset. Solido anno Polydo-

Ciacon ib. Polyd Virg. in Henric. VIII. l. 27. Ughell. in addit. ad Ciacon. Godevin. de Arch. Ebor. Raynal. ann. 1515. n. 18.

rus

dorus in Turri captus hærebat, inde nonnisi ad Papæ ac Julii Medicæi Cardinalis preces liberatus, quapropter continuo indignationis sensus Polydori animo altius insedit, nec inde mirum, quod in sua Angliæ Historia Volsæum acriori calamo perstrinxerit. Ceterum hic Vir erat ultra modum ambitione tumens, & quamvis accepto purpuræ sibi concessæ nuncio animi sui lætitiam liberalius effunderet, hancque dignitatem nulli magis quam Francisco I. Galliarum Regi deberet, nihilominus accepti beneficii adeo immemor erat, ut etiam Angliæ Regem Francisco infensum reddere, toto studio conaretur. Sæc. XVI. A.C. 1515.

§. LXXX.

Negotia inter Papam & Regem Bononiæ agitata.

Integro triduo Galliarum Rex Bononiæ cum summo Pontifice conferebat; res autem, quarum caussa congressus fiebat, primo spectabant mutui inter se fœderis confirmationem, ubi Papa pollicebatur, se Gallorum copiis non modo transitum per ditionem Ecclesiasticam concessurum, sed etiam omnem belli apparatum, necnon necessariam Gallis annonam suppeditaturum, eoquod sub idem tempus belli societas cum Rege Catholico inita ex-

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

spiraret. Postea Rex Mutinam & Regium, urbes a Julio II. Ferrariæ Duci ereptas eidem restitui petiit; id tamen admodum grave accidebat Pontifici; tandem vero assensit, ea sub lege, ut ab eodem Duce expensæ, ac quadraginta aureorum millia, quæ ejus Prædecessor Cæsari, emptis ab eo ambabus hisce urbibus numerasset, refunderentur. Minus expeditum erat Urbinatis Ducis negotium; quippe Dux ille, cum Sedi Apostolicæ beneficiario nomine obstrictus esset, in exercitu, cui Julianus Medicæus præerat, præliari tenebatur, cum autem Julianus defunctus, ac Laurentius Medicæus ejus Nepos subrogatus esset, Urbinatis Dux in exercitu, cui paulo ante sub Julio imperia dabat, jam ea a Juvene vix octodecim annos nato accipere recusabat. Præterea idem Dux Francisco I. significabat, quod unice singulari, quo Franciam prosequeretur, affectu impulsus copiis adversus Gallos decertantibus sese jungere renuisset. Quinimo non deerant, qui ut majorem Duci crearent invidiam, divulgabant, quod Galliarum Regi auctor fuisset, ut confecto Marinianensi prælio Florentinæ urbi exercitum admoveret, eoquod cives abs dubio portas ultro aperturi essent.

Guicc. l. 15. Belcarius l. 15.

§. LXXXI.

§. LXXXI.

Sæcul. XVI. A. C. 1515

Venia Duci a Pontifice negata.

Jamjam ſummus Pontifex adverſus Urbinatis Ducem Judicii acta inſtruere cæpit, cum vero Rex illius patrocinium in ſe ſuſciperet, Papa eidem reſpondit, hunc eſſe rebellem, proin promeritæ ſeveritatis exemplum fore edendum: Rege autem impenſius urgente, ne Fiduciario ejus clienti moleſtia inferretur, Papa obfirmato magis animo ſua jura defendebat, nec ullum hac ſuper re certum dabat reſponſum: quapropter Regi nil reliquum erat, quam ut Leonis promiſſo inniteretur, quo hic Duci veniam dandam eſſe ſpopondit, quamprimum pro ſuis in Papam injuriis ſatis eſſet facturus. Attamen ea potiſſimum ex cauſſa Leo flecti neſcius erat, quod Urbinatis Principatus augendis Domus Medicææ rebus percommodus accideret; Etruriæ enim confinis cum eſſet, ſi jam Florentinæ ditioni jungeretur, imperii ſui fines facile a mari Jonio usque ad mare Adriaticum protenderet; ejusmodi ergo Principatum aucupandi occaſio, quantumvis levis, nullatenus negligenda cenſebatur; quam ob rem Urbinatis Ducis crimina plus juſto augebantur, prævalente eum deturbandi aviditate. (*)

Raynald. ad ann. 1516. *n.* 81. *Guicc. l.* 12.

(*) *Ruvereum Urbinatis Ducatu juſtas ſpoliandi*

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. LXXXII.

De rebus Regni Neapolitani, & de Venetorum pace cum Cæsare.

His ita compositis duo alia Bononiæ agitabantur negotia, quorum primum erat Neapolitani Regni invasio, alterum vero pax Cæsarem inter & Venetos sancienda: Probe enim prospexerat Pontifex, quod Galliarum Rex occupati Mediolanensis Ducatus terminis felicitati suæ metam nullatenus positurus, sed potius superatis demum alpibus victricia arma in interiora etiam Neapolitani Regni illaturus esset, ipsa expeditionis facilitate tunc eum alliciente; cum enim Cardonnius ad reparandas debilitati exercitus sui vires & fides & pecuniæ deficerent, sola Regis præsentia ad populos in fidem accipiendos deesse videbatur: unde ad Regni hujus possessionem Hispanis conservandam omnino expedire censebat Pontifex, ut Galliarum Regem ab hac expeditione revocaret, eamque alia occasione utilius suscipiendam fore, eidem persuaderet. Valuit quoque successus; cum enim Rex eo tempore ad hanc belli molem viribus impar esset, facile illum induxit Pontifex, ut Regni expugnationem usque ad

liandi causas recenset præter alios Raynaldus Odoricus l. cit. & Bzovius ad ann. 1516. num. 22.

ad obitum Regis Catholici differret. *Haud diu*, inquiebat Leo, *Hiſpaniarum Rex vita ſuperſtes erit, ætas jam prope exacta, adverſaque ejus valetudo proximam mortem comminantur.* His permotus Rex arma ſuſpendere decrevit. Agebat inſuper Franciſcus cum Pontifice de pace Cæſarem inter & Venetos concilianda, qua in re utriusque ſententia eo abibat, ut Ægidius Auguſtinianorum Magiſter generalis ad Maximilianum Cæſarem ablegaretur, qui pacem cum Venetis redintegraret, ſimulque Imperatorem hortaretur, ut Brixiam & Veronam Venetis accepta ab iis certa auri ſumma reſtitueret, eoquod adverſus Reipublicæ potentiam ambas urbes tueri haud valeret, maxime, ubi Galli occupata Mediolanenſi ditione Venetis juncti eſſent. Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. LXXXIII.

Papa a Rege abolitionem Pragmaticæ Sanctionis poſtulans.

Nonniſi pragmaticæ Sanctionis, quam Papa omnino abolendam poſtulabat, negotium ſupererat. Ea ab initio haud alio ex fine condebatur, quam ut vetus Eccleſiæ Gallicanæ diſciplina ex primis Conciliis hauſta in ſua firmitate perſiſteret; verum Romana Curia, poſtquam antiquis Canonibus decreta Pontificum

Sæcul. XVI. A.C. 1515

subrogaverat, Papæ jurisdictionem arctioribus limitibus in Gallia circumscribi, ægerrime ferebat, cum tamen eam in potissimis Europæ Regnis supremam haberet; unde pragmaticam detestabatur Sanctionem, velut opus tenebrarum nonnisi ad deprimendam Pontificiæ potestatis amplitudinem tempore schismatis conflatum, hanc ob rem Pius II. sub Ludovico XI.; Alexander VI. sub Carolo VIII.; & Julius II. regnante Ludovico XII. pro abroganda ejusmodi Sanctione extremos adhibuere conatus: Hucusque tamen vana erant eorum molimina, eoquod fortuna Gallis fuisset propitia. Ast Francisco I. ea erat animi imbecillitas, ut Papæ votis cederet, immoderato expugnatus desiderio, quo ad regni sui Episcopatus nominandi potestatem recuperare anhellabat, quam omnes primæ, ac non pauci secundæ stirpis Prædecessores sui olim possidebant.

§. LXXXIV.

Cancellarius a Rege deputatus abrogandæ Sanctioni Pragmaticæ favens.

Igitur Rex Parisios redire percupidus, totius negotii curam Prato suo Cancellario demandavit. Huic ea insedit opinio, quod abrogata Sanctione pragmatica

tica Concordatum erigendum esset, quo Papa Galliarum Regi ad Franciæ, ac Delphinatus Beneficia jus nominandi denuo adstrueret: Rex vero Pontifici concederet Annatas, quæ non juxta veterem, sed secundum veram, & novam æstimationem ex ampliſſimis hisce Beneficiis perciperentur. Hac sententia Cancellarius aut rerum ignorantiam, aut animum quæstus cupidine sopitum prodebat, unde sibi omnium recte sentientium invidiam accersivit, præcipue vero Regiorum Procerum, qui tanti momenti negotium agitari ægerrime ferebant. Ast Pratus insuperhabitis ceterorum querelis Regis sui mandata exequi curabat; quocirca cum Anconitano, ac SS. quatuor Coronatorum Cardinalibus, quos Papa suo nomine deputabat, rem pertractare cæpit. Sæcul. XVI. A C. 1515.

§. LXXXV.

Galliarum Rex Bononia Mediolanum reversus.

Ceterum Bononiense colloquium cum magna non modo Regis, sed & Pontificis satisfactione solutum videbatur; Leo etiam Francisco Regi auream, gemmisque ad quindecim ducatorum millia pretiosis ornatam crucem dono dedit, cui inclusa erat portio sanctissimi Ligni Cru-

Sæcul. XVI. A.C. 1515

cis Dominicæ, quæ magnitudine nucem avellanam æquabat. Rex accepto munere die decima quinta Decembris Bononia discedens Mediolanum rediit.

§. LXXXVI.

Galliarum Regis fœdus cum Helvetiis.

Primo equidem Rex Lutetiam Parisiorum contendere decreverat, mutavit tamen consilium, eoquod pristinum cum Helvetiis fœdus renovare, necessarium fore existimaret. Ergo mutuæ societatis pacta cum illis firmat, iis omnino legibus, quæ ante Marinianense prælium ultro citroque proposita, imo & acceptatæ fuerant; quamvis ex tredecim Pagis quinque ejusmodi fœderi subscribere recusassent, eoquod Mediolanensis Status urbes, quas ab anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo occupaverant, ex fœderis hujus præscripto reddere debuissent: ceteri vero octo Cantones huic societati nomen dederunt, qua cautum erat. I. Rex Helvetiis sexcenta aureorum millia ipsis promissa infra trimestre numeraret, veteres quoque pensiones confirmaret. II. Helvetii Galliarum Regi militum suppetias ad defensionem & offensionem adversus quoscunque, Pontifice tamen, Cæsare, & Imperio exceptis, mitterent. III. Valles ad Medio-

Raynald. ad ann. 1516. num. 76. & seq.

Mediolanenſem Principatum ſpectantes reſtituerent. IV. Non tenerentur Helvetii adverſus populares ſuos arma ſumere, ſi forte Mediolanenſis ditionis oppida, quæ tenent, inſeſtis armis invaderentur. Fœdere ita firmato, Rex per Alpes in Gallias reverſus eſt. Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. LXXXVII.

Congreſſus Principum Viennæ in Auſtria.

Necdum Bononiæ congreſſus incæperat, cum jam alius Viennæ in Auſtria admodum celebris menſe Julio haberetur. Convenerant ibi Maximilianus Cæſar, Wladislaus Bohemiæ ac Hungariæ Rex, Sigismundus Rex Polonorum illius frater, atque Ludovicus ejusdem Wladislai frater natu minor. Aderant quoque Cardinales Gurcenſis, & Strigonienſis, Epiſcopus Feltrenſis, Apoſtolicus Leonis Papæ Nuncius, Hiſpaniæ ac Angliæ Regum Legati, aliique innumeri Prælati, Principes, ac Viri nobiles ex univerſa Germania, Hungaria, Polonia, aliisque Regnis ac Provinciis vicinis. Actum in hoc conventu præcipue de pace per connubii fœdera inter hosce Principes concilianda: Proponebantur enim nuptiæ Ludovici junioris Regis cum Maria Cæſaris Nepte, necnon connubium Ca-

Exſtat. t. 3. rerum Germ. edit. Freher. Du Brav. rer. Bohem. l. 12. Lambec. in appen. ad Bonfin. Sigism. Vaſſor in Frag. Iſtua. hiſt. Hung. l. 5. Marian. lib. 30. n. 120.

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

roli Archiducis cum Anna prædicti Ludovici Sorore, qua animorum conjunctione antiqua sanctio de successione Austriacæ Domus in Regno Hungarico & Bohemico securior redderetur, si mascula Wladislai progenies extinqueretur. Actum insuper præter plura alia de bello contra Turcas suscipiendo, ac de Legatis ea de re ad Senatum Venetum mittendis, necnon de pace inter Moscovitas & Polonos honestis conditionibus componenda; denique de Teutonicis Equitibus in Prussia ad Polonorum Regnum reducendis.

§. LXXXVIII.

Sinderovia ab Hungaris obsessa.

Chalcondyl. hist. Turca. l. 13. n. 20.

Hoc tantorum Principum conventu Selimus Turcarum Imperator vehementer terrebatur, eo potissimum nomine, quod rumor esset, illos arma contra ipsum parare, ubi vero per exploratores comperit, nihil præter magnificas orationes, sumptuosa convivia, varios ludos, ac inania colloquia instituta fuisse, vano solutus metu, arma in Orientem vertere constituit. Cingebatur tamen hoc anno ab Hungaris Sinderovia, quæ Serviæ urbs est Danubio adjacens, atque ex ea parte, quæ Orientem spectat, a Belgrado seu Alba Græca septimo

mo lapide distans. Huic præerat Alisbegus Jachiæ Bassæ Filius: obsidionem vero illius moderabatur Stephanus Batorii Filius. Selimus, qui tunc in Asia Kemacum cingebat, ab Alisbego rem edoctus, confestim eidem negotium dedit, ut ad omnes circumvicinas Provincias, eorumque Gubernatores perscriberet, juberetque, ut simul congregati nulla mora Sinderovianæ urbi suppetias venirent. Jamjam Hungari erectis aggeribus, tormentisque undique locatis mænia adeo continua explosione nudabant, ut de urbis expugnatione vix non certi essent, cum ecce! præter expectationem Turcæ tanto numero advolant, ut Hungari horum adventu territi, metuque ad ipsum exercitum extenso unaomnes fuga saluti suæ consulere intenti essent. Fugitivis instant Turcæ, nonnullos capiunt, eosque in vincula abripiunt. Selimus victoriæ nuncium cum ingenti lætitia excepit, atque in grati animi signum Januso Bassæ mandata dedit, ut Bosniam ferro flammaque vastaret. Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. LXXXIX.

Albuquercii Indiarum Proregis obitus.

Funestabatur hic annus fatali obitu duorum valde insignium hujus temporis Heroum *Marian. lib. 30. n. 123.*

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

Joan. de Barros. Maffe. Marmol. Vaſcellos. Spon. ad an. 1515. n. 15.

Heroum ex natione Hiſpanica, horum primus erat Alphonſus Albuquercius Luſitanus Indiarum Prorex, alter vero Ferdinandus Conſalvus, qui vulgo *magnus Capitaneus* cognominabatur. Albuquercius, cum Ormutii Coronæ Luſitanæ negotia procuraret, longa infirmitate ex profluvio ventris extenuatus, Goam navigare conſtituit; cum vero in itinere nuncium de Lopeſii Suarii ſui in imperio ſucceſſoris adventu accepiſſet, tanta inde animi perturbatione corripiebatur, ut dolori ſuo imperare, planctumque reprimere haud ultra valeret, qua de cauſſa morbi vis plurimum invaleſcebat minori in horas ſanitatis ſpe: Igitur Goæ proximus accerſiri juſſit Presbyterum, cui erat ſolitus conſcientiæ vulnera detegere, ac cum eo rebus omnibus communicatis, pœnitentiaque & S. Oleo ex ritu Chriſtiano expiatus antelucano tempore piiſſime efflavit animam. Uxorem nunquam habuit, unicum tamen, quem ex ancilla Inda ſuſceperat, filium reliquit, ac de eo ſollicitus ante mortem hæc verba ad Regem perſcripſit: *Filium habeo unicum, eum tua benignitate complectere, precor, paternis meritis ea gratia eſto.* Rex Luſitaniæ hunc Filium mutato, quod a prima ætate acceperat, Blaſii nomine Alphonſum appellari voluit, atque in Patris memoriam, prædia, & vecti-

vectigalia dedit ampla, ac splendidas ei- Sæcul. XVI.
dem nuptias conciliavit. Alphonsus ejus A.C. 1515.
Pater Goæ sepultus est in magnifico quodam sacello, quod ipse in honorem B. V. M. construxerat.

§. XC.

Ferdinandi Consalvi mors.

Alter, quem mors Hispanis eripuerat, erat Consalvus. Is cum Loxæ vitam suam in præcipiti esse sentiret, Granatam in lectica deportari voluit, spe concepta, mutato aere morbi vim remissuram. Ast nihil ea tunc diligentia profectum; paucis enim post ejus adventum elapsis diebus secunda Decembris die anno millesimo quingentesimo decimo quinto vivis ereptus est, annos natus sexaginta duos. Nonnisi Filias reliquit, ac inter eas natu majorem nomine Elviram totius paternæ substantiæ hæredem. Defuncto Ferdinandus Rex in universo Regno honores in Hispania nonnisi Regibus fieri consuetos exhiberi jussit. Laudes ejus lugubres decantans Petrus Anglerius Mediolanensis: *Væ!* inquiebat, *tibi! væ Hispaniæ! vita functus est Consalvus Magnus Imperator jure merito appellatus, qui nomen tuum primus hac tempestate supra astra locavit, tuque o Hispania eo alumno famam æternam consecuta es.*

Marian. lib. 30. n. 132. Guicc. l. 12. Petr. de Ang. epist. 557. De Thou hist. lib. 1. Brantom. vie des Capit. Vie du Card. Ximen. t. 2. l. 5. p. 299.

§. XCI.

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

§. XCI.

Ordinum Caſtellæ comitia Burgis a Rege Catholico celebrata.

Interea Rex Catholicus ſacræ Hebdomadæ dies Majoradæ tranſigebat, Caſtellæ Ordines Burgis, Arragonenſes vero Bilbili-novæ congregaturus. Præmiſerat in Arragoniam Reginam Conjugem ſuam, quæ ejus nomine comitiis præeſſet, ipſe autem prompte Burgos contendit, ſpe concepta, ſe ad augendas exercitus ſui vires, necnon ad reparanda confinium munimenta ingentem pecuniarum ſummam impetraturum. Nec ſua eum ſpes fefellit; nam rerum ſtatu Caſtellanis expoſito, ſuumque ærarium exhauſtum eſſe queſtus, quadringenta aureorum millia obtinuit. In iisdem etiam comitiis Caſtellanæ coronæ Regnum Navarræ adjunxit, quod antehac Arragoniæ Regno ſemper aggregatum erat: Id vero conſentiente Germana Regina ejus conjuge factum fuiſſe, haud temere creditur; ipſa enim, cum prole careret, tertio poſt anno juri ſuo in Cæſar-Auguſtanam ditionem ceſſit, illudque in Carolum Auſtriacum Caſtellæ & Arragoniæ Regem tranſtulit.

Calatazud.

Marian. lib. 30. n. 116.

§. XCII.

§. XCII.

Sæcul. XVI. A.C. 1515.

Subsidium ab Arragonensibus Ferdinando denegatum.

Ceterum Arragonenses Castellanis obsequendi studio minime pares erant; hi enim subsidium, quod Rex petebat, dare recusabant, nisi Proceribus vasallis Regem appellationis via interpellandi libertas aufferretur, tantaque fuit illorum pertinacia, ut nullo unquam pacto cederent. Ferdinandus de rebus in Arragonia gestis certior factus, cum Burgis gravi premeretur valetudine, Cancellarium ad se venire jussit, qui vix Arandam ad Durii ripam, ubi Rex agebat, delatus, confestim in æde sua custodiæ dabatur, captusque ad Salamancæ arcem abducebatur: nihilominus quamvis ipsemet Rex Bilbilim-novam unacum Ferdinando Nepote suo proficisceretur, ut Proceres ad obsequium revocaret, incassum tamen arrepto itinere, nec blanditiis, nec minis Arragonenses flectere valuit, utpote quos Cancellarii sui captivitas usque adeo exacerbabat, ut privilegium, quod ipsis summopere cordi erat, supprimi nequaquam permitterent. *Id. n.* 118.

§. XCIII.

Sæcul. XVI. A. C. 1515.

§. XCIII.

Rex Catholicus Madritum reversus.

Accedente itineris labore, ac non mediocri animi perturbatione haud parum adversa Regis Catholici valetudo ingravescebat, nihilominus autumno prope exacto iter aggredi, ac Madritum re infecta redire compellebatur, ad varia bella, quæ ipsi impendebant, suppetias ab Arragonensibus obtinere desperans. Regina quoque Deputatis abire jussis, Ilerdam contendit, ibidem Cataloniæ comitiis interfutura: Ferdinandus autem Madrito Placentiam, inde Hispalim secessit, clementiori aura hyemis rigorem temperaturus: cum vero ad morbi ejus vehementiam indies nova fieret accessio, Carolus Archidux de periculo admonetur, eidemque nunciatur, Ferdinandum juniorem ejus fratrem Avo acceptissimum esse, timendumque, ne præponderante illius affectu Regnorum, quæ ipsius essent, successione frustraretur, discrimini igitur promptis obviandum esse mediis. His monitis permotus Flandriæ Senatus omnino expedire censebat, ut nulla mora celeber Adrianus Ultrajectinus Lovanienſis Decanus, ac adolescentis Principis Moderator in Hispaniam ablegaretur: Cum vero Ferdinandi aliunde

aliunde ſuſpicioſi Principis diffidentiam caute prævertere oporteret, pro hujus Legationis cauſſa obtendebantur nuptiæ inter Archiducem & Renatam de Francia Ludovici XII. Filiam conciliandæ: Secreto tamen inſtruebatur Legatus, ut ſedulo Hiſpanorum Procerum conſilia exploraret, ac de Regis valetudine nuncium mitteret, ipſe vero, ſi Regem mori contingeret, illico Regni poſſeſſionem adiret. Secul. XVI. A. C. 1515.

§. XCIV.

Lovanienſis Decanus in Hiſpaniæ aula.

Ergo Adrianus ineunte Menſe Decembri ad Ferdinandi Regiam delatus ſummis honoribus excipitur, cum vero rerum gerendarum dexteritate non polleret, Legationis ſuæ arcana haud diu diſſimulare poterat: Cognita igitur vera adventus ſui cauſſa, Rex illum Guadalupam ad ædes Monachorum S. Hieronymi ſecedere juſſit, quem aliquamdiu ibi moratum Ferdinandus ſollicitabat, quatenus Archiducem induceret, ut Cervium ſuum Gubernatorem dimitteret. Ad hoc ſuam operam pollicebatur Decanus, ſpe fretus, hanc unicam ſibi reſtare occaſionem, qua Carolum adoleſcentem Principem in Avi ſui gratiam reducere poſſet; ut ergo valeret ſucceſſus, *Anton. de Vera in vita Caroli p. 14. in 4.*

Sæcul. XV. A.C.1515.

ambo collatis consiliis adlaborabant, quin imo Rex Catholicus hac super re instrumentum confici postulabat, cui dudum quidem reluctabatur Decanus, tandem vero annuit, unde pactum utrinque firmatum est. Porro Chiverius consilia, quæ agitabantur, edoctus, Regemque Catholicum utpote hydropisi laborantem haud diu vita superstitem fore persuasus, Archiduci exposuit, quod omnes temporum moræ pretiosæ forent, ac prompta adhibenda remedia, ut hæreditatem, quæ ad ipsum spectaret, sibi certam rederet.

§. XCV.

Archidux Gallorum auxilium sibi certum reddere sollicitus.

Cum vero Archidux absque Gallorum ope hoc suum consilium ad exitum deducere desperaret, hanc in rem Henricum de Nassovia eo ablegavit, ac triplici mandato instruxit, primo enim proponeret Archiducis nuptias cum Renata de Francia, postea Navarræ restitutionem, ac denique subsidia, quæ petebantur, urgeret. Nullius ferme molis erat prospera hujus Legationis executio; quippe Franciscus Galliarum Rex dotis nomine sexies centena aureorum millia Renatæ pollicebatur, ratumque habebat,

bat, quod Ferdinandus regno ad dies vitæ potiretur, denique etiam Archiduci opem ferre ſpondebat: igitur fœdus utrinque firmatum eſt. Aſt Rex Catholicus re comperta teſtamentum condidit, quo Ferdinandum Nepotem ſuum Monarchiæ Caſtellanæ necnon Navarræ & Arragoniæ Regnorum, quæ eidem adjunctæ fuere, hæredem dixit, perinde acſi liberam de iis diſponendi facultatem habuiſſet, excluſo Carolo natu majori, quem Belgio ac maternæ Aviæ ſuæ ſucceſſione auctum aliunde ſat potentem eſſe affirmabat: Cum autem exequendis hiſce Ferdinandi conſiliis unice obſtaret Cervius, Rex nil intentatum reliquit, ut hunc ſubmoveret; aſt omnes ejus conatus in irritum cadebant, nequicquam adhibitis etiam Henrici VIII. Angliæ Regis ſollicitationibus, qui miſſo ad Archiducem Legato eundem, ut Cervium abire juberet, toto ſtudio urgebat. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

§. XCVI.

Muliercula quædam a Rege de valetudine ſua in conſilium adhibita.

Interea cum tam morbi vis, quam curarum inquietudo ac animi perturbationes indies creſcerent, Rex vix non cum morte luctabatur, nihilominus, cum potius *Petr. de Angl. l. 15. ep. 485.*

Secul. XVI. A.C. 1516.

tius æternæ salutis suæ negotiis minime deesse debuisset, de sanitate sua anxius ex quadam Hispana muliercula, quæ vulgo *Beata de Albucella* vocabatur, residuum vitæ suæ cursum explorari jussit. Hæc doctissimos etiam Viros decipere solita, ex Regis confidentia magnam sibi conciliari famam arbitrabatur, unde velut divino spiritu afflata eidem non modo longævos vitæ dies, sed & uberrimos victoriarum fructus præsagiebat. Ast Dei providentia ementita *Beatæ* vaticinia pudore suffudit.

Ferdinandus enim Madrigalegio, quæ domus erat prope castra Julia ad jucunditatem constructa, reversurus, tam vehementi morbi accessione opprimebatur, ut Medici eidem haud dubitanter exponerent, de ejus salute conclamatum esse.

§. XCVII.

Rescisso priori testamento Carolus hæres scriptus.

Ferdinandus accepto mortis nuncio testamenti tabulas, quarum nuper meminimus, rescidit; Laurentius enim Galiadez de Cervajalo Doctor, Zapata Licentiatus, Franciscus de Vargas ærarii Præfectus, omnes tres Regii Senatus præcipui viri prius, quod Rex condiderat, testamentum tam validis impugnabant argu-

argumentis, ut Ferdinandus eorum consiliis acquiescens, illius auctographum coram se comburi juberet: quamvis enim Ferdinandum Infantem in paucis carum haberet, affectus tamen teneritudinem superabat ampla Monarchiæ universalis spes, quam prior ipse concepit, ac primis testamenti sui tabulis omnino præpediri intellexit, quapropter Carolo Archiduci favere intentus, eundem Castellæ atque Arragoniæ, omniumque regnorum eidem aggregatorum hæredem scripsit; Ximenium vero Cardinalem, quamvis eidem semper infensus esset, Rege mortuo, ac quamdiu Joanna Regina ejus Filia, quæ vulgo *Demens* appellabatur, vita superstes esset, Castellæ rebus præfecit. Eriguntur ergo supremæ hujus voluntatis tabulæ, ac Ferdinando juniori omnis regnum affectandi opportunitas præscinditur, ea tamen lege, ut illi annua quinquaginta aureorum millia ex remotioris Provinciæ Regiis vectigalibus darentur. Equidem Rex eidem tres supremos Ordinum Magistratus relinquere meditabatur, obstabant tamen illius consiliarii, hos reditus nullatenus a Corona avellendos esse tanto verborum pondere exponentes, ut Rex eorum rationibus omnino cederet.

Sæcul. XVI. A. C. 1516.

Marian. l. 30 *n.* 134.

Sæcul. XVI.
A. C. 1516.

§. XCVIII.

Regis Catholici obitus.

Guicc. l. 12. Anton. de Vera in vit. Carol. V. p. 14. Marian. hist. Hisp. l. 30. n. 134.

His ita disposítis Rex humanis negotiis metam posuit: Adrianus vero Lovanienſis Decanus comperto Regis periculo quantocius aulam acceſſit, cum vero Rex illius adventum minus ſibi gratum haberet, eum Guadalupam ad Ferdinandum Principem nulla mora ſecedere juſſit. Decano abeunte, Ferdinandus præteritæ vitæ ſuæ noxas coram P. Thoma Matienſi Ordinis FF. Prædicatorum, quem a Confeſſionibus habebat, expiavit. Dein aucto diſcrimine Germana Regina celeri itinere Ilerda, ubi tum agebat, proficiſcitur, ac pridie quam teſtamentum nuncuparetur, mæſta ad conjugem ſuum accedit, qui proximo die Mercurii vigeſima tertia Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſexto prima poſt mediam noctem hora Sacro Ordinis S. Dominici habitu veſtitus placide animam efflavit. (*) Annum agebat ætatis ſuæ ſexageſimum tertium, regni Arragonenſis ab obitu Joannis II. Patris ſui trigeſimum ſeptimum, ac demum Caſtellani imperii a morte Henrici Iſabellæ

(*) In Regis hujus obitu Mariana hiſtoriæ ſuæ finem impoſuit.

bellæ conjugis ſuæ Fratris vigeſimum quartum; ex illa præter Filium, qui abſque prole deceſſerat, ac in venatione equo delapſus occubuit, reliquit quatuor Filias, quarum ſecundo genita nomine Joanna Philippo Auſtriæ Archiduci nupſerat. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

§. XCIX.

Ximenius Cardinalis Caſtellæ Rector.

Rege defuncto Hiſpaniæ Senatus confeſtim Ximenio Cardinali ſignificabat, ipſum a Ferdinando teſtamenti tabulis Caſtellæ Rectorem, quamdiu Archidux abſens eſſet, renunciatum fuiſſe; nulla ergo mora ad muneris ſui poſſeſſionem accurreret. Ea res Cardinalem eo magis admiratione ſuſpenſum tenuit, quo ad declinandam ejusmodi dignitatem ſolertius nullum non moverat lapidem. Nihilominus Guadalupam, ubi Senatus agebat, contendit, Reginæ viduæ ſua delaturus obſequia. *Anton. de Vera vit. Carol. V. p. 16. Gomeſ. in vit. Xim. l. 6.*

§. C.

Contentio Lovanienſis Decani cum Ximenio de Regni Procuratione.

Altera poſt adventum Ximenii die Lovanienſis Decanus itidem Guadalupam

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

pam ingreſſus eſt, comitantibus eum potiſſimam partem Caſtellæ Proceribus; his ergo præſentibus Regis Catholici teſtamentum promulgatur. Ximenius, ubi articulum de regni cura ſibi demandata percepit, hujus muneris poſſeſſionem adire parabat. Obſtitit tamen Decanus Lovanienſis, cauſſatus, ſe ab Archiduce Caſtellæ rebus præfectum eſſe, addiditque, quod Archidux totius Monarchiæ hæres fuiſſet ſcriptus, proin ad eum pertineret Adminiſtratorem nominare, donec ipſemet imperii ſui habenas moderari poſſet. Ximenius juri ſuo inſiſtens contendebat, quod Ferdinando Caſtellæ procuratio ea duntaxat lege credita fuiſſet, ut illam Archiduce vigeſimum ætatis ſuæ annum ingreſſo dimitteret, quo jam jure ſuo Ferdinandus defunctus eſſet, ita, ut Carolo Principi nullum jus in Caſtellæ Regnum fuiſſet, ſi ejus Avus vitæ ſuæ dies longius extraxiſſet, ex quo Ximenius inferebat, quod nec Procuratio Decano data articulo in teſtamenti tabulis expreſſo prævalere poſſet. Subjunxit demum, Iſabellam Reginam morti proximam teſtamento caviſſe, ut alienigenæ a Caſtellæ Regimine excluderentur. Decanus his rationibus expugnatus ceſſit, contentus, ſe adminiſtrationis conſortem nominari, nulla alia poteſtate ſibi relicta, quam ut cunctis

cunctis negotiis ad Ximenii sententiam decisis, ille simul cum Cardinale literis desuper confectis chirographum suum apponeret, quamvis ceteroquin diversa sentiret. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

§. CI.

Cardinalis Ximenii administratio.

Interea Archidux Bruxellis Cardinalem literis suis honorabat, atque procurationis diploma confici jubebat, quo eum tantis venerationis, ac fiduciæ testificationibus cumulabat, ut majoribus Principum nullus vasallos suos dignari posset, ipsumque omnium suarum ditionum usque ad adventus sui diem Rectorem declaravit, eidemque Lovanienſem Decanum Regiminis socium adjunxit. Quamprimum Ximenius muneris sui confirmationem acceperat, concessam sibi auctoritatem extollere unice intentus, adeo superbe sese efferebat, ut cuncti Proceres in publicas erumperent querelas, cedere tamen cogebantur, donec indignationem suam exercendi opportunam occasionem nancisçerentur. Compescuit primo Ximenius Petri Porto-Carero arrogantiam, qui sub obtentu diplomatis a Leone X. Papa impetrati Magistratum Ordinis S. Jacobi sibi conferri postulabat, cum tamen tria illa Magisteria Coronæ Castellanæ unita

Gomes. in vita Xim. l. 6. Vid. Ximenii vitam a Fleschier & Marsolier descriptam.

Sæcul. XVI A.C. 1516.

unita Archiduci jam antea ſucceſſionis jure conceſſa fuiſſent. Præterea ſupremi Conſilii Miniſtros, Aulicosque in officium redegit, & Proceres populum opprimentes omni legum ſeveritate plectendos ſtatuit.

Cum quadam die duos Ferdinandi Principis clientes, quorum fides ipſi ſuſpecta erat, de aula exire juſſiſſet, nonnulli hujus Principis Miniſtri petulantius ex Cardinale ſciſcitabantur; unde ipſi tanta eſſet auctoritatis amplitudo? Ipſe quamdam armatorum manum, quæ pro more excubias in ejus Palatio agebat, illis demonſtrans, *horum robore fultus*, inquit, *Regis mei juſſa exequendi poteſtatem exerceo.* His dictis funem Ordinis S. Franciſci manu ſua verſans ſubjunxit; *hoc ſolo ſuperbos Regis ſubditos in officium redigam.* Eodem tempore, decem aut duodecim belli tormenta, quæ a tergo Palatii ſui locata erant, explodi juſſit, his verbis reſponſum ſuum concludens, *Hæc eſt ultima ratio Regis*, quæ tamen agendi ratio, cum illam exequi æquitas diſſuaderet, minus ab eo enunciari debuiſſet (*).

§. CII.

(*) Cui perſpecta eſt Ximenii Sanctitas atque humilitas tot exemplis comprobata, ejusmodi fabulas mere ex invidia conflatas eſſe, facile cognoſcet.

Sæcul. XVI. A. C. 1516.

§. CII.

Ad temperandam ejus auctoritatem regiminis consortes ab Archiduce adjuncti.

Tandem ipsemet Archidux Ximenii Cardinalis auctoritatem plus æquo prævalere veritus, eidem quemdam Nobilem Flandrum, *La Chau* nomine, adjunxit. Hic inter Caroli Proceres tam auctoritate, quam rerum gerendarum dexteritate Adriano longe superior, perbenigne quidem recipiebatur, nihilo tamen minus mutata est negotiorum facies, quod adhuc Ximenius eadem omnino auctoritate rerum summam moderaretur. Tertius ergo illi aggregabatur Regiminis consors Amerstoffius, ex illustrissima Hollandiæ familia ortus, Vir constantis animi, audax, ac Ximenio Rectori obsistere paratus. Cardinalis hunc non minori benevolentiæ significatione ac Flandrum excepit, atque ambos velut administrationis suæ socios ad Senatum conduxit; ipse tamen pro summo imperio dominatum tenebat: quocirca Cheurienſis potestatem Ximenii arctioribus limitibus circumscribendi medium Archiduci suggessit, eidem suadens, ut vivente adhucdum Regina Matre sua, cum illa nec mente sana, nec regimini idonea

Sæcul. XVI A. C. 1516.

nea esset, Regium Castellæ & Arragoniæ nomen assumeret. Ast Consilium hoc erat periculis plenum, quippe Regni Status id unquam permissuros vix sperare poterat, ac ex tribus etiam Ordinibus nulli sua singularis deerat obluctandi ratio; verebantur enim Clerici, ne Carolus supremos Magistratus Ordinum S. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ ad statum profanum reduceret; Nobiles autem dolebant auctoritatem regnante Ferdinando amissam, ac omnem spem sub Joannæ Reginæ auspiciis eam recuperandi præcisam; denique pertimescebat populus, ne Archidux non modo nova vectigalia a suo Avo imposita haud tolleret, sed graviora etiam ad ampla, quæ agitaret, consilia feliciter exequenda imponeret. Ergo ad superanda tot obstacula de opportuno cogitandum erat remedio; nec aptius occurrebat, quam ut Cardinalis Ximenii gratia Archiduci conciliaretur.

§. CIII.

Archidux Castellæ & Arragoniæ Rex proclamari studiosus.

Raynald. hoc ann. n. 43.

Jamjam Carolus eo rem deduxerat, ut a summo Pontifice, ac Cæsare *Rex* salutaretur; Ambo enim, cum Archiducem de Regis Catholici obitu comiter solarentur,

rentur, regium eidem nomen attribue- Sæcul. XVI.
bant: Papa quidem eo consilio, ut Caro- A. C. 1516.
lus Gallorum progressibus in Italia repri-
mendis potior esset, Cæsar vero id egit,
ut domum suam honoribus atque fortu-
nis augeret.

§. CIV.

Archiducis epistola hac super re ad Ximenium Cardinalem.

Verum hanc in rem omnino necessa- *Gomes. in*
rium erat, ut Regii nominis susceptivita Ximen.
voluntas Hispanis quoque probaretur;
ingens autem hac in re adhibenda erat
dexteritas, ne forte exasperati repulsam
darent. Ergo Carolus hac super re Xi-
menio literas dedit, his verbis conceptas:
„ ad procurandam Castellani atque Ar-
„ ragonensis regni tranquilitatem, & e-
„ vertenda hostium suorum consilia, sum-
„ mus Pontifex, ac Maximilianus Impera-
„ tor omnino expedire censuerunt, ut pari
„ cum Matre mea auctoritate Regium
„ nomen assumerem, Regisque munus
„ obirem; mihi ergo haud amplius inte-
„ grum est, quin eorum votis obsequar;
„ curent ergo subditi mei, ne ipsi tanto-
„ rum Principum totius Europæ specta-
„ tissimorum auctoritatem vilipendere
„ videantur, si recusant eam mihi tri-
„ buere dignitatem, quam mihi non
„ modo

Sæcul. XVI A.C. 1516.

„ modo illi contulerunt, sed etiam, ut „ assumerem, impensius hortati sunt.„ Hanc epistolam Carolus Ximenio transmitti, ab eoque Regni Ordinibus communicari voluit, interea vero pro optato successu de necessariis providebatur mediis. Ximenius, quamvis hac via potestatem suam diminui prospiceret, nihilominus fiduciam, quam Archidux in ejus præsidio collocaverat, pari obsequendi studio demereri sollicitus, cum propriæ suæ auctoritatis neglectu ejusdem votis respondere satagebat (*).

§. CV.

Archiducis epistola in Regni comitiis perlecta.

Ergo Castellæ Ordines comitia agunt, ubi Archiducis epistola ad Ximenium data perlegitur, in qua præter petitionem mox relatam insuper exprimebatur, quod Archidux animi sui propositum Castellanis exposuisset, non quidem ob consensus præstandi necessitatem, sed ex fiducia, quod illi ipsius agendi rationem omnino probaturi, Regique suo plenam subjectionem professuri forent. Hujus epistolæ

(*) Si Ximenius adeo superbus fuisset, ut eum depinxit Continuator, certe non tam facile cessisset.

epistolæ Lectionem excipiebat brevis oratio Ximenii, adeo tamen perplexa, ut ægre, quid sentiret, percipi potuerit. Finito Cardinalis sermone Carvajalus inter Ordinum consiliarios senio spectatissimus verba fecit, ac prolixe admodum in Archiducis laudem præprimis excurrit, tandem vero ita concluſit. *Necessitas Regni, & Reginæ imbecillitas Regem expostulant. Si Hispaniarum administrationi Regina Joanna impar, quomodo Carolum ab ea dirigi volumus, ejusque obsequi imperio, quæ mentis suæ compos haud est? Forsan quid insolens, diversumque a Majorum consuetudine Carolus exigit? Hoc jam olim egit Regina Voraca cum Alphonso VII. Raimundi Filio, quæ cum illo Castellæ, Legionisque regnis pari jure imperabat.* Nihilominus summus Militiæ Castellanæ Præfectus, & Albæ Dux in diversa abeuntes obtendebant, quod fidem suam Joannæ Reginæ obstrinxissent, nec eam violare possent, nec quamdiu viverent, alium Regem venerari vellent. Aliud iniit consilium Villenæ Marchio; affirmabat enim, quod Archiduci consilium dare non adstringerentur, eoquod illud hucusque ab eis non postulasset, interea vero tacendum esse ajebat. Secul. XVI. A.C. 1516.

§. CVI.

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

§. CVI.

Archidux a Ximenio Caſtellæ Rex proclamari juſſus.

Gomeſ. ib. Ximenius, cum plurimorum ſuffragia Archiduci adverſari intelligeret, interrupto Senatu hæc dixit: non ad conſulendum, ſed ad parendum rei jam deciſæ evocati eſtis: aut ergo ſuſceptum Archiducis conſilium omnino probandum, aut Regium nomen eidem aufferendum, atque omnino declarandum erit, quod Archidux etiam pro illo temporis articulo, quo ad eum ſolum regnorum poſſeſſio devoluta eſt, Hiſpano Regimini ineptus ſit; non enim Carolo regium nomen denegari poteſt, quin Hiſpanorum honor totius Europæ ludibrio exponatur, nec etiam tanta contumelia affectus in Regem foret acceptandus, quin merito juſtæ indignationis ſuæ furor ſubditis timendus eſſet. His verbis imperterrita voce prolatis, Ximenius ſententias rogandi ſpacium haud ultra indulſit, ſed Petro Correo, quem Madritenſi Prætura auxerat, juſſa præſtolanti negotium dedit, ut Joannam Reginam, & Carolum ejus Filium pari jure Caſtellæ Reges eſſe in urbe nunciaret: quo facto, mox clangentibus tubis, ac præconis voce Carolus Rex proclamatus eſt. Reliquæ

quæ etiam urbes, accepto Regio diplomate, ceterarum exemplum prompto obsequio sequebantur. Ordines quoque, qui necdum sua ferebant suffragia, Ximenii sententiæ accesserunt, ejusque jussa omnino rata habuerunt. Sæcul. XVI. A. C. 1516.

§. CVII.

Arragonensium Ordines Archiduci Regium nomen denegantes.

Soli Arragonensium Ordines, quibus Ferdinandus Alphonsum Cæsaraugustanum Archiepiscopum cum summa Gubernatoris potestate dederat, regias hasce literas haud quaquam acceptarunt, atque Archiducem pro Rege agnoscere recusarunt, donec Joanna Regina ejus Mater vita excessisset.

§. CVIII.

Cæsar Mediolani Ducatum occupare aggressus.

Hæc dum in Hispania gerebantur, Maximilianus Imperator Francisci I. discessum, atque absentiam a Mediolanensi Statu in rem suam vertere cogitabat. Acceperat is a Ferdinando Rege Catholico ante ejus mortem centum & viginti nummum aureorum millia, vicissim pollicitus, se primo Vere in Mediolanensium *Bemb. l. 11. ep. 28. Guicc. l. 12. Raynald. 1516. n. 75. 97*

Sæcul.XVI. A.C.1516. Ducatum cum quinquaginta armatorum millibus moturum. Equidem occasione ex Ferdinandi obitu prehensa Italiæ expeditionem recusare, ac nihilominus transmissas sibi pecunias retinere potuisset, (*) cum enim Franciscus Rex Mediolanum occuparet, suasque vires Venetis jungeret, in Venetorum Statu armis parta tuendi exigua admodum spes Cæsari affulgebat, qui aliunde nullum sibi repositum habebat præsidium in summi Pontificis auxilio, utpote qui non ita pridem cum Gallis fœdus pepigerat, præterea cum Hispanorum exercitus Neapolin seceſſiſſet, haud adeo expeditus foret illius reditus; Status enim Ecclesiastici ditiones omnino pertransire deberet. Altera ex parte Ferdinandi obitu, mutataque rerum facie Maximiliani spes penitus præcisæ erant; novus enim Castellæ Rex adeo non Gallis arma inferre meditabatur, ut potius solidæ cum Francia pacis beneficio, in Hispania solium suum firmandi spacium nanciſci unice

(*) Reflexio Viro Catholico, qualem se Continuator profitetur, parum consona, multo magis vero Cæsareæ Majestatis honori prorsus indigna! ita nempe livoris filia est effrænis magna despiciendi libertas, abjectorum vero animorum mos est, etiam abjecta de Principibus, quibus non favent, sentire.

nice intentus esset. Quapropter Cæsar præter morem hoc anno solus belli molem sustinere compellebatur, spe fretus, rebus in Italia a se turbatis, ceteros brevi Principes armorum suorum societatem expetituros. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

§. CIX.

Cæsar cum exercitu suo in Italia.

Ergo famam sibi conciliaturus, Gallis bellum nunciavit, atque ex quinque illis Pagis, qui fœdus cum Francia inire recusabant, quindecim Helvetiorum millia conduxit, adjunctis totidem Germanis, ac peditum quinque millibus. His copiis auctus numerosum contraxit exercitum, tantaque celeritate, ac silentio Tridentinas alpes superavit, ut nonnisi accepta de ejus in Longobardiam adventu notitia, illius iter innotuerit. Eo tempore Venetos Veronæ ac Brixiæ obsidio distentos tenebat; cumque Cæsari nunciatum esset, utriusque urbis præsidiarios ære militari non soluto seditionem moliri, quantocius eo pecunias cum trium millium præsidio transmisit; Lautrecus vero, qui Gallis, Venetisque copiis imperabat, missas a Cæsare pecunias edoctus, confestim in eas involabat, ac prope Anfonam octingentis Germanorum *Petr. Justin. l. 11.*

 rum

Sæcul. XVI. A. C. 1516.

rum trucidatis ceteros in fugam egit: Maximilianus comperto ſuorum fato iter accelerandum ratus, jam Menſe Martio Veronam pervenit. Veneti ejus adventu obſtupefacti toto pedum ſtudio fugam arripiunt: Cæſarei vero trajecto Ollio Cremonæ caſtra metantur, ac Veronenſibus præſidiariis per Mincium flumen advectis auƈti, nullo ferme obnitente Mediolanum propius accedunt. Attamen diuturnior, quam Cæſar in Aſulanæ urbis expugnatione traxerat, mora Venetis ſe colligendi ſpacium indulſit, qui interea cunƈtis ſollicite providebant, ut ſeſe illis decem Helvetiorum millibus jungerent, quos Baro de Alt-ſaffia ad Gallorum vexilla in octo Pagis, qui fœderi acceſſerant, conſcripſit.

§. CX.

Papa contra pacta cum Gallis inita Cæſari favere creditus.

Spond. ann. 1516. *n.* 4.

Ceterum exiſtimant nonnulli, ſummum Pontificem proſpero Cæſaris ſucceſſu deluſum cenſuiſſe, quod inita cum Gallis fœdera reſcindere, ſibi integrum foret; Marcum enim Antonium Columnam cum ducentis cataphraƈtis Maximiliano ſuppetias miſit, aç Bibienam Cardinalem ſelegit, qui velut Legatus Cæſaream ſuam Majeſtatem adiret. Nihilominus tamen,

tamen, cum in pactis cum Francia firmatis quingentos lancearios, ac pro tuendo Mediolanensi Ducatu, si invaderetur, tria Helvetiorum millia alere promisisset, hujus articuli ab Antonio Maria Palavicino, quem Borbonii Dux ablegaverat, admonitus, non modo illius executionem quantocius spopondit, sed etiam eidem Duci militum loco certam pecuniarum summam, qua egebat, suppedidaturum sese obtulit. Id quidem obsequii genus Palavicinus acceptavit; Papa vero neutrum effectui dedit. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

§. CXI.

Abdua superata Mediolanum a Cæsare obsessum.

Interea Trivultius cognito Cæsaris adventu Cremonensi urbi trecentos Lancearios, ac peditum tria millia imposuit, Abduamque trajecit, ut adventantes Helvetios octo millibus haud pauciores præstolaretur, ac demum Imperatori cum exercitu suo transitum intercluderet. Secundus Trivultio successus arrisit; quippe Maximilianus prope Picelonem, cum primo hoc flumen superare tentaret, repulsus est, ac ultra progressus ad lævam fluvii oram, perinde ac si Cassiani trajicere vellet, prospero conatu milites suos transportare aggrediebatur, sed denuo *Guicc. lib. 12.*

Sæcul. XVI A.C. 1516.

transitus illi intercludebatur. Tandem vero moliminis pertinaciam fortuna ita superavit, ut Cæsar in loco a castris paulo remotiori amnem ponte jungeret, ac justo numero pedites trajiceret, quibus primam aciem adversus Franciæ exercitum tueretur. Verum Galli nec Mediolanum sese recipere, nec Germanos, ut Abduam iterum transmitterent, compellere solliciti erant; quapropter Maximilianus Fecialem Mediolanum misit, qui mox urbis claves deferri postularet, ac civibus, ni prompta submissione jussa exequerentur, extrema quæque minitaretur. Hæ Cæsaris minæ tanto terrore cives obruebant, ut illos Borbonii Dux hujus Metropolis Præfectus ægre admodum in officio contineret, unde protinus Trivulcium & Lautrecum accurrere jussit, qui etiam cum sexcentis Lanceariis, ac circiter septem peditum millibus præsto aderant; nihilominus quo propius Maximilianus Mediolano accesserat, eo magis tumultus, terroresque augebantur, ac primum cives aliquantulum metu liberabantur, ubi Baro de Alt-Sassia Helvetios adduxerat.

§. CXII.

Helvetii contra Nationis suæ viros arma sumere recusantes.

Interim Helvetiorum adventus utrumque exer-

exercitum pari timore replebat : Galli quidem paulo ante tam certi auxilii fiducia elati, jam lingua & aqua hærebant, poſtquam cernebant, quod Helvetii, ut adverſus populares ſuos in Cæſaris exercitu ſtipendia merentes arma caperent, nullo pacto induci poſſent : Germani vero pertimeſcebant, ne Helvetii ideo tam inſolita audacia æs militare ſibi a Maximiliano numerari poſtularent, ut hoc obtentu freti contra nationis ſuæ Viros recens Mediolanum adventantes bellum gerere haud cogerentur. Nec inanis erat Germanorum metus : Helvetiorum enim Tribunus ſummo mane Maximilianum adhucdum in Lecto jacentem adoritur, ac pecunias verbis adeo indignis poſtulat, ut Cæſar juſtæ indignationi imperandi impotens, petulantiam eidem acrius exprobraret, Tribunus vero adeo non culpam ſuam deprecaretur, ut audacius etiam reponeret, Helvetios florenis, non caſtigatione indigere, ni ergo quantocius illis debita ſolverentur ſtipendia, ſe ea, quæ Borbonii Dux obtuliſſet, merituros. Cæſar pecuniis tum deſtitutus, Helvetiorum vero fidem largiori Gallorum auro corrumpi veritus, ſeria mente infauſtum Ludovici Sfortiæ, qui conjugis ſuæ Patruus erat, fatum perpendit; hunc enim in ſimili ferme eventu prope Novarram ab Helvetiis per ſummam

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

Sæc. XVI. A.C 1516.

perfidiam Gallis traditum fuisse noverat. Ergo Tribunum placare sategit, quem tamen, ubi lenitate Cæsaris asperiorem fieri cerneret, ad castra reverti jussit, pollicitus, se illuc pomeridiano tempore cum Sedunensi Cardinale iturum, qui etiam suo in Gallos odio constanter inhærens tam opportunam eisdem nocendi occasionem prehendere haud neglexit.

§. CXIII.

Cæsar metu territus motis castris secedens.

Cum vero Helvetiorum Belliduces catervatim confluerent, Cæsar inde in se conspirationem conflari suspicatus, fuga sibi consulere statuit. Ergo ad Germanorum stationem primo se recepit, nec tamen ibi securitati suæ sat cautum ratus, obsidionem solvere jussit, suumque exercitum ad oram Abduæ conduxit, atque cum Germanorum copiis amne ocius superato in Bergamensi ditione castra metatus est, nec metu liber, donec Tridentum perveniisset. Eodem die Helvetii ad Cæsaris exemplum motis castris primo Laudam, demum ad oppidum S. Angeli, quod deprædati sunt, recesserunt, paulo post per Vallim Tellinam in patriam reversi. Exercitus vero aliquamdiu unum adhuc agmen efficiebat,

bat, brevi tamen omnes milites, cum ocioſi ac ſine ſtipendiis exacte numeratis perſiſterent, dilabebantur: Germani vero penitus a ſignis diſcedebant, nonnullis Veronam ſeſe recipientibus, aliis plusquam tribus millibus Gallorum vexilla ſequentibus. Saecul. XVI. A. C. 1516.

§. CXIV.

Urbinatis Dux ſua ditione a Papa dejectus.

Eodem tempore Papa, cum violati fœderis injuriam minime a Gallis vindicari cerneret, infra viginti duorum dierum intervallum Urbinatis Ducem Principatu ſuo deturbavit, Borbonio vero Conneſtabili, ne eundem imperio reddere poſſet, in Mediolanenſi ſtatu negotium faceſſere ſtuduit, in ſuas partes Moronum Cancellarium pertrahens, qui patriam ſuam exterorum imperio ſubjici ægerrime ferebat. Hic juncta Columnenſium, ac Mediolanenſium exulum opera conſpirationem conflavit, quæ tamen jam proxime effectui danda a quodam Conneſtabilis exploratore detecta fuit. Borbonius, qui Papam hujus rei conſcium fuiſſe compererat, ſuam indignationem in Romanam Curiam effundendi licentia, ut ſibi concederetur, Regem exoravit: Ille autem repoſuit, ſummum Pontificem

Cimarelli hiſt. d'urbin. Guicc. l. 12. Memoires du Bellay l. 2.

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

clementia ac lenitate ad Gallorum ſtudia eſſe revocandum, nullatenus vero funeſta malorum acerbitate exaſperandum.

§. CXV.

Conneſtabilis Mediolani Præfectura ſe abdicat.

Conneſtabilis accepto Regis reſponſo, quantocius Rege præſente Mediolanenſem Præfectura ſe abdicavit, probe conſcius, Gallos brevi Romanæ Curiæ miniſterio hoc Ducatu ſpoliandos. Igitur Lautrecus callidis artibus, quæ in præſenti tamen rerum viciſſitudine prorſus importunæ erant, uſus, Mediolani Gubernator a Rege renunciatus eſt: Romæ autem Laurentius Medicæus ſolemni ritu Urbinatis Ducatus inſignibus a Papa ornabatur, Ruvereo Duce inde deturbato, ac Mantuam auffugiente.

§. CXVI.

Joannis Albreti molimina ad recuperandum Navarræ Regnum.

Gomeſ. in vita Xim. l. 6.

Brevi Navarrenſes Caſtellanorum dominatum pertæſi erant, atque ipſi Beamontii, qui Joannem Albretum paulo ante expulerant, jam primi eundem revocabant, illumque de conſiliis, quæ ad illum regno reſtituendum ſuſcepiſſent, edo-

edocebant; præprimis Conneſtabilis Filius Albreto nunciabat, viginti armatorum millium exercitum in ejus opem præſto eſſe, præter illas copias, quas ipſe Joannes annuente Franciſco Rege apud Vaſcones conduxiſſet. Attamen bellici hujus apparatus fama haud diu Ferdinandum Arragonium Neapolis Proregem latebat, qui protinus totam rei ſeriem Ximenio perſcripſit. Cardinalis veteranæ militiæ exercitum contraxit, ejusque imperium Ferdinando Villalvæ detulit, dato eidem negotio, ut Beamontiorum factionem diſſiparet, obſeſſisque Roncevallæ viis Joannem Albretum aditu prohiberet, indeque redux cunctas munitiores Navarræ urbes ſolo æquaret, excepta Pampellone, ubi arcem conſtitueret, cujus præſidio Navarrenſes in officio continerentur. Sæcul. XVI. A.C. 1516. *Roncevaux.*

§. CXVII.

Joannes profligato ejus exercitu vita functus.

Hæc Ximenii mandata Albreti, primique agminis Ducum notitiam penitus fugiebant; quinimo media etiam acies montium anguſtias a Villalva jamjam occupatas omnino ignorabat; unde totus exercitus incauto pede procedens in inſidias ſibi ſtructas incidit, atque a laten- *Gomes in vita Xim. l. 6.*

Sæcul. XVI A.C. 1516.

latentibus Hiſpanis communi clade deletus eſt. Siniſtro hoc fato Navarræ Rex, cujus ultima acies arcem S. Joannis Pedeportuenſis cingebat, tanto terrore replebatur, ut, licet oppidum jamjam expugnaſſet, arcis tamen obſidionem ſolvere compulſus ad Bearniæ Principatum fugere feſtinaret. Hoc facto Villalva Ximenii juſſis obtemperaturus, confeſtim quarumdam urbium mœnia everti præcepit. Joannes vero Albretus adverſantis fortunæ injuriam ferendo impar, paulo poſt fatis ceſſit, ac ſeptimo poſt ejus obitum menſe illius Conjux vivis erepta fuit, relicto Henrico quatuordecim annorum filio regni Hœrede. Mors quoque gloriam ob Navarricam coronam Hiſpanis ſervatam Belliduci Villalvæ invidebat; ipſe enim exiguo poſt tempore a convivio, quo eum Navarræ Conneſtabilis Lerini in ſuo caſtro exceperat, recedens, repentina morte ereptus eſt, propinati veneni rumore in vulgus ſparſo.

§. CXVIII.

Rex Hiſpaniæ de Joannis Albreti expeditione apud Galliarum Regem conqueſtus.

Hæc Joannis Albreti molimina permoleſte ferebat Carolus Hiſpaniarum Rex, cumque Franciſcum I. conſilii partici-

ticipem crederet, Philippum Clivium de Raveſteinio in Franciam ablegabat, qui de injuria Regi ſuo illata quereretur, ac priſtinam, qua hucusque Gallos proſecutus eſſet, amicitiam conſervari poſtularet. Eidem quoque Philippo datum eſt negotium, ut belli ſocietatem proponeret, hancque in rem de congreſſu Novioduni celebrando ageret. Sæcul. XVI. A.C.1516.

§. CXIX.

Colloquium Novioduni inter Gouffierum, & Cheurienſem habitum.

Toto capite annuit Galliæ Rex, primumque ſui Conſilii Miniſtrum Gouffierum Boiſium eo decrevit, ut cum Cheurienſi Toparcha, qui novi Regis Hiſpani apud Gallos Legatus erat, conferret. Colloquio datum eſt initium prima Auguſti die, ac mutuæ conſultationes uſque ad decimam tertiam ejusdem menſis protrahebantur. In illis Gouffierus immoto ſtudio urgebat, ut non modo Navarra, ſed etiam ea Neapolitani Regni portio, quæ Ludovicum XII. contigerat, reſtitueretur; eoquod id pactis cum Naſſovienſi Comite ſancitis Carolus mox poſt Ferdinandi obitum pollicitus eſſet. Ad hæc Cheurienſis hunc in modum reſpondit: nullo prorſus documento conſtat, quod Navarræ reſtitutio ab Hiſpanis rata fuerit *Mem. du Bellai. Belleforidu Tillet. Belcar. Paul. Jov.*

Sæcul. XVI. A. C. 1516.

rit habita; satis enim illis perspectum est, quod Galli hoc regno velut muro inexpugnabili ab incursione in interiora Hispaniæ arceri possint, minus vero Hispaniæ Rex Neapolis restitutioni consensit: ea enim amissa discrimini exposita foret Sicilia, cum tamen ex hoc regno frumentum esset advehendum; frequenter enim in Hispania adversus annus frugibus est; quapropter rem esse differendam censebat, donec Carolus accepta Castellæ & Arragoniæ possessione pro summo Imperio, atque arbitrio negotium decideret.

§. CXX.

Pacta inter Galliæ & Hispaniæ Reges.

Ferron. in Lud. XII.

His rationibus sat speciosis cessit Goufierus, ut vero Francisci I. spem firmaret, quin tamen Caroli auctoritatem in discrimen adduceret, fœdus fieri procuravit, quo sancitum, ut I. Pax & fœdus inter Franciæ & Hispaniæ Reges ad mutuam defensionem servaretur. II. Gallus Carolo Hispano Ludovicam Regis Christianissimi nonnisi unius anni Filiam in uxorem daret, adjecta dotis nomine ea Neapolitani Regni parte, quæ ex divisione Anno Christi millesimo quingentesimo primo facta Ludovico Regi cesserat. III. Carolus pro hac Principe, quæ in

in aula Franciæ apud Reginam Matrem suam usque ad decimum ætatis annum educaretur, quovis trimestri viginti quinque aureorum millia penderet. IV. Si vero nuptiis nondum completis eam mori contingeret, ex illius sororibus, si quæ adesset, aliquam Carolus sibi desponsaret, nulla autem superstite Renatam de Francia uxoris, quam Franciscus I. duxerat, sororem sub iisdem pactis conjugio sibi copularet; si autem harum nuptiarum nullæ effectum sortirentur, Neapolitani Regni portio Gallicæ Monarchiæ denuo uniretur. V. Præterea Navarræ Regnum Henrico Joannis Albreti Filio infra semestre restitueretur, si tamen hæ temporis angustiæ Carolo haud permitterent, ut intra hoc tempus Castellæ Ordines ad hanc restitutionem inclinare posset, tunc absque violati fœderis nota arma pro Navarræ Rege sumere Francisco liceret. His sequens adhuc addebatur articulus, vi cujus cautum, ut Rex, si Cæsar Veronam intra bimestre Venetis reddere vellet, illi pro sumptuum compensatione centum Ducalium nummum millia persolveret: eo autem renuente, Carolus rem ferro decernendi libertatem Imperatori relinquereret. Varillasius alias fœderis tabulas recenset iisdem quidem conditionibus conceptas, inter ambos tamen Reges conventum fuisse narrat, ut Navarræ

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

Varill. hist. Franc. I. t. 1. p. 123. P. Daniel. hist. de Franc. t. 5. p. 422. & tom. 7. ult. edit. p. 388.

Sæcul. XVI. A C. 1516.

varræ ac Neapolitanæ portionis reſtitutio Arbitrorum judicio relinqueretur. Verum hoc fœdus commentitium eſſe cenſemus.

Ceterum Carolum, cum hæ conditiones admodum duræ eſſent, potius calamo quam animo huic fœderi acceſſiſſe, brevi eventus docuit. Nihilominus in utroque Regno hæc pacta ſolemni pompa, atque haud vulgaribus lætitiæ ſignificationibus promulgabantur, quin imo, ut major adhuc fœderi firmitas accederet, ejusque violationi obviaretur, ambo Reges viciſſim ſeſe Ordinum ſuorum inſignibus velut immotæ fidei teſſera honorabant, & quidem Franciſcus Carolo equeſtre ſignum S. Michaelis a Ludovico XI. erectum, Rex vero Hiſpaniæ Galliarum Regi aurei velleris Ordinem donavit, quem Philippus *Bonus* Burgundiæ Dux ex linea materna Caroli tritavus inſtituerat.

§. CXXI.

Negotii de concordatis exitus.

Pinſſon hiſt. pragm & Concord. p. 727 Hiſt. de la Prag. & du Concord. par Dupui. Paris. 652.

Jam ſupra meminimus, Galliarum Regem in Bononienſi congreſſu ſummo Pontifici ſupplicaſſe, ut Pragmaticam Sanctionem confirmaret. Verum Leone X. hanc propoſitionem reiiciente, Pratus Cancellarius pactorum, quæ *Concordata* vocant,

vocant, formulam exhibuit, qua Pragmatica penitus aboleretur. Ipsus huic operi manum admovit, duorum Cardinalium, quos Papa hanc in rem nominabat, opera adjutus: priusquam vero hæc pacta Lateranensi Concilio confirmanda traderentur, Franciscus I. Rogerium Brame in Parisiensi Parlamento Regis Advocatum Romam decrevit, dato negotio, ut causſam hanc operose prosequeretur, Bullasque rei congruas a Pontifice impetraret. Rogerius Regis jussa sollicite exequitur, eidemque significat, quod a Papa ejusque Senatu decretum esset, quosdam Bononiensis pacti articulos nonnullis terminis circumscribendos; Rex quidem disertis verbis Rogerio rescripsit, quod articulis Bononiæ conventis exacte insisteret, illo tamen Papam flectere haud valente Franciscus cedere compellebatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

Comment. sur les libertez de l'Eclise Gall. par Pithou.

§. CXXII.

Congregatio Generalis ante Sessionem XI. Concilii Lateranensis.

Die decima quinta Decembris habita est in Palatio Apostolico Congregatio generalis, in qua decreta in undecima Sessione Lateranensis Concilii proxime proponenda discutiebantur. Omnibus Congregatis quidam, quem Synodus a

Labbe Collect. Conc. t. 14. p. 280.

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

secretis habebat, sacri Collegii jussu literas perlegit, quæ concordata Galliarum Regis cum summo Pontifice complectebantur. His unicus duntaxat Episcopus obluctabatur, causſatus, quod Laicis contra Ecclesiasticos jurisdictio tribueretur. Post hæc alius diploma recitabat, quo Sanctio Pragmatica abrogabatur, idque communi omnium suffragio approbatum fuit. Denique alia perlegebantur decreta de verbi divini Præconibus, Religiosorum privilegiis, aliisque causſis, quæ quarto post undecimam Sessionem die examinandæ essent. Porro Romanæ Curiæ constantia, ac Francisci Regis imbecillitas haud parum Parisiensem Senatum turbabat, necdum tamen penitus opprimebat; Leporius enim Generalis Advocatus, quo nemo alius Gallicanas libertates magis cordi habebat, in primis Parlamenti auspiciis hoc anno millesimo quingentesimo decimo sexto palam profitebatur, quod a sententia, ac decreto abrogationis, revocationis & abolitionis Pragmaticæ Sanctionis provocaret; verum hac sua appellatione nil amplius effecit, quam ut Romanam Curiam apud Gallos in invidiam adduceret (*), infirmo prorsus successu; quippe

(*) *Mariana Lib.* 30. *hanc in rem ita loquitur:*

quippe Pontifex cæptum opus ſtrenue proſequi, propterea minime ceſſabat. Sæcul. XVI. A.C.1516.

§. CXXIII.

Seſſio XI. Lateranenſis Concilii.

Ergo die decima nona Decembris, præſide ipſo ſummo Pontifice undecima celebratur Seſſio. Ubi re divina per Archiepiſcopum Dyrrachinum peracta, ſacrum Evangelium ex capite decimo quarto S. Matthæi Marcus Cardinalis tit. S. Mariæ in via lata decantabat, ac precibus de more perſolutis, Oratores, quos Petrus Maronitarum Montis Libani Patriarcha Romam ad Synodum decreverat, admittebantur, nomine ſui Patriarchæ ſummo Pontifici filiale obſequium profeſſuri. Horum literæ alta voce per Andream Synodi Secretarium recitatæ, fidei ſuæ formulam exhibebant, qua profitebantur, quod *Spiritus a Patre procedat & Filio ſicut ab unico principio, & unica Spiratione; quod Chriſtianus, qui in hac vita ſufficientem pœnitentiam non egit, ducatur in locum, qui purgatorium dicitur,* *Ibid. p. 283. & 286. Paris tom. IV. Man. archiv. Vatican.*

quitur: Rex dedit, ut Pragmatica ſanctio abrogaretur, ſacrati in Gallia ordinis magno gemitu. Gentis voces liberæ fuerunt, & plenæ expoſtulationum, nihil amplius. Sic ſolet populus ſine capite.

Sæcul. XVI A.C. 1516.

quod semel saltem in anno proprio Sacerdoti peccata confiteri, sanctissimumque Eucharistiæ Sacramentum in Paschate suscipere oportet. In eadem Epistola, quæ ex Chaldæo idiomate in latinum vertebatur, Patriarcha ita Papam alloquitur: *Cogimur in divinas laudes erumpere Deoque gratias agere, qui Sanctitatem suam pulsare dignatus est, ut nos per sanctum Nuncium suum Joannem Franciscum Ord. S. Francisci visitaret. Is enim viam salutis nobis ostendit, & sancta documenta reliquit*, ac nonnulla Ecclesiæ Romanæ præcepta, ac ritus edocuit, quos hucusque observare negleximus. Hunc quoque Religiosum officio suo digne ac strenue defunctum testatur, ac prosequitur: *Ut affectui nostro ac voto utcunque satisfaciamus, cum præfato Joanne Francisco Oratores nostros ad Sanctitatem vestram decrevimus, ut nostro, ac totius Cleri, Maronitarumque populi nomine, terram fronte tangentes, flexisque genibus Sanctitati vestræ obedientiam præstent, & fidelitatem jurent, simulque ennarrent, quomodo sub Infidelium detestanda servitute omni auxilio orbati infelicissimam vitam ducamus.* Data est hæc Epistola die decima quarta Februarii ex Monasterio Camibin in Monte Libano.

§. CXXIV.

§. CXXIV.

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

Bulla de Concionatoribus.

Post hæc perlecta est Pontificis Bulla ab ipso Concilio approbata, qua verbi divini Præconibus pro munere suo rite exequendo quædam documenta præscribuntur. *Mentem certe nostram*, inquit Pontifex, *mirum in modum commovit, dum nobiscum ipsi mente volvimus, quod plures officii immemores sui, in suis sermonibus non ad utilitatem audientium, sed ad suam potius ostentationem laborantes, vanis quorumdam auribus blandiuntur, in prædicationibus non viam amplius Domini docentes, non Evangelium, ut deberent, explanantes, sed conficta miracula, nova ac falsa vaticinia, aliaque magnum scandalum parientia nulla devotionis, & auctoritatis ratione vastis clamoribus imprimere, ac suadere ubique conantur, & nec pontificali quidem dignitate fulgentibus, aliisque Ecclesiæ Prælatis parcentes, in eorum Personas, ac statum audaciter ac temerarie invehi consuescunt. Igitur*, prosequitur Papa, *statuimus, & ordinamus, ut nullus Clericus tam sæcularis, quam Regularis aut quivis alius, ad quem facultas prædicandi tam de jure, quam privilegio, aut alias pertinet, ad hujusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius diligenter per superiorem suum examinatus, ac morum* *Collect. Conc. ib. p. 288. & seq.*

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplaritate ad illud aptus & idoneus reperiatur, & hic quicunque postea prædicaturus accesserit, de hujusmodi examine, & idoneitate sua per literas authenticas seu alias sui examinatoris locorum Ordinariis fidem legitime faciat. Mandantes insuper omnibus, qui hoc munus in futurum sustinebunt, ut Evangelicam veritatem, & sanctam Scripturam juxta interpretationem S. Patrum, & Doctorum, quos Ecclesia, vel usus diuturnus approbavit, prædicent, & explanent, nec quicquam dissonum adjiciant, sed semper insistant, quæ ab ipsius sacræ Scripturæ verbis sane intellectis non discordant; ac denique Evangelium ex divinæ vocis præcepto omni creaturæ cum vitiorum detestatione, & virtutum commendatione declarent, & pacem ac dilectionem mutuam ubique foventes non scindant vestem inconsutilem Christi. Denique Constitutionem Clementis Papæ V. quæ incipit: Religiosi, *quam tenore præsentium approbamus, inviolabiliter ab eis observari præcipimus.* Hæc Constitutio ab omnibus unanimi voce comprobata est.

§. CXXV.

Bulla Leonis X. de abrogatione Sanctionis Pragmaticæ.

Collect. Conc. Labb. t. 14. p. 309. & seq.

Perlecto hoc Decreto recitabantur *concordata* Bononiæ inter Papam & Gallia-

liarum Regem inita, unacum Bullis, quibus ea approbantur, & Sanctio Pragmatica aboletur. Postremæ hujus Constitutionis summam percipiamus. Saecul. XVI. A. C. 1516.

Pastor æternus gregem suum usque ad consummationem sæculi nunquam deserturus, ita, Apostolo teste, obedientiam dilexit, ut pro expiando primi Parentis inobedientiæ peccato seipsum humiliaverit, factus obediens usque ad mortem: migraturus vero ex hoc mundo ad Patrem, in soliditate Petræ Petrum, ejusque Successores Vicarios suos instituit, quibus ita obedire necesse est, ut qui non obedierit, morte moriatur. Postmodum Papa nonnullis S. Augustini & Gregorii testimoniis de necessitate obediendi allatis prosequitur: *Itaque nos eodem Petro docente, solliciti esse debemus, ut quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, præsertim in sacris Conciliis pro obedientiæ hujusmodi, auctoritatis, libertatisque Ecclesiasticæ, & Sedis Apostolicæ defensione ex legitimis caussis inchoata sunt, ad optatum finem perducantur: simplicium quoque animæ, quarum etiam Deo rationem reddituri sumus, a dolis, & laqueis tenebrarum Principis liberentur. Sane felicis recordationis Julius Papa II. Prædecessor noster post indictum ex legitimis caussis, de S. R. Ecclesiæ Cardinalium fratrum nostrorum, de quorum numero tunc eramus, consilio &*

Sæcul. XVI. A. C. 1516.

assensu, Sacrum Lateranense Concilium, provide considerans cum eodem sacro Concilio Bituricensem Regni Franciæ corruptelam, quam illi Pragmaticam Sanctionem vocant, cum maximo animarum periculo, & scandalo, ac dignitatis Sedis Apostolicæ detrimento, & vilipendio, retroactis temporibus viguisse, & adhuc vigere, EODEM APPROBANTE CONCILIO, discutiendum certis tunc nominatis Cardinalibus & Prælatis certæ Congregationis commisit. Et quamquam sanctio præfata ex multis nullitati notorie subjaceret, schismaque manifestum foveret, & contineret, & propterea citatione aliqua minime præcedente, per se irrita, nulla & invalida declarari potuisset; ex abundanti tamen cautela idem Julius Prædecessor noster Gallicos Prælatos, Capitula Ecclesiarum, & Monasteriorum, Parlamenta, & Laicos illis faventes, & dicta Sanctione utentes, per edictum publicum monuit, & citavit, ut causas dicerent, quare Sanctio præfata nulla declarari non deberet. Cum vero diversis impedimentis causantibus, & eodem Julio rebus humanis erepto citatio exequi, ac negotium abrogationis hujusmodi plene discuti non potuisset, & etiam per Gallos citatos diversa impedimenta allegarentur, quare in termino præfixo comparere non potuissent, ut omnis justæ excusationis & quærelæ occasio eis aufferretur, terminum citationis & monitionis eodem sacro appro-

approbante Concilio ad alium in diversis Sessionibus prorogavimus.

Secul. XVI. A.C. 1516.

Cum autem sublatis jam omnibus impedimentis coram nobis & Concilio non comparuerint, ita ut executioni ultra locus non sit, possintque merito contumaces reputari, prout eos exigente jure reputamus: nos mature attendentes Pragmaticam Sanctionem vel potius corruptelam schismatis tempore a non habentibus potestatem, editam, reliquæ Christianæ Reipublicæ, Ecclesiæque sanctæ Dei nullatenus conformem, & a Ludovico XI. Francorum Rege Christianissimo revocatam, cassatam, atque abolitam, auctoritatem, libertatem, ac dignitatem sacræ Sedis violare ac diminuere; de Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Virorumque doctorum consiliis, eandem Sanctionem cassamus, annullamus, & damnamus. Et sicut piæ memoriæ Leo I. Prædecessor noster, cujus in hoc vestigia imitamur, ea quæ in secunda Ephesina Synodo temere contra justitiam, & Catholicam fidem gesta fuerunt, postmodum in Chalcedonensi Concilio pro dictæ fidei firmitate mandavit revocari: ita & nos tam nefariæ sanctionis & contentorum in ea revocatione retrahi, & desistere, salva conscientia, ac nostro, & ipsius Ecclesiæ honore non posse aut debere censemus. Nec illud nos movere debet, quod Sanctio ipsa, & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & a Bituricensi con-

Sæcul. XVI A.C. 1516.

gregatione acceptata fuerint, cum ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilii per Eugenium quartum Papam factam a Basileensi conciliabulo seu potius conventicula, nullum robur habere potuerint: cum etiam solum Romanum Pontificem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, & dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex S. Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria eorumdem Conciliorum confessione manifeste constet. Nicæna enim Synodus statuit: Non debere absque Romani Pontificis auctoritate Concilia celebrari; neque nos latet, Leonem I. Ephesinam II. Synodum ad Chalcedonem transtulisse: Martinum V. Præsidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium nulla consensus ipsius Concilii mentione habita dedisse &c. Quam laudabilem consuetudinem, si Bituricenses, & Basileenses secuti fuissent, hujusmodi molestia procul dubio careremus.

Ægre admodum summus Pontifex ejusmodi testimonia collegit, imo nec id quidem sibi curæ fuerat, cum unice prævalere, ac fucum facere quæreret (*).

Cupien-

(*) *Ejusmodi conviciandi libertatem, Benevo-*

Cupientes igitur, pergit Papa, *hujus-* Sæcul. XVI.
modi negotium ad debitum finem perduci, ex A.C. 1516.
certa noſtra ſcientia; & de Apoſtolicæ Po-
teſta-

nevolus Lector, Continuatori indulgeat, indigna hæc verba immodicus extorſit dolor, quo vanam ſuam gloriam de auctoritate Concilii ſupra Papam uno impetu everſam ingemuit, ſuamque Synagogam cum ferali nœnia ſepelire coactus eſt. Lethale prorſus vulnus eidem inflictum, dum Synodus Oecumenica legitime inchoata, continuata, & abſoluta, & ſummo Pontifici conjuncta ſtatuit, decernit, & definit, decretum de ſuperioritate Synodi ſupra Papam a Baſileenſi Conciliabulo, ſeu potius conventiculo, quod poſt translationem Concilium amplius appellari non meretur, editum fuiſſe: *Papam liberam & plenam habere facultatem Concilia indicendi, transferendi, & diſſolvendi: denique Pragmaticam Sanctionem, & Bituricenſia ſtatuta corruptelam eſſe. Vel enim hæc impie, inique & contra fas acta fuere, vel juſte, ac pro meritis cauſſæ? Si hoc, igitur tota ruit Continuatoris cauſſa, ſi alterum, ergo Oecumenicum Concilium univerſam Eccleſiam repræſentans, ab univerſa Eccleſia quantum ad omnia receptum in re tam gravi contra antiquos Eccleſiæ Canones errare poteſt; niſi forte Continuator credidit, Synodum tunc ſolum infallibilem eſſe, quando ſuæ cauſſæ favet, & ſummis Pontificibus adverſatur. Vid. Lib.* 125. §. 62.

Sæcul. XVI A.C.1516.

testatis plenitudine, eodem sacro approbante Concilio præfatam Pragmaticam Sanctionem ceu corruptelam nullius roboris fuisse, & esse decernimus, & declaramus, omniaque & singula decreta, statuta, sive ordinationes in eadem quomodolibet contentas, ac ab aliis prius editas, necnon consuetudines, stilum, usum, seu potius abusum, ex ea in hanc usque diem quomodolibet emanatos seu observatos annullamus. Necnon ad abundantiorem cautelam eandem Bituricensem Sanctionem sive corruptelam, ejusque approbationem tacitam vel expressam, & in ea contenta quæcunque revocamus, cassamus, & damnamus. Et cum de necessitate salutis existat omnes Christi fideles Romano Pontifici subesse, prout divinæ Scripturæ & sanctorum Patrum testimonio edocemur, ac Constitutione Bonifacii Papæ VIII. quæ incipit: Unam sanctam &c. *declaratur, Constitutionem ipsam, sacro præsente Concilio approbante, innovamus, & approbamus, sine tamen præjudicio declarationis Clementis Papæ V. quæ incipit:* Meruit &c. *inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis, & censuris infra dicendis, omnibus & singulis Christi fidelibus, tam laicis, quam Clericis sæcularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium regularibus, cujuscunque conditionis existant, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & quavis alia digni-*

dignitate fulgentibus, omnibusque aliis Capitulis & Conventibus, Abbatibus, & Prioribus, Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Parlamentis, Officialibus, Judicibus, Advocatis, & Notariis in Regno Franciæ, & Delphinatu existentibus, ne de cetero prædicta Pragmatica Sanctione quomodolibet ex quavis causſa sub quovis quæsito colore, directe vel indirecte uti, vel eam allegare, vel secundum illam judicare præsumant. Nec præfatam Sanctionem ulterius in domibus suis, aut aliis locis publicis & privatis teneant, quinimo illam ex Archivis infra sex menses deleant sub majoris excommunicationis latæ sententiæ, necnon Ecclesiasticas Personas omnium dignitatum, aut beneficiorum privationis, & inhabilitatis pœna ad illa in posterum obtinenda: quo vero ad sæculares præfatæ excommunicationis, necnon amissionis quorumcunque feudorum tam a Romana quam alia Ecclesia obtentorum ex quavis causſa, & inhabilitatis ad omnes actus legitimos quomodolibet faciendos, infamesque, ac criminis læsæ Majestatis in jure expressis pœnis, eo ipso, & absque ulteriore declaratione.

Sæcul. XVI. A C. 1516.

Hæc Bulla ex pleno Synodi consensu perlecta ab omnibus communi calculo approbata fuit, excepto solo Episcopo Terdonensi in Longobardia, qui unicus obluctari audebat. Hic erga pretiosas hasce

Sæcul. XVI. A. C. 1516.

ce avitæ disciplinæ reliquias ceteris omnibus ardentiori studio animatus, atque, ut verosimile est, nec humanis falsæ submissionis rationibus ductus palam asserebat. „ Reverentia Basileensi Synodo nec„ non Bituricensi cœtui debita vos con„ tinere debuisset, ne tanti momenti ne„ gotium novaretur. Ego haud ratum „ habere valeo, ut ea, quæ *utriusque* „ *Concilii* auctoritate stabilita sunt, re„ vocentur. „ Hic Episcopus etiam Bituricensem conventum ob prudentissima ejus decreta veri Concilii honore dignabatur; nihilominus parvi pendebatur illius repugnantia; Papa enim Lateranensis sui Concilii auctoritatem, auctoritati Basileensis, & Bituricensis Synodi opposuit, & quamvis immensum illud, quod inter utrumque Concilium intercedit, discrimen, nullo negotio dignosci potuerit, nihilominus Galliarum Reges manus præbebant auxiliatrices ad cudendum ensem, cujus aciem temporis progressu experiebantur. (*)

§. CXXVI.

(*) *Optandum foret, ut Continuator eorum, quæ de hoc Episcopo verbosa Rhetorice refert, vel unicum saltem Auctorem velut testem allegasset, Acta Concilii apud Harduinum duntaxat recensent; hanc Bullam omnibus* simplici-

§. CXXVI.

Sæcul. XVI. A C. 1516.

Concordata Sanctioni Pragmaticæ subrogata.

In eadem Seſſione perlegebatur Bulla, qua in Pragmaticæ Sanctionis locum Concordata ſubſtituta fuere. Rationes alle- *Collect. Conc. Labb. t. 14. p. 294.*

---

pliciter *placuiſſe, Epiſcopum vero Terdonenſem dixiſſe:* Sibi placuiſſe Revocationem illorum, quæ originem habuerunt a Baſileenſi, & Bituricenſi conſiliis, ſeu conventiculis. *Hæc verba, an dictis a Continuatore reſpondeant, prudentiorum judicio relinquimus, qui certo cum nauſea affectatum illius elogium perlegent, Continuatori vero ſaltem in hoc ſuffragabuntur, quod diſcrimen inter Baſileenſe & Lateranenſe Concilium manibus palpari agnoſcat. Cum hoc Pontificis auctoritate celebratum, centum, iisque pietate & ſcientia clariſſimis Præſulibus frequentatum, ab univerſa Eccleſia, nullo unquam illius auctoritatem in dubium vocante acceptatum ſit: illud vero tempore ſchismatis a paucis Schismaticis innovati continuatum, ab ipſis quoque quamplurimis Gallis velut conciliabulum rejectum, & ab univerſa Eccleſia nunquam approbatum fuerit. Audax ſane facinus! in materia Eccleſiaſtica ſcriptum aliquod tueri velle, cui ſummi Pontifices, illiusque Regni Reges adeo ſolemniter adverſantur.* Mirum quoque, quod idem Epiſcopus

Sæcul. XVI. A.C.1516.

allegat Franciscus Rex, quibus permotus hæc pacta condidit; vel saltem consensu, suaque auctoritate firmavit, conclusa enim erant inter Pratum Cancellarium, & Anconitanum, & alterum tit. SS. quatuor Coronatorum Cardinalem. Eæ igitur rationes erant sequentes. I. *Quod ipsa Pragmatica contra Sedis Apostolicæ & Concilii auctoritatem diutius absque gravi dissidio ac tumultu defendi non posset: ipsa vero abrogata, futurum esset, ut in eadem incommoda Ecclesia Gallicana relaberetur, quæ ipsam ante Pragmaticæ promulgationem premebant; Gratiarum scilicet Expectativarum, & Reservationum Pontificiarum usus Ordinariis Collatoribus, & Patronis gravissimus, Virorum eruditorum neglectus in Beneficiorum collatione, exterorum indigenis posthabitis promotiones, sacrarum litium in Romana Curia disceptationes indigenis incommodæ, atque molestæ, res numeraria ea ratione exhausta, aliaque mala postliminio revocanda metuerentur.* Quam-

---

scopus tanto studio pretiosas avitæ disciplinæ reliquias conservandi animatus, nihilominus contra Concordati & Pragmaticæ dispositionem reclamaverit, dicens: *Non placet mihi consuetudo Parlamentorum quod habeant jurisdictionem in Personas Ecclesiasticas, & quod ipsa Concordati Bulla eandem sæcularibus tribuat.* Vide Acta Concilii Lat. loc. cit.

Quamobrem Rex tempori ſerviendum duxit, rebusque ſuis, & Eccleſiæ Gallicanæ periclitantibus conſulendum, & quoniam Pragmatica Sedi Apoſtolicæ noxia eſſet, ejusmodi conventa ita confici ac temperari poſſe cenſuit, ut præcipua Pragmaticæ Sanctionis capita poſthac firma rataque eſſent, atque imminentia detrimenta minore ac leviore diſpendio redimerentur (*). Equidem hæc conventa, quæ *Concordata* vocantur, plures Pragmaticæ articulos complectuntur: aſt præterquam quod plerique penitus fuerint abrogati, plures eorum certis legibus, & conditionibus adſtringebantur, quibus Sanctioni priſtina forma haud parum adempta fuit, Sedi vero Apoſtolicæ ingens inde utilitas accrevit, prout ex articulorum relatione perſpicere, pronum erit. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

§. CXXVII.

Diſcrimen Concordata inter ac Pragmaticam Sanctionem.

Primus articulus Pragmaticæ omnino adverſatur: hac enim jus electionis aſſerebatur: articulo autem Concordatorum primo ſancitum: *Ut Cathedralibus* & *Pinſſon. hiſt. Prag. Sanct. & Concord.*

(*) *Vid. Hiſt. Eccleſ. P. Natalis Alexandri Sæcul. XV. Diſſert. XI. Art. VI. num. V.*

Sæcul. XVI A.C.1516.

Franc. Duarem de Eccleſiæ Beneficiis. Dupin. Bibl. Script. Eccl. XVI. Sæcl. t. 13. p. 22. Hiſt. de Orig. Prag. Sanct. & Concord. per Pithou. Labb. t. 14. p. 358.

& Metropolitanis Eccleſiis in Regno Franciæ, illorum Capitula & Canonici ad electionem procedere non poſſint, etiamſi per ceſſionem in Romanorum Pontificum manibus factam vacarent; ſed illarum occurrente hujusmodi vacatione Rex Franciæ jurium Doctorem aut Licentiatum in vigeſimo ſeptimo ætatis anno ad minus conſtitutum infra ſex menſes Pontifici nominaret, & de Perſona per Regem nominata, per Romanum Pontificem provideatur. Et ſi contingeret, Regem perſonam taliter non qualificatam nominare, Papa de perſona ſic nominata eisdem Eccleſiis minime providere debeat, ſed teneatur Rex infra tres alios menſes a die recuſationis perſonæ nominatæ intimandæ computandos alium qualificatum nominare: alioquin Eccleſiæ tunc ſic vacanti, per Papam provideatur. Hoc articulo Papa ſibi reſervavit, *ut Eccleſiis Epiſcopalibus per obitum Romæ apud Sedem Apoſtolicam ſeu in Curia vacantibus ſemper, nulla Galliarum Regis nominatione libere providere poſſit,* decernitque, *electiones contra præmiſſa attentatas nullas, & invalidas exiſtere: Conſanguineis tamen præfati Regis, ac perſonis ſublimibus ex cauſſa rationabili & legitima, necnon Religioſis Mendicantibus reformatis eminentis ſcientiæ ſub prohibitione minime comprehenſis.* Idem decretum obſervetur *in Abbatiis, & Prioratibus Conventualibus, & vere electivis, ubi Rex Religioſum*

ſum ejusdem Ordinis in ætate viginti trium annorum ad minus conſtitutum Pontifici nominare teneatur. Si vero idem Rex Presbyterum ſæcularem aut Religioſum alterius Ordinis, aut minorem viginti trium annorum, vel alias inhabilem nominaret, talis nominatus recuſari a Papa debeat. Idem ſervetur de Epiſcopatibus. *Per præmiſſa tamen in nullo præjudicetur nonnullis Eccleſiarum capitulis, & Monaſteriorum vel Prioratuum conventibus, qui privilegia a Sede Apoſtolica proprium eligendi Prælatum obtinuerunt, quominus ad electionem Epiſcoporum, ac Abbatum & Priorum juxta privilegia eis conceſſa libere procedere poſſint: & ſi in eorum privilegiis forma aliqua expreſſa non fuerit, tunc formam Concilii generalis Lateranenſis IV.* (*) *obſervare teneantur; dummodo de privilegiis ſibi conceſſis per literas Apoſtolicas ſeu alias authenticas Scripturas docuerint, omni alia ſpecie probationis eis in hoc adempta.* Articulo ſecundo omnes gratiæ exſpectativæ tam ſpeciales quam generales, necnon Beneficiorum vacantium Reſervationes abrogantur. *Volumus quoque, & ordinamus,* inquit Pontifex, *quod in Regno Franciæ, Delphinatu & Comitatu Burgundiæ de cetero non dentur aliquæ gratiæ exſpectativæ,*

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

(*) *Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. Cap. 24. Quapropter.*

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

ac ſpeciales, vel generales reſervationes ad vacatura beneficia per Sedem Apoſtolicam non fiant; & ſi defacto per importunitatem aut alias a Succeſſoribus noſtris emanaverint, illas irritas & inanes eſſe decernimus. In Cathedralibus tamen, & Collegiatis Eccleſiis Papa Theologalem præbendam erigendi facultatem ſibi reſervat, quam ordinarius collator conferre teneatur uni Magiſtro ſeu Licentiato aut Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium in univerſitate privilegiata ſtuduerit, ac onus lecturæ & prædicationis actu ſubire voluerit, quique bis aut ſemel ad minus per ſingulas hebdomadas legere debeat, & ut liberius ſtudio vacare poſſit, etiamſi abſens fuerit a divinis, habeatur pro præſente, ita ut nihil perdat.

Articulus tertius de jure eorum, qui Laurea academica ſunt inſigniti, decernit, ſtatuitque, *quod præfati Collatores tertiam partem omnium ſuorum beneficiorum viris graduatis conferre teneantur*, ſeu potius, quod illi graduatos nominare valeant ad beneficia, quæ vacabunt in quatuor anni menſibus, ita, ut Januario & Julio ea illis conferantur, qui de adepto gradu Academico, ac ſtudiorum tempore literas teſtes exhibebunt, & hi menſes vocantur *rigidiores*, Aprilis autem & October ſunt *Menſes gratiæ*, in quibus Collatores duntaxat graduatis nominatis, qui

qui honoris adepti litteras non exhibue- Sæcul. XVI.
runt, beneficia confer e valent (*). A.C.1516.

Tempus autem ſtudiorum competens, decennium in Magiſtris, Licentiatis, & Baccalaureis in Theologia; ſeptennium vero in Doctoribus ſeu Licentiatis in Jure Canonico civili aut medicinis; quinquennium autem in Magiſtris ſeu Licentiatis in artibus; ſexennium in Baccalaureis ſimplicibus in Theologia; quinquennium in Baccalaureis Juris Canonici aut Civilis, ſi vero ex utroque parente nobiles fuerint, triennium eſſe decernitur: Præfati autem graduati Collatoribus ſemel ante vacationem beneficii de literis gradus, ſeu nominationis, & de tempore ſtudii per literas patentes univerſitatis, in qua ſtuduerint, necnon de eorum nobilitate fidem facere teneantur, omnesque graduati Patronis Eccleſiaſticis, aut Collatoribus ordinariis literas ſuorum gradus, & nominationis, certificationis de ſtudii tempore, ac de nobilitate duplicatas dare, ac ſingulis annis tempore quadrageſimæ Collatoribus ſeu Patronis Eccleſiaſticis eorum nomina & cognomina inſinuare adſtringantur; & eo anno, quo hanc inſinuationem omiſerint, beneficium in vim gradus aut nominationis hujusmodi petere non poſſint: Si quis autem graduatus lite-

 ras

(*) *Vide Inſtitutiones Juris Eccleſiaſtici Claudii Fleurii latine redditas part. 2. cap. 17. n. 4. fol. mihi 447.*

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

ras suas non exhibuerit, Collatoribus Beneficii provisio libera erit, dummodo inter primam ejus insinuationem & præfatam requisitionem non supervenerit quadragesima. Præterea statutum, *quod Collatores inter graduatos in mensibus gratiæ gratificare possint illum ex eis, quem voluerint, quoad beneficia vero in mensibus rigidioribus antiquiori nominato conferre teneantur. Concurrentibus autem nominatis Doctores Licentiatis, Licentiati Baccalaureis præponantur, demptis Baccalaureis formatis in Theologia, qui Licentiatis in Jure & medicinis, necnon Baccalaurei Juris Magistris in artibus præferendi sint.* Formati Baccalaurei vocantur illi, qui non ante debitum tempus, sed juxta statutorum præscripta, atque emenso decennis studii curriculo Academicos honores adepti sunt. Insuper sancitum, *ut concurrentibus pluribus Doctoribus aut Licentiatis Doctor Theologus Doctori juris, Doctor in jure Canonico doctori in jure civili, hic doctori in medicina præferatur. Si autem in omnibus his concurrerent, tunc Collator ordinarius inter eos concurrentes gratificare possit.* Statutum insuper, *ut nominati literas nominationis ab Universitatibus obtinentes, in nominationum literis beneficia per eos possessa, & verum eorum valorem exprimere teneantur. Si quis eorum duas obtineat præbendas, quarum reditus tempore residentiæ*

&

& horis divinis intereſſendo, ad ſummam ducentorum florenorum auri aſcenderent, beneficium in vim nominationis conſequi non poſſit. Item nominati beneficia ſecundum perſonæ conformitatem conſequantur, videlicet, ſæculares ſæcularia, & Religioſi regularia, nec proſit prætextus cujusvis diſpenſationis Apoſtolicæ, denique beneficia ſimpliciter, vel ex cauſſa permutationis vacantia graduatis in menſibus non affecta, nec debite, ſed libere conferantur. Parochiales quoque Eccleſiæ in civitatibus nonniſi graduatis concedantur: monentur Univerſitates, ne Collatoribus aliquos nominent, niſi eos, qui ſecundum præfata tempora ſtuduerint. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

Hic Concordati articulus a Pragmatica Sanctione in eo differt: „ quod *Pragmatica* Collatoribus & Patronis Eccleſiaſticis injunxerit, ut exactum omnium beneficiorum, quæ conferre poſſunt, indicem conficerent, eo conſilio, „ ut ſecundum hujus ſeriem tertium „ quodvis beneficium *graduatis* conferretur. Ex adverſo *Concordatum* jure „ hoc ſervato, duntaxat ſeriem hujus Catalogi ſuſtulit, & *graduatis* cuncta beneficia in quatuor anni menſibus „ vacantia attribuenda eſſe cenſuit, ut „ ſupra indicatum eſt: quo jure etiamnum vivimus „ (*).

*) *Hæc deſumpta ſunt ex Inſtitutionibus Claudii Fleurii loc. cit.*

Sæcul. XVI. A.C 1516. Articulo quarto declaratur, *quod quilibet Romanus Pontifex semel tempore sui Pontificatus beneficium conferre possit, si Collator decem beneficiorum, si autem quinquaginta & ultra beneficiorum collationem habeat, in duobus beneficiis eundem gravare possit, ita tamen ut Collatorem unum pro tempore in duabus præbendis ejusdem Ecclesiæ non gravet, Papa tamen ejusmodi beneficia jure præventionis cum Collatoribus ordinariis conferre possit.* Statutum præterea, *ut in provisionibus verus annuus Beneficiorum valor exprimatur, alioquin gratiæ ipsæ sint ipso jure nullæ.*

Articulus quintus de causis & appellationibus Pragmaticæ consonus est, ibique statuitur, *quod in Francia &c. omnes causæ exceptis majoribus in jure expresse nominatis, apud illos Judices in partibus, qui de jure aut consuetudine, vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari debeant. Nec ad immediatum Superiorem, omnisso medio ante definitivam sententiam appelletur, nisi forsitan tale gravamen extiterit, quod in definitiva reparari nequiret. Si quis vero immediate subjectus Sedi Apostolicæ ad eandem Sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per rescriptum usque ad finem litis, videlicet, usque ad tertiam sententiam conformem inclusive, si ab illis appellari contigerit, nisi propter denegatam justitiam,*

stitiam, aut justum metum, & tunc committi debeat in partibus convicinis, quæ etiam de illis, non legitime alias, quam per juramentum coram judicibus a Sede Apostolica deputandis constare debeat: Sanctæ vero Romanæ Ecclesiæ Cardinales, necnon dictæ Sedis Officiales officia sua actu exercentes sub præsenti decreto non comprehendantur. Statutum quoque *ut judices causas infra biennium terminare debeant.* Præterea decretum, *ut ab interlocutoriis secundo: a definitivis vero tertio duntaxat provocare liceat.* Sæcul. XVI. A.C. 1516.

Quinque sequentes hujus Concordati articuli omnino consonant Pragmaticæ statutis, scilicet sextus *de pacificis possessoribus, seu de pacifica possessione.* Septimus, *de Concubinariis.* Octavus, *de excommunicatorum commercio*, quos nonnisi in certis casibus vitandos esse declarat. Nonus *de interdictis.* Decimus Pragmaticæ articulus spectabat capitulum, *de sublatione Clementinæ*, quæ incipit *Literis:* quo decreto sancitur: *Literis nostris, quibus nos dignitates quaslibet seu beneficia collationi nostræ, vel Sedi Apostolicæ reservasse, aut resignationem Beneficii alicujus recepisse, vel recipiendi potestatem alii commisisse, vel aliquem excommunicasse, vel suspendisse, vel alia similia, super quibus gratia, vel intentio nostra fundatur, feciss narramus, censemus super sic narratis fidem plenariam adhiben-* *Lib. 2. tit. 8. de Probat. cap. unic.*

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

hibendam. Hoc decretum Pragmatica correxit, Concordatum vero hunc articulum omnino non tetigit, nec etiam mentionem fecit de aliis duobus Pragmaticæ articulis, nimirum de Annatis, & de Cardinalium numero.

Insuper Cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum, cui summus Pontifex cum Regis Oratoribus conferendi negotium demandaverat, quamdam Scripturam unacum Rogerio Barme Advocato Generali, suo quisque chirographo firmavit, qua præter præcipuos Concordatorum articulos Papa Galliarum Regi indulsit, ut Clericos ad Britanniæ ac Provinciæ Ecclesias ac Monasteria nominare posset, sique Britanniæ Ducibus ac Comitibus Provinciæ a summis Pontificibus ejus Prædecessoribus quædam privilegia concessa fuisse Rex ostenderet, eadem se confirmaturum pollicitus est. Promisit insuper Pontifex, se ad Legatum Apostolicum in Franciam missurum, qui juncta cum Regiis Deputatis opera Beneficiorum æstimationem decerneret, ut de veris eorum proventibus certo constaret; Regi quoque fidem fecit, se eidem Apostolicas daturum literas, quarum vi ad Mediolanensis Ducatus Beneficia, exclusis minoribus, nominandi facultatem haberet; concessit etiam Francisco Regi deci-

decimas, ejusque arbitrio reliquit, si earum partem in fabricam sancti Petri Romæ erogare velit. Denique omnes, qui ad male impendendas, quas Cardinalis Rothomagensis congesserat, pecunias opem contulissent, Ecclesiæ vinculis absolvit, Gallosque censuris, quibus a Julio II. ejus Prædecessore perstringebantur, liberavit. Sæcul. XVI. A.C.1516.

§. CXXVIII.

Constitutio de Privilegiis Religiosorum.

Perlectis omnibus Bullis, quibus abrogata Sanctione Pragmatica Concordatum approbatum fuit, summus Pontifex aliam Constitutionem recitari juffit de Religiosorum privilegiis; circa quæ sancitum, *quod Ordinarii Parochiales Ecclesias ad Regulares ratione locorum spectantes visitare, ac Missas in Ecclesiis domorum eorumdem celebrare possint.* Declaratumque, *quod Religiosi ab Episcopis ad solemnes Processiones requisiti, dummodo eorum loca suburbana ultra unum milliare a civitate non sint remota, accedere, necnon Superiores eorumdem Fratrum Fratres, quos ad audiendas confessiones subditorum elegerint, eisdem Prælatis vel eorum Vicariis personaliter exhibere teneantur, possintque illi per eosdem Episcopos super sufficienti literatura,* *Lab. Collect. Conc. t. 14. p. 315. & seq.*

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

& hujusmodi Sacramenti peritia duntaxat examinari, talibusque præsentatis, admissis, vel indebite etiam recusatis confitentes Constitutioni, quæ incipit: Omnis utriusque sexus, *quoad confessionem duntaxat satisfeciſſe censeantur, ipsique Fratres etiam forensium confessiones audire valeant: Laicos tamen & Clericos sæculares a sententiis ab homine latis, nullatenus absolvere possint. Eucharistiæ vero, & extremæ Unctionis Sacramenta infirmis dare nequeunt, nisi proprius eorum Sacerdos ea illis dare denegasset, & denegatio sine legitima causſa facta vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doceretur. Eorumdem vero Fratrum obsequio insistentibus durante illorum obsequio Sacramenta hujusmodi ministrare valeant.*

His ita statutis Papa ad specialiora circa Regularium jura descendit, ac præprimis ordinat, *quod pacta, & conventiones inter eosdem Fratres & Prælatos, atque Curatos pro tempore initæ valeant, nisi per subsequens capitulum generale, vel Provinciale revocatæ fuerint; Parochias autem cum Cruce ad levanda funera eorum, qui apud eorum Ecclesias suam elegerint sepulturam, intrare non possint, nisi prius prænonito ac non recusante Parocho, nisi eisdem Fratribus super hoc antiqua consuetudo, quæ sit in viridi observantia cum pacifica possessione*

sione suffragetur. Sancitum præterea, *quod Fratres ad Ordines promovendi per Episcopos, vel eorum Vicarios examinari debeant, nec ab alio quam Episcopo Diœcesano consecrationem Ecclesiæ petant, nisi ubi Ordinarius bis aut ter requisitus recusaverit, nec etiam die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam campana matricis Ecclesiæ pulsaverit, campanas in Ecclesiis suis pulsare possint; Decimas solvere recusantibus absolutionem denegent; nec etiam excommunicatos Ordinem Mendicantium profiteri volentes, ubi de interesse tertii agetur, absolvant, nisi prævia satisfactione; denique Fratres & Sorores tertii Ordinis sepulturam in eorum Ecclesiis eligere valeant: Sed die Paschatis tantum Eucharistiam necnon extremam unctionem, ceteraque Ecclesiæ Sacramenta, pœnitentiæ Sacramento duntaxat excepto, a proprio Sacerdote recipiant.* Hoc tamen decretum non ubique receptum fuit. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

Episcoporum Synodalium non pauci, se cunctis hisce articulis assentire haud posse, palam profitebantur, caussati, eorum plurimos Episcopali jurisdictioni derogare. Perlecto hoc decreto Papa, *ut Regulares* (ita loquitur Bzovius) *unitos haberet, qui summorum Pontificum auctoritatem, & Majestatem, seque ipsos etiam unanimi consilio adversus Episcopos tuerentur; edito hac super ea re diplomate Cor-* *Bzov. ad an. 1516. n. 4. in fin.*

pus

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

pus quoddam, seu Congregationem Regularium in urbe instituit, quorum Superiores ad Cœnobium S. Mariæ supra Minervam toties, quoties necesse haberent, in gravaminibus etiam a summo Pontifice illatis, vel inferendis convenirent, deliberarent, & in commune decernerent, præsidente Cœtui supremo Dominicanorum Magistro. Id a Bzovio edocemur, qui hanc etiam Bullam in Tabulario Ecclesiæ ad S. Mariam supra Minervam apud FF. Prædicatores Romæ asservari testatur. *Quod si verum sit*, inquit Spondanus, *profecto ipsam quoque Sedem Apostolicam Leo Regularibus obnoxiam, subjectamque voluit.* Hanc tamen Bullam mere confictam esse censemus. Altera vero de Regularibus, spreto obluctantium strepitu, ex plurimorum suffragio approbata fuit. His peractis Sessio sequens, quæ & postrema fuit, ad secundam Mensis Martii diem indicta est; eandem tamen summus Pontifex justis ac legitimis ex causis Bulla hanc in rem die septima Februarii condita, ad decimam sextam Martii Anni sequentis millesimi quingentesimi decimi septimi prorogavit.

Spond. ad ann 1516. *n.* 16.

§. CXXIX.

Pax Cæsarem inter & Venetos concluſa.

Pace per Pragmaticæ abrogationem, ac

ac Concordati firmitatem cum ſummo Pontifice plene revocata, Galliarum Rex, quo minus Mediolanenſi Ducatu tranquille frueretur, votis ſuis nil reliquum habebat. Diſſidia quoque Hiſpanos inter & Gallos Noviodunenſi fœdere feliciter compoſita ſunt, ac denique fœdus inter Cæſarem & Venetos firmatum fuit. Hi enim jam vigeſima quarta Maji hoc anno rurſum Brixiam ingreſſi ſunt, nimirum anno abhinc ſeptimo, quo anno ab urbe plane egrediebantur. Ceterum ex opima ſpe, quam ipſis Bleſenſe fœdus promiſerat, in tota Longobardia nil amplius eis recuperandum ſupererat, quam ſola Verona; unde illius obſidionem decreverunt. Sancitum quoque erat Noviodunenſis pacti legibus, I. quod in illis etiam Cæſar comprehenderetur, ſi Veronam Regi Chriſtianiſſimo traderet, hic vero eandem urbem Venetis redderet, illi autem accepta urbe Cæſareæ ſuæ Majeſtati centum Ducalium nummum millia perſolverent (*). II. Franciſcus Rex, amplius nil eorum, quæcunque Ludovicus XII. ejus Prædeceſſor variis ſolutionibus mutua dediſſet, data hanc in rem apocha a Maximiliano Cæſare repeteret,

æcul. XVI. A.C 1516.

Guicc. l. 12. Belcar. l. 15. Mem. du Bell. liv. 1. Belleſor. l. 6. t. 26.

(*) Totidemque Galliarum Rex. *ita habetur in fœderis articulis, vide Palatium in Max. I. num. CXCII. fol. 259.*

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

teret, quamvis hæc pecuniarum ſumma plusquam decies centena aureorum millia facile æquaret. Hæc pacta adimpleri Respublica adeo non ſperabat, ut Veronæ obſidionem pararet, quo comperto Cæſar Venetis ſignificari juſſit, ſe Noviodunenſi fœderi acceſſurum, ac Veronam ſub pactis conditionibus illis redditurum. Id quoque integra utrinque fide adimpletum; urbs enim Lautreco tradebatur, qui eam die decima quinta Januarii Anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo Venetis reſtituit. Hæc dies merito velut omnium, quæ Cameracenſe fœdus ſuſcitaverat, bellorum exitus celebratur, moxque Cæſari promiſſa centum Ducalium nummum millia numerabantur. Papa vero, cum a Republica Continentis terras recuperatas fuiſſe ægre ferret, ut hæc pacta eluderet, nullis artibus pepercit, verum tumultus ob Urbinatis ducatum recens ſuſcitati, quorum ſupra meminimus, curas ejus ad alia convertere prohibebant.

§. CXXX.

Selimi Turcarum Imperatoris victoria de Sultano Ægypti.

Interea Selimus Turcarum Imperator Legatum ad Campſonem Sultanum queſtum miſit, quod Perſarum Regi ſuppetias

petias ferre tentaſſet. Campſon, id ſe neceſſitate compulſum facere repoſuit, ipſumque Selimum Imperatorem velut infenſiſſimum Mahometanorum hoſtem conviciatus eſt, hisque dictis Legatum abire juſſit. Selimus intellecto Sultani reſponſo, mox in eum invehitur; nec ſegnior erat in Sultano Turcarum impetus ſtrenue excipiendi aviditas; recenſebat enim facile ſexdecim equitum millia, omnes non armorum modo & corporis ſpecie, ſed & magnitudine animi inſignes, quos in quinque partiebatur agmina. Sed non ut prima ſpecie læta erat victoriæ fiducia, ita eventus quoque fuit, & id quidem ob Cheirbegi Alepi Præfecti ſcelus atque perfidiam. Hic enim primo magnam fidei ſuæ conſtantiam, animique fortitudinem ſimulavit, mox vero ingraveſcente pugna, non modo copias ſuas in hoſtem irruere prohibuit, ſed ipſe clam ex acie, ubi pertinacius, acriusque prælium inſtabat, ſe ſubduxit. Equidem Campſon jamjam longius proceſſerat, ut ſuos tueretur: verum brevi Cheirbegi proditionem expertus eſt; Selimus enim, qui obfirmato vincendi ardore pugnabat, tanto impetu in hoſtiles equitum legiones effundebatur, ut omnes continenti ſtrage disjectæ pedem referrent. Incaſſum Campſon territos ad pugnam accendere,

Sæc. XVI. A.C. 1516.

Leuncl. l. 17. Bizar. rer. Perſ. l. 10. Pet. de Angl. ep. 579. Boſius p. 2. l. 8 Bemb. l. 9. ep. 52. Foliet. ep. 12. Append. ad Naucl. poſt Baſel.

Paul. Jov. l. 17. & 18.

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

& fugam sistere adlaborabat, cumque nec preces, nec imperia fugitivos cohiberent, & ipse fugientium numero abreptus fuit, demum cadente equo in pulverem excussus, a suis omnino copiis conculcatus periit. Selimus tantæ victoriæ gloria admodum lætus, victoribus hostium castra diripienda concessit, ac Cheirbego Alepum certis conditionibus dedente omnes in eo curas intendit, ut primos victoriæ fructus ad novæ gloriæ fastigia protenderet.

§. CXXXI.

Arzila a Fezzarum Rege nequicquam oppugnata.

Raynald. ad ann. 1516. *n.* 102.

Passi quoque fuerunt eodem hoc anno aliquas clades Hispani in Africa. Cum enim Borbensis Comes, & Odoardus Menesius Tingitanæ urbis Præfectus oppidum, quod Aljubiliam vocabant, aggressi caperent, illudque direptum incendio absumerent, Fezzarum Rex suorum cladem ulturus, coactis septuaginta peditum, ac triginta equitum millibus Arzilam ferocissimis impressionibus oppugnavit, incasso tamen conatu; urbs enim non modo commeatu optime instructa, sed etiam præsidiariis mortem potius quam deditionem oppetere paratis adeo firmiter munita erat, ut Rex re infecta

fecta obsidionem solvere compelleretur. Nihilominus Hispanorum fortitudo adversantis fortunæ invidiam effugere haud poterat; quippe Horuscius de Mitisena, Pirata percelebris, Barbarossa cognomine, Haredino fratre suo adjutus, Hispanos cunctis urbibus expellere, animo constituit. Ergo Bugiam primo obsidet, ast crebro assultu frustra tentato, amissoque corporis sui brachio, urbem obsidione liberare cogebatur. Nihilominus infausto hoc successu odium, quo in Christianos flagrabat, acrius accendente, Algerium aliquot abhinc annis fiduciario nomine Hispaniæ Regum imperio obnoxium expugnare aggreditur, valuitque successus; Morabitas enim Mahometanorum Religiosos in sua studia pertrahens, eorum artibus urbem expugnavit. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

§. CXXXII.

Barbarossæ irruptio in Africam.

Barbarossa victoriæ fiducia animatus, plurium Regulorum ditiones occupare moliebatur, totam denique Africam Turcarum imperio subjecturus. Hos inter primum aggressus est Tunitarum Regem, quem prælio captum crudelem in modum enecari jussit. Hujus Nepos, cum Barbarossæ resistendo impar esset, Castellam profugit, Cardinalis Ximenii *Marmol. l. 5. Leon. hist. African. Paul. Jov. l. 33. Raynald. hoc ann. n. 47.*

Sæc. XVI. A.C. 1516.

menii auxilium imploraturus, qui classem quantocius instrui curavit, eidemque Didacum Veram præfecit, qui secundis velis Algerium appulsus est. Attamen cum improvido prorsus consilio copias suas in quatuor divisisset agmina, simul ab omni parte urbis mœnia agressurus, quamplurimis suorum desideratis, a Turcis undique propulsatus in Hispaniam unacum funestis exercitus sui penitus deleti reliquiis remigare compellebatur. Pontifex afflicto Cardinali consolationem allaturus perscripsit. Datæ sunt hæ literæ die secunda Novembris, Anno Pontificatus sui quarto.

Bemb. l. 13. ep. 24.

§. CXXXIII.

Viri Apostolici in Congi Regnum a Lusitaniæ Rege missi.

Sub idem tempus Emanuel Lusitaniæ Rex propagando fidei Christianæ studio vehementer accensus, nil intentatum inausumque reliquit, ut ad remotissimas Barbarorum regiones fidei Catholicæ lumen inferret. Igitur cum intelligeret, in Æthiopia Congi Regnum novis indies incrementis Evangelii præceptis illustrari, ut opus præclare institutum, felicius absolveret, Sacerdotes sanctitatis opinione illustres ad Alphonsum Congi Regem unacum sacris precationum libellis

Maffæi l. 6.

lis transmisit. Equidem Rex eo tempore, quo Viri Apostolici advenerant, contra quosdam Principes Regis stipendiarios, qui ab illo defecerant, bellis implicitus aberat, sepositis tamen armorum curis Sacerdotes summo honore excepit, ac bello ex sententia confecto redux illos haud vulgaribus amoris eximii signis, gratiisque cumulavit. Hic Princeps Lusitanum quoque Regem tanta submissione ac fide venerabatur, ut sæpe diceret, *se nullam esse de rebus humanis voluptatem percepturum, antequam in Lusitaniam veniret, ut ad Emanuelis pedes provolutus, illi se totum addiceret. Quod enim cœlesti lumine frueretur, verum Deum coleret, atque ad immortalem vitam adspiraret, id totum esse Emanueli Regi clarissimo ac sanctissimo in acceptis referendum.* Eodem anno, ut fertur, Franciscus Galliarum Rex misso ad Emanuelem Legato petebat, ut se societatis fœdere adversus Hispaniæ Regem conjungeret; cui Emanuel sic respondit, *Mihi Regis Christianissimi voluntas semper fuit gratissima & omnia, quæ salva fide, & Christiani Regis officio possum, causa illius libentissime faciam. A bellis tamen, quæ Christiani Principes inter se gerunt, vehementer abhorreo: mihi namque in animo est, Saracenis, si possem, perniciem, & interitum machinari: Christianis vero*

Sæcul. XVI. A C. 1516.

Osor. l. 10. fol. mihi 297. col. 2.

Sæcul. XV. A.C. 1516.

Principibus pia consilia, & animorum concordiam precor.

§. CXXXIV.

Elisabethæ Lusitanorum Reginæ beatificatio.

Spond. ad hunc ann. n. 9. Hist. de Coste, Annal. minor.

Papa Emanuelis Lusitaniæ Regis studium, quo hic Christi Regnum dilatare adlaborabat, pluribus ad eum datis literis commendans etiam hoc anno concessit, ut Equitum S. Jacobi Magisterium, cui vellet, conferret. Præterea idem Pontifex ad ejusdem Regis preces decrevit, ut Elisabethæ, quæ Dionysii Lusitaniæ Regis uxor vidua die quarta Julii Anno trecentesimo trigesimo sexto supra millesimum in Sanctitatis fama obiit, honoribus, Beatis reddi consuetis, publice coleretur, ejusque dies festus tam in Missa, quam divino officio, in urbe ac Diœcesi Coimbricensi celebraretur. Eandem postea Urbanus VIII. inter Sanctas celebri ritu retulit Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto.

§. CXXXV.

Philippus Benitius Beatorum fastis adscriptus.

Annal. Serv. sent. 3. l. 6. c. 1

Eandem Beatificationis, ut vocant, gratiam indulsit Leo Pontifex Fratribus

&

& Sororibus Ordinis Servorum Beatæ Virginis pro B. Philippo Benitio seu Benizzio, qui hujus instituti conditor habetur, eoquod illius confirmationem atque approbationem a Patribus Lugdunensis Concilii Anno Christi millesimo ducentesimo septuagesimo quarto obtinuisset, quamvis Ordo jamjam decimum quintum a prima illius institutione annum ante Benetii ingressum numerasset. Sæcul. XV. A.C. 1516. *Bzov. & Raynald. ad ann. n. 12.*

§. CXXXVI.

Vigerii Cardinalis obitus.

Hoc anno Romæ sacer Purpuratorum Senatus duorum Cardinalium obitum luxit, quorum primus erat Marcus Vigerius, Cardinalis tit. S. Mariæ Trans-Tiberim: Erat is patria Ligur ex Savonensium Familia (*) ortus. Postquam vero FF. Minorum ordinem ingressus per multos annos Patavii ac Romæ in Sapientiæ Collegio Theologiam publice tradiderat, in Urbinatis ac Prænestinæ Ducatu Episcopus Senogallienſis renunciatus *Augusti Oldoin in Athenæo Rom. p. 481.*

(*) *Legendum censeo*, patria Savonensis, *ita Ciaconius, Foylieta, Eggs, ceterique omnes; nec immerito, Savona enim urbis, in qua Vigerius natus est, nomen indicat, non generis, unde originem traxit.*

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

tus est: demum a Julio II. Cardinalium numero adscriptus, Anno millesimo quingentesimo duodecimo Lateranensi Concilio interfuit, quarto autem post anno die decima octava Junii mortalitatem exuit, septuaginta octo circiter annos natus. Is haud mediocri eruditione ornatus, literisque impense deditus fuit, ac nonnulla ingenii sui monumenta posteris reliquit; scripsit enim tractatum de præcipuis Incarnationis Dominicæ mysteriis, cui titulum præfixit: *Decachordum Christianum* Anno Salutis millesimo quingentesimo septimo typis vulgatum, ediditque Apologiam pro Julio II. adversus Pisanum Concilium, & Dialogum de tollendis Ecclesiæ abusibus; inter ceteras vero ejus lucubrationes celeberrima est dissertatio *de excellentia Instrumentorum Passionis Dominicæ* Latino idiomate Romæ Anno Christi millesimo quingentesimo duodecimo in lucem edita, cui postmodum alterum etiam tomum adjecit de vita, passione, morte, & resurrectione Christi, necnon de instrumentis Passionis Dominicæ unacum tomo primo sub annum a Christo millesimum sexcentesimum septimum Duacensibus literis excuso. Fertur Vigerius ad elucubrandum ejusmodi argumentum ea ratione permotus, quod Bajazethes Turcarum Imperator duas omnino pretiosas, si tamen genuinæ sunt, reli-

reliquias se possidere contenderet, quarum una erat Christi Domini tunica, altera vero fuit lancea ad aperiendum sacrum Christi latus adhibita: hanc Bajazethes Innocentio VIII. dono dederat, tunicam vero sibimet ipsi reservabat. Inde orta erat controversia, ut verum dicamus, admodum frivola, acerrima tamen, qnæ in eo sita erat, an donum Papæ factum reliquiis a Bajazethe retentis prævaleat? Igitur Vigerio datum est negotium, ut erudita quadam commentatione comprobaret, Lanceam, eoquod usque ad ipsum Christi Domini pectus penetrasset, sacroque cruore ejus tincta fuisset, infinite majoris esse pretii quam inconsutilem ejus tunicam, cum hæc nonnisi extimas Dominici corporis partes tetigisset, ut proin Bajazethes haud æquus sacrarum Reliquiarum æstimator extitisset. Hanc igitur veritatem Vigerius in laudato opere comprobare nititur, studioque argumenti dignitatem longe superante hanc quæstionem dilucidat. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

§. CXXXVII.

Cardinalis de Prie obitus.

Alter, quem eodem anno invida mors vivis eripuit, erat Cardinalis de Prie. Is Cardinalis de Ambasia avunculi sui potentia suffultus, ad summas Ecclesiæ

Sæc. XVI. A.C. 1516.

dignitates ascendit; nam præter Archidiaconatum majorem Bituricensem, Burgo-Dei *, & Preesensi ** Abbatiis, necnon Episcopatibus Lectorensi, Lemovicensi, & Bajocensi insignitus erat; tandem etiam inter Cardinales a Julio II. Papa Anno Domini millesimo quingentesimo septimo numerabatur. Biduo post Romam perveniens, ibidem cum Cardinale Claromontano versabatur, quando Julius arma in Ludovicum XII. Regem moverat. Hic Pontifex extrema tentare solitus, Claromontanum Cardinalem custodiæ dari jussit, alterum vero Roma exire vetuit (*) sub pœna privationis suorum beneficiorum: verum hac Pontificis diligentia nihil profectum; quippe Renatus de Prie, Carvajallus, Sanseverinas Cardinales, aliique nonnulli Genuam auffugerunt, inde Pisas delati, ut suo interessent Concilio. Horum ausu summus Pontifex vehementer

* *Bourg-Dieu*
** *Prée*

Aubery hist. Card.
Joan. d' Auton. hist. de Louis XII.
S. Marth. Gal. Christian.

(*) *Nullatenus Julius Papa in Cardinalem de Prie extrema tentabat*, ipse enim (*verba sunt Ciaconii fol.* 262.) summo Pontifici antea promiserat, seque juramento obstrinxerat de non recedendo sub pœna privationis omnium dignitatum etiam Cardinalatus, & quia sine licentia Pontificis a Curia ad Conciliabulum discesserat, perjurium Papa Cardinalitia dignitate privavit.

ter commotus, omnes Cardinalitia dignitate exuit, quos tamen Leo X. postmodum in integrum restituit. Tandem Cardinalis de Prie die nona Septembris anno Domini millesimo quingentesimo decimo sexto in Galliis animam efflavit, cujus corpus in Preesensi Abbatia sepultum requiescit, ubi hodiedum ferale ejus monumentum visitur. Sæcul. XVI. A. C. 1516.

§. CXXXVIII.

Jacobi Almaini obitus.

Duobus hisce Cardinalibus alios duos subjungimus Scriptores Ecclesiasticos eodem anno vivis ereptos, quorum primus erat Jacobus Almainus, alter vero Joannes Baptista Spagnolus, dictus alias *Mantuanus*. Horum prior apud Senones natus non inferioris notæ Scholasticus, ac subtilis Dialecticus habebatur, & in Navarræ Collegio Theologiæ Professor atque Doctor exstitit, ejusque auditores ipsius præcepta avidis auribus excipiebant. Eidem Facultas Theologica negotium dedit, ut librum refelleret, quem Cajetanus circa Pontificis auctoritatem Concilio superiorem elucubravit, ac Pisana Synodus Parisiensibus Doctoribus discutiendum transmisit. Hunc ergo Almainus solidis confutavit argumentis, suumque responsum coram frequenti

Bellarm. de script Eccl. Hist. Univ. Paris. to. 6. Dupin. Bibl. des aut. Eccl. to. 14. in 4. p. 4. Siecl. XVI

Sæc. XVI. A.C. 1516.

quenti Theologorum conſeſſu perlegit, cunctis unanimi ſuffragio Auctori applaudentibus. Preſſius inſtitit Scoti, Ockami & Bieli ſententiis, ejusque libri paſſim Scholaſticorum placita ſapiunt. Scripſit I. *Opus morale*, in quo de natura actuum & habituum, eorumque impedimentis diſſeruit, item de tribus virtutibus Theologicis, de virtutibus moralibus &c. Prodiit in lucem hoc opus Anno milleſimo quingenteſimo decimo, ac duobus poſt annis ſecundo prælo Pariſiis editum fuit. II. Elucubravit quæſtionem de dominio naturali, civili, & Eccleſiaſtico. III. Duos commentarios in tertium & quartum Sententiarum libros, quorum tamen poſtremum non abſolvit. IV. Ad poſteros tranſmiſit Expoſitionem circa deciſiones quæſtionum Magiſtri Guilielmi Ockami de poteſtate Eccleſiaſtica & ſæculari. V. Librum de auctoritate Eccleſiæ, & Conciliorum contra Cajetanum, cujus modo meminimus. VI. Commentarium de pœnitentia juxta principia Scoti. VII. Quinque tractatus Logicæ, quibus titulum præfixit: *Conſequentiæ* VIII. Dictata ſuper ſententias Magiſtri Roberti Holkot de actibus fidei, & libero arbitrio. Cuncta iſta opuſcula in unum majoris formæ volumen collecta Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo decimo ſexto Pariſienſibus literis excuſa fuerunt.

Cete-

Ceterum præcipue recenſeri merentur, quæ in deciſiones Ockami, & contra Cajetani librum de auctoritate Eccleſiæ elucubravit. Primum opuſculum inſcripſit *de poteſtate Eccleſiaſtica, & Laica:* Ibi loquitur de poteſtate jurisdictionis, qua in eos, qui Judicem pro cauſſa dicentem recuſant, ſententiam ferendi facultas tribuitur; hanc duplicis generis eſſe affirmat, quarum prima eſt *Eccleſiaſtica*, quam Chriſtus Dominus pro ſua Eccleſia juxta Evangelii legem ad ſalutem fidelium regenda Apoſtolis, ſuis diſcipulis, eorumque Succeſſoribus tradidit, altera dicitur *temporalis ſeu Laica*, „ quæ, ut inquit, primam ſuam originem „ trahit a populo, a quo in quasdam Per„ ſonas, vel per ſucceſſionem, vel per „ electionem derivata eſt ad civiles com„ munitates juxta leges Status regen„ das ad publicam ac tranquilitatem „ conſervandam. „ Hanc poteſtatem quantum *ad jus* a Deo deſcendere docet, non autem quantum *ad uſum* ſeu hujus juris adeptionem, quia illam Deus non *immediate* quibusdam Perſonis conceſſit, prout tamen illis poteſtatem Eccleſiaſticam tradidit. Sex autem diſtinguit poteſtatis Eccleſiaſticæ genera. I. Ordinis. II. Adminiſtrationis Sacramentorum. III. Jurisdictionis ad corrigendum & puniendum. IV. Miniſtros inſtituen-

Sæcul. XVI. A.C 1516.

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

ſtituendi. V. Apoſtolatus ad prædicandum. VI. Denique eleemoſynas ab Inferioribus pro Miniſtrorum ſuſtentatione colligendi poteſtatem. Ex hac diviſione quæſtionem reſolvit, *utrum poteſtas Eccleſiaſtica in ſingulis Sacerdotibus æqualis ſit?* pro qua Armachani & Marſilii ſententiam refert, qui quemlibet Sacerdotem de jure divino Confirmationis Sacramentum conferendi poteſtatem habere affirmarunt, addit tamen, magis communem eſſe opinionem docentium, quod ſolus Epiſcopus hujus, necnon Sacramenti Ordinis Miniſter ſit: Poteſtatem vero jurisdictionis in Sacerdotibus inæqualem eſſe, nullatenus in dubium vocat.

Suprema poteſtas temporalis, juxta Almainum conjungi poteſt cum ſumma poteſtate Eccleſiaſtica; aſt ſummus Pontifex ex ipſa Chriſti Domini inſtitutione hanc ſupremam poteſtatem in temporalia non habet; hæ enim duæ poteſtates diverſæ ſunt, ac circa diverſas verſantur res, nec ipſe Chriſtus Dominus ut homo, terrenus erat Rex Judæorum, minus vero totius orbis Dominus, nec in temporalia ullam habuit jurisdictionem, quam etſi habuiſſet, Eccleſiæ tamen ſuæ nec ſummo Pontifici illam conceſſit, proin Eccleſiaſticorum bona de jure divino a jurisdictione civili haud exempta ſunt. Poſt hæc Almainus fuſius excurrit

currit in excommunicationem, quam pro more Theologorum partitur in illam *a Jure*, & alteram *ab homine*. Pertractat etiam quæstionem de modo, quo Leges Ecclesiasticæ obligant, inde vero concludit, quod non modo Papa, sed quilibet alius Sacerdos in arcano tribunali seu in foro pœnitentiæ, ut vocant, imponere possit pœnam, quam pœnitens acceptare, eamque sub reatu peccati adimplere tenetur. Præterea ait, quod a Synodo generali condi possit Lex obligans sub peccato gravi, hoc tamen lethale non esset præcisa lege divina; eandem quoque potestatem condendi legem, cujus transgressio lethalis est, summo Pontifici adscribit. Differit etiam de dispensationibus, ubi affirmat, quod Papa, si legis gratiam in votis facit, sua auctoritate nullatenus voti simplicis obligationem tollat, sed duntaxat declaret, quod illud in particulari hoc eventu non adstringat. Pontificem vero in voto solemni dispensandi facultate carere contendit. Denique tres casus recenset, in quibus Concilium absque auctoritate Pontificis convocari potest. I. Si Papa definat esse vel per mortem naturalem, vel civilem. II. Cum requisitus illud celebrare nollet. III. Si locus & Concilii tempus ab alia priori Synodo jam præstitutum fuit. His casibus Synodus legitime congregata potest

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

Secul. XVI. A. C. 1516.

poteſt condere Canones, pœnas imponere, indulgentias impertiri, anathemata pronunciare, & diſpenſationes pari cum Papa jure concedere. Ultimo infallibilitatem Generali Concilio utpote cui Spiritus Sanctus aſſiſtit, annexam eſſe demonſtrat.

Iisdem omnino principiis de origine & extenſione poteſtatis Eccleſiaſticæ & civilis innititur tractatus, quem Almainus adverſus Cajetanum *de auctoritate Eccleſiæ & Conciliorum* conſcripſit, ac Triſtano de Salazar Senonenſi Archiepiſcopo nuncupavit. Præprimis velut Principium ſtatuit ac probat, poteſtatem Eccleſiaſticam *immediate* a Chriſto Domino Eccleſiæ ſuæ fuiſſe datam, inde vero contra Cajetanum concludit, Eccleſiam ſeu Generale Concilium, quod illam repræſentat, poteſtate ſua ſuperius eſſe ipſo ſummo Pontifice, hancque in rem plura Doctorum teſtimonia conglomerat. Demum adverſas, quibus hæc opinio impugnari poſſet, rationes diſſolvit, ac poſtquam Pontificis auctoritatem Concilio & Eccleſia inferiorem generatim demonſtraverat, ad particulares deſcendit functiones, in quibus Eccleſia ſuam poteſtatem exercet. In prima igitur quæſtione diſcutit, in quibusnam Papam eligendi poteſtas reſideat, ac reſpondet, illam Eccleſiæ a Chriſto Domino demandatam

datam fuisse. Secunda quæstione exponit, cuinam ultima decisio in materiis fidei competat, & hanc itidem Ecclesiæ aut Concilio Oecumenico adjudicat; illud enim in materia fidei supremum esse tribunal agnoscit, fatetur tamen, quod Synodus in quæstionibus *facti* divinitus non revelatis decipi possit. In tertia quæstione examinat, utrum Concilium Papam exauctorare valeat, supponitque, quod Papa in hæresin lapsus *ipso facto* munere suo haud quaquam excidat, sed primum a Synodo Papatu exuendus sit; quod & ipse Cajetanus admittit. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

Cum vero Cajetanus affirmaret, in ejusmodi casu Papam a Synodo non potestate auctoritatis deponi; „hinc ut Ca„ jetanus infert, non sequitur, quod Sy„ nodo in Papam quædam auctoritas „ competat, sed tantum deduci potest, „ quod Concilium in illam Personam, „ quæ Pontificia dignitate insignita est, „ jurisdictionem exerceat.„ Almainus infirmum hoc esse responsum ostendit, affirmans, in omni casu Pontificem Synodo inferiorem esse, ab ea exauctorari, imo etiam ante depositionem anathemate percelli posse, ita ut non ad id, excluso quocunque alio crimine sola, ut contendebat Cajetanus, hæresis sed quodlibet facinus tanta pœna dignum sufficiat,

Sæcul. XVI A.C. 1516.

idque comprobare nititur ex S. literis, necnon ex malis, quæ emergerent, si Papa, quantumcunque scelleratus esset, aut quodcunque crimen commisisset, Papatu exui non posset. Imo, inquit Almainus, contingere potest, quod Synodus generalis Papam etiam innocentem honoris sui gradu dejicere teneatur, prout schismatis tempore pro bono pacis factum novimus, ac fieri deberet, si Papa captus foret apud infideles, & de ejus libertate nulla spes supereſſet. Postea examinat, qua ratione Synodus convocari queat, in qua Pontifex, si necessitas urgeat, dijudicatur, & quamvis summo Pontifici Concilium congregandi potestatem jure avito competere haud inficietur, aliud tamen convocandi jus etiam Synodo adstruit, imo velut probabile tenet, quod ejusmodi jure Cardinalium Collegium gaudeat, cum necessitas id exigat, illudque Papa convocare recuset, si vero Synodus quoque, vel Cardinales in hoc casu Concilium habere detrectent, tunc quælibet Ecclesia particularis, ad cujus notitiam pervenit ejusmodi necessitas, illam aliis Ecclesiis manifestare, certumque locum pro habenda Synodo designare debet, ad quam ceteræ Ecclesiæ suos Prælatos mittere, locumque acceptare tenentur, non quidem ex vi hujus Ecclesiæ particularis, sed

sed ex jure naturali ac divino, quo omnes universalis Ecclesiæ salutem procurare adstringuntur: Subdit postea, quod tunc, si pleræque particulares Ecclesiæ ad indictum locum per suos deputatos convenirent, haud dubitandum, ejusmodi conventum legitimam esse Synodum, in eaque, aliis licet particularibus Ecclesiis vel obluctantibus, vel venire recusantibus, plenam Ecclesiæ auctoritatem residere (*). Sæcul. XVI. A.C.1516.

Ceterum Almainus ad calcem operis sui contestatur: se semper universalis Ecclesiæ definitioni opinionem suam subjecturum. Obiit admodum juvenis Anno a reparata salute millesimo quingentesimo decimo quinto, ab adepto Doctoratus honore quarto. Opera ac labore Oliverii Lugdunei cuncta illius opuscula *Launoius hist. Gymnas. Nav. p. 611.*

(*) Ex hac doctrina facile perspiciet Lector, an adeo prolixam illius enarrationem intra Historiæ Ecclesiasticæ limites horum tractatuum præstantia promereatur. Aliud sane fuit judicium Dominici Gravinæ, qui apud Rocabertum in sua Bibliotheca Rom. Pontif. tom. 8. fol. 823. Almainum confutat, & fol. 428. immodestum hujus Scriptoris calamum benigne excusat, his verbis: *Jam alias diximus, Almainum cum Gerſone in ſuo ſenſu abundaſſe propter tempora illa ſchiſmatica. Et non mirum, ſi DD. Catholici in dictorum Auctorum ſententiam abierint, ex præcedenti enim temporis hujus incendio fumus adhuc ex Conciliabulo Piſano exhallabat, qui oculos horum, & alias piiſſimorum Doctorum offendit.*

Secul. XVI. A.C. 1516.

altero post ejus obitum anno Parisiis publicam lucem aspexere, quibus præfationem Oliverius subjungens fusius in Almaini laudes excurrit, & perspicuam illius methodum, ac solida commendat principia, ex quibus apte ac concluse sua argumenta deduxit, eaque Sacræ Scripturæ, Synodi Patrum testimoniis, & validis rationibus firmavit. Falluntur illi qui Almainum Religiosæ cuidam familiæ adscriptum referunt, hinc Pater Labbæus Gesnerum, & Simmlerium Abbreviatorem suum hujus erroris merito postulat. Aliqui eundem sub vexillo S. Francisci meruisse volunt, alii illum suppresso S. Ordinis nomine præcise *Monachum* appellant: id omnino certum, quod Almainus Navarræ Doctor fuerit, ac cum ingenti viri æque docti ac humilis nec non veritatis studiosissimi fama rebus humanis valedixerit.

Labbe de Script. Eccl. t. 1. p. 488.

§. CXXXIX.

Extrema Joannis Baptistæ Spagnoli seu Hispanioli alias MANTUANI.

Eodem hoc anno millesimo quingentesimo decimo sexto die vigesima Martii Joannes Baptista Spagnolus ab ejusdem nominis urbe, qua natus erat, vulgo *Mantuanus* dictus, extremam diem obiit,

Paul. Jov. in elog. Doctor. c. 11. Vossius lib. 3. de Histor. Latin.

obiit, anno ætatis ſuæ ſexageſimo octavo. Is primam lucem aſpexit, ut ipſemet teſtatur, Anno ſalutis ſupra milleſimum quadringenteſimo quadrageſimo octavo, ex quadam illuſtriſſima Mantuæ familia, a qua *Spagnoli* nomen traxit, oriundus, quem illegitimo concubitu natum Paulus Jovius narrat, ſed plurium Scriptorum teſtimonio falſitatis convincitur. Spagnolus ſacræ Carmelitarum Familiæ in Congregatione Mantuana nomen dedit, cujus ſexta omnino vice ſupremus renunciabatur Vicarius, quo munere adeo digne fungebatur, ut Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo decimo tertio ſummum totius Ordinis Magiſterium acceptare cogeretur, qua tamen dignitate haud diu potiebatur, tertio poſt anno vivis ereptus. Ingenii ſui monumenta Pater Laurentius Guyler Bruxellenſis in quatuor collegit voluminibus, quæ Anno a Chriſto nato ſupra milleſimum quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto Antverpienſibus literis primo in minori forma, demum Pariſiis Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio in duobus majoris formæ tomis excuſa prodierunt, quæ Badius, Brantius, aliique nonnulli ſuis illuſtrarunt commentariis. De eodem ſcribit Lilius Geraldus, quod liberali naturæ beneficio ad artem Poeticam natus eſſet, eam tamen quando-

Sæcul. XVI. A.C. 1516.

Petr. Lucius Bibliot. Carmel.

Dupin Bibl. des Auteurs Eccl. tom. 14. p. 97.

Lilio Giraldi dialog. 1. de Poet. ſui temp.

Sæcul. XVI. A. C. 1516.

que minus assecutus fuerit, eoquod innumera ferme Carmina composuisset. Nihilominus stupenda prorsus felicitate versus fuderat; ligato enim sermone plusquam quinquaginta quinque versuum millia scripsit, quos inter quam plurimi non modo elegantissimi, sed etiam e vena sponte fluentes numerantur. Infinitis pene encomiis illius nomen celebrat Trithemius (*); Jovinianus quoque Pontanus, Picus de Mirandula, aliique plures copiosissime in ejus laudes excurrunt.

Bellarm. Trith. de Scriptor. Eccl.

Posteritati reliquit commentarium in septem Psalmos; duos libros de vita S. Nicolai Tolentini; Poemata in honorem septem Virginum, nempe Deiparæ Virginis Mariæ, nec non in Laudem Sanctarum Catharinæ, Margaritæ, Agathæ, Luciæ, Apolloniæ & Cæciliæ, quarum vitas

(*) *Mantuanus Ordinis Fratrum B. M. de monte Carmelo, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularium literarum scientia nulli secundus, S. Theologiæ Doctor, Philosophus insignis, poeta, & orator celeberrimus, ingenio excellens, sermone disertus, vita & conversatione præclarus, latinæ linguæ decus, & græcæ clarus interpres, metro excellens, & prosa. Scripsit utroque stylo multa egregia volumina, quibus nomini suo per universum orbem Christianum famam celebrem acquisivit. Vivit adhuc in Italia celeberrima opinione ubique nominatus.* Ita Trithemius auctor coævus.

vitas ac Martyrii hiſtoriam deſcripſit, præfixo nomine *Parthenicon*; præterea elucubravit tres libros de vita S. Dionyſii Areopagitæ; librum de vita S. Georgii, alium de geſtis S. Ludovici Morbioli Bononienſis; Poemata in honorem S. Joannis Baptiſtæ, & S. Alberti Carmelitæ Siculi; tres libros de patientia; alium de Beatitudine in proſa; tres libros de calamitate ſuorum temporum ſeu de ſeptem peccatis capitalibus, nec non ſcripſit varia carmina *de ſuſcepto Magiſterio Theologico*, de *natura Amoris*, & *de morte contemnenda*; tractatum contra detractatores, alium adverſus calumniatores; librum de variis Sacræ Scripturæ interpretationibus; decem libros ſeu *Eclogas adoleſcentiæ contra Poetas impudice ſcribentes*, ac varia alia argumenta; duodecim *Faſtorum libros ſecundum duodecim anni menſes digeſtos*; Hiſtoriam Eccleſiæ Lauretanæ; ac denique Apologiam pro Ordine Carmelitarum (*). Sæcul. XVI A.C. 1516.

§. CXL.

Mors Ladislai VI. Bohemiæ, & Hungariæ Regis.

Pari fato eodemque anno die decima quinta Martii, quæ erat feria quinta Ladis-

(*) *Quam plurima alia poſteris reliquit; de quibus conſuli poteſt Poſſevinus in ſuo apparatu, Verbo:* Baptiſta Hiſpaniolus.

Sæcul. XVI. A.C.1516.

Ladislaus VI. Bohemiæ ac Hungariæ Rex mortalitatem exuit. Erat Filius Caſimiri Poloniæ Regis, cujus auxilio Bohemiæ Regnum adeptus, propria demum animi fortitudine, ac ingenii dexteritate Anno Domini milleſimo quadrageſimo nonageſimo Hungariæ coronam ſibi vindicavit, mortuo Matthia Corvino Joannis Huniadis filio; Beatrix enim Matthiæ vidua conjugii ſpe capta Ladislai rebus impenſe favebat. Equidem illi res erat cum tribus, iisque potentiſſimis regni æmulis, nimirum Joanne ſpurio Prædeceſſoris ſui Filio; Maximiliano Auſtriaco, & Alberto proprio ſuo fratre, quem Caſimirus eorum Pater Hungariæ ſolio intrudere cupiebat, cauſſatus, Ladislao Bohemiæ coronam ſufficere: nihilominus tam ſecunda Ladislai votis adſpirabat fortuna, ut Competitorum ſuorum conſilia feliciter eluderet. Conjugem habuit Annam de Fuxo, ex qua Annam & Ludovicum ſuſcepit, quem nonniſi biennem coronari curavit, ut Regni ſui tranquilitas conſervaretur. Aſt inutilis erat provida Patris cura, morte Filium ejus paulo poſt rebus humanis eripiente.

Dubrav. rer. Hungar. l. 32

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXXV.

LEO X. PONTIFEX.
MAXIMILIANUS I. OCCIDENT. IMPERATOR.

§. I.

Papa Lateranenſi Concilio finem imponere cogitat.

Summus Pontifex, cum Lateranenſe Concilium abſolvere meditaretur, die decima tertia Menſis Martii Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo in ſuperiori Vati-

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

Labbe Conc. t. 14. p. 321.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

Vaticani Palatii Sacello Congregationem habuit, cui Cardinales, Archipræſules, Epiſcopi, ceterique omnes interfuerunt; cum vero in alla quadam Congregatione particulari de ſedendi prærogativa inter Epiſcopum Siracuſanum Regis Hiſpaniarum Oratorem, & Aquilejenſem Patriarcham contentio eſſet exorta, ſancitum fuit, ut ambo hi Antiſtites non ordine conſueto, ſed prout quisque Sacellum ingrederetur, locum pro arbitrio occuparent. Poſt hæc agebatur de materiis in poſtrema Seſſione promulgandis, ac inter cetera proponebatur, quod Conſtitutio Paulina in bonorum Eccleſiaſticorum invaſores edita non modo confirmanda, ſed etiam extendenda eſſet, Cardinalium tamen ſententia eo abibat, ut hæc Bulla omnino intacta relinqueretur, nec de illa quicquam agitaretur. Cum vero de decimarum impoſitione pro ſacro bello adverſus Turcas Patrum ſententiæ rogarentur, cenſuit quidam Epiſcopus, decimas, priusquam bellum fuiſſet initum, exigendas haud eſſe: diſplicuit tamen ceteris hujus Epiſcopi opinio.

Raynald. ad an. 1517. n. 1. Spond. eod. loc.

§. II.

Seſſio XII. Lateranenſis Concilii.

His ita diſpoſitis die decima ſexta Martii Seſſio duodecima, eaque ultima cele-

Labb. l. c. p. 324.

celebrata fuit. Sacrum ſolemni ritu decantabat Cardinalis S. Crucis, qui quondam præcipuus erat Piſani conventus Auctor. Sermonem habuit quidam Epiſcopus de auctoritate, ac Conciliorum dignitate, necnon de ferventi ſtudio, quo Principes Græciam a Turcarum oppreſſionibus liberare feſtinarent. Oratione abſoluta Cardinalis S. Mariæ in *porticu.* S. Evangelium cantavit, dictisque de more precibus quidam, qui Synodo ab Epiſtolis erat, conſcenſo ſuggeſtu literas recitavit Maximiliani Cæſaris, Mechliniæ in Brabantia ultima Februarii ad Papam ſcriptas; in quibus Eccleſiam a Turcis oppreſſam, ac proſperos armorum eorum ſucceſſus copioſe deplorat, hortatusque Pontificem, ac Synodi Patres, ut ſeſe ad hujusmodi expeditionem accingerent, pollicitus, ſe quoque opes, viresque ſuas collaturum. Recenſet quoque victoriam nuper a Selimo Turcarum Imperatore de Perſis partam, rogatque Pontificem, ut ulterioribus Chriſtianæ Religionis inimici progreſſibus toto ſtudio obſiſtere adlaboraret.

Sæcul. XVI. A. C. 1517.

Pariſ. de Graſſis MS. Arch Vatic.

Raynald. l. c. n. 2.

Fuit deinde innovata Conſtitutio contra eos, qui Cardinalium ad Pontificatum aſſumptorum ædes invadunt, hæc quamvis non omnibus plene probaretur, nihilominus rata habebatur, ac publice prælegebatur. Hac Conſtitutione confirma-

Sæcul. XV. A.C. 1517.

firmabantur Bullæ Honorii III. & Bonifacii VIII. hanc in rem jam olim editæ.

§. III.

Finis Concilii V. Lateranensis.

Aliud insuper promulgabatur Decretum, cujus summa hæc est. *Cum Concilium ipsum usque ad perfectionem caussarum, propter quas indictum exstiterat, perduxerimus, præcipue ut inter Principes Christianos armis depositis firma pax componi valeret, conatus nostros adhibuerimus, altera vero præfati Concilii caussa fuerit schismatis ac Pisani conciliabuli extirpatio, generalis reformatio, etiam Curiæ: reliqua cura esset, discussio, & abrogatio Pragmaticæ Sanctionis, resque Orthodoxæ fidem concernentes, cumque hæc favente Deo, & approbante sacro Concilio per nos discussa, absoluta & terminata essent, omnia & singula in præcedentibus undecim Sessionibus gesta, ac facta Apostolica auctoritate approbamus, & innovamus, ac inviolabiliter observari decernimus. Unde justis de caussis præsens Concilium absolvimus, & cum Benedictione Domini Prælatos Synodi dimittimus:* Eodem decreto Papa decimas imponi decrevit, cunctosque Beneficiis provisos adhortatus est, ut decimas in expeditionem Turcicam ex eorum beneficiis exigi permitterent. Equidem multi ex Patribus cense-

censebant, non satis adhuc aliis prospectum esse caussis, ideoque Synodum non tam cito dissolvendam, nihilominus majori parte hujc decreto acquiescente finis est Concilio impositus. Quapropter cum Cardinalis S. Eustachii alta, distinctaque voce cantaret: *Domini, Ite in pace*, ac cantores capellæ Pontificiæ in eodem tono: *Deo gratias* responderent, mox incipiebatur Hymnus Ambrosianus, quo absoluto Pontifex mulo vectus ad Palatium reversus est, comitantibus eum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Oratoribus, aliisque quamplurimis Proceribus: Finita igitur est Synodus V. Lateranensis, postquam quinque ferme annos tenuisset. Sæcul. XVI. A.C. 1517.

§. IV.

Francisci Pici Mirandulani Oratio de correctione morum.

Ad calcem operum Pici de Mirandula habetur oratio, quam nonnulli in hac ultima Sessione perlectam contendunt, quamvis in Actis Concilii desideretur; in illis quippe non nisi sermo a Maximo Corvino Æsernienfi Episcopo declamatus reperitur; illa autem oratio, quam inter Pici Mirandulani opera relatam diximus, gravibus admodum verbis concepta est, illiusque Auctor corruptos illius ævi mores

Extat in fin. oper. Pici Mirand. & apud Orthuin. in Fasc. rer. expet.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

res acrius insectatur. *Cerno equidem*, inquit Picus, *sæpenumero sermonem esse habitum de novis statuendis legibus, ego autem de veterum custodia differere aggredior contra luxum, libidinem, avaritiam, pro pietate, & justitia, ceterisque virtutibus: multi Principes priscam simplicitatem in astutiam, castitatem in nequitiam, liberalitatem, & parsimoniam in Luxum & avaritiam converterunt, apud plerosque Religionis primarios, ad quorum exemplum componi ac formari plebs deberet, aut nullus est, aut certe exiguus Dei cultus; nulla bene vivendi ratio, nullus pudor, nulla modestia; justitia vel in odium, vel in gratiam declinavit, pietas in superstitionem pene procubuit, virtus vitio vertitur, vitia virtutum loco honorantur: Sacræ ædes lenonibus, & catamytis commissæ, nefariis lupis optimi Pastoris ovilia demandata, exempta, & divendita Sacerdotia.* Hortatur demum Leonem, ut his malis mederi, cunctosque ad leges Ecclesiæ servandas cogere velit, eundemque terret exemplo Heli summi Sacerdotis, graviſſime a Deo puniti, quod non animadvertisset in liberos suos (*)

§. V.

(*) Spondanus ad annum 1517. num. 3. ex quo hæc ad verbum descripta sunt, haud immerito, an hæc oratio Joannis Francisci Pici vere

Sæcul. XVI. A. C. 1517.

§. V.

Conjuratio in vitam Leonis decreta.

Exiguo post absolutam Synodum tempore summus Pontifex de conjuratione in ejus vitam conflata nuncium accepit, præcipuis Auctoribus Alphonso Petruccio Senensi, & Bendinello Saulio Cardinalibus. Ambo Franciscum Mariam Ruvereum Julii II. Nepotem, cui Urbinatis Ducatus parebat, a Leone deturbatum ægerrime ferebant; præcipue vero Petruccius indignabatur, quod tam ipsum, quam fratres suos Burghesium & Fabium Papa Senis expelli curasset, quamvis Pandulphus eorum Pater hujus Reipublicæ Princeps Medicæis, ut Imperium Florentinum recuperarent, summam dicasset operam. Igitur Petruccius vindictam de Papa sumpturus, aut Ruvereum in Urbinatis Ducatum reponere, aut Leonem veneno interficere, animo constituit, hancque in rem quosdam Cardina-

Guicc. l. 13. Paul. Jov. in vit. Leon. X. Victorel. in addit. Ciac. Bemb. l. 15. p. 23. Paris l. c. t. 4. p. 200.

vere fuerit, ibidem in dubium i vocat: *Ut quid enim*, inquit, *non actis Synodicis inserta, cum singulis Concilii Sessionibus aliæ inserantur a diversis habitæ?* Nunquid aberant Episcopi, Prælati. aut Religiosi, ut Viro Laico in publico Patrum Senatu declamandi munus demandari debuerit?

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

dinales aliis de cauſſis erga Papam minus affectos facinoris ſocios adlegere ſategit; horrebant illi ſceleris atrocitatem, nihil tamen Petruccius inde territus ſacrilegi conſilii executionem paravit, tandemque Chirurgum, qui quoddam Papæ ulcus curabat, ad ſuas partes pertraxit. aſt neque hoc ſuccedente conſilio Roma abiit unacum Bendinello Cardinale, demum vero ambo cum Urbinatis Duce, & Carolo Ballione conſpirarunt. Re comperta ſummus Pontifex datis literis Petruccium rogabat, ut Romam rediret, nullosque Senis tumultus concitaret: aſt ille paternæ admonitionis impatiens, atque Senenſium Rempublicam ad Seditionem commovere deſperans, ad priſtina Papam necandi conſilia rediit.

§. VI.

Ambo Cardinales comprehenſi, ac cuſtodiæ dati.

Opportune tamen quarumdam literarum, quas hanc in rem Petruccius ſcripſerat, indiciis res detecta eſt. His enim interceptis, ac Leoni traditis, is de ſalute ſua anxius, ſingulari utebatur ſolertia. Ergo Petruccium Romam redire identidem hortatur, eo uſus obtentu, perinde ac ſi cum eo agere vellet de mediis, quibus in Senenſem Eccleſiam revocari

vocari posset. Cardinalis hac spe decep- Sæcul. XVI. A. C. 1517.
tus, Romam revertitur, qui tamen una-
cum Bendinello complice suo protinus
capitur, atque in arcem deducitur. Post
hæc Pontifex habita Patrum ac Legato-
rum Senatu hujus severitatis causas ex-
posuit, totamque conjurationis seriem
detexit, ac solida illius indicia produxit,
addens, quod hujus sceleris vindictam
sacri Collegii judicio relinquat. Igitur
tribus Cardinalibus res committitur, qui
discusso Petruccii crimine judicii acta ad
Pontificem referunt; demum ambo rei
quæstioni subjiciuntur, scelusque confes-
si, lata in eos sententia Cardinalium ho-
noribus exuuntur, rerum capitalium ju-
dicibus traditi, a quibus Alphonsus Pe-
truccius die vigesima secunda Junii in
carcere strangulatus fuit: Pari quoque
fato Bendinellus sacrilegi furoris sui pœ-
nas dedisset, nisi Pontificis Beneficio ejus
supplicium in perpetua vincula commuta- *Raynald. ad*
tum fuisset; imo eundem Pontifex non *an* 1517.
multo post, imposita pecuniarum mulcta, *n.* 92. 93.
(*) in libertatem, pristinumque gradum *94. &c.*
resti-

(*) *De datis pecuniis Paris de Grassis, qui tamen ipsus hujus reconciliationis testis oculatus erat, cunctaque exacte descripsit, nullam omnino mentionem facit. Vide Raynaldum loco supra citato.*

Sæcul. XVI. A.C.1517. restituit, ita tamen, ut nec eligere unquam, nec eligi in Purpuratorum Senatu posset: Cardinalis vero Volateranus, & alter tit. S. Chrysogoni sese ad Pontificis pedes abjecerunt ad exorandam illius clementiam, seque criminis conscios confessi sunt, obtenderunt tamen, quod non putassent, Petruccium tam atrox scelus unquam perpetraturum; nihilominus de gradu Cardinalitio dejecti fuerunt; ex reliquis nonnulli magna pecunia mulctati, alii, qui minus nobili genere orti erant, in quatuor partes dissecti sunt.

§. VII.

Cardinalium Senatus triginta & uno auctus.

Ciacon. in Leon. X. p. 346. Panvin. de Rom. Pont.

Cum summus Pontifex aliquo abhinc tempore ceteros ferme omnes Cardinales animo a se haud parum alienos animadverteret, eosque hac legum severitate magis exasperatos timeret (*), de novo Cardinalium Senatu creando consilium iniit: ea de re in una nempe die vigesima septima Junii seu prima Julii, quod nunquam hactenus contigerat, unum & triginta ex variis nationibus pronunciavit. Hi erant sequentes: I. Franciscus de Comitibus, patria Romanus, Archiepiscopus

(*) *Vide §. 45. Ubi hoc anno quinque Cardinales præter alios non recensitos vivis ereptos reperies.*

pus Compsanus, tit. S. Vitalis. II. Jo- Sæcul. XVI.
annes Piccolominæus, Senensis, ejus- A.C.1517.
demque urbis Archiepiscopus, tit. S. Balbinæ, postea Episcopus Ostiensis, ac sacri Collegii Decanus. III. Joannes Dominicus de Cupis, Romanus, Tranensis Archiepiscopus, titulo S. Joannis ante Portam latinam, postmodum Episcopus Ostiensis, & itidem Decanus. IV. Nicolaus Pandulphinus, patria Florentinus, Pistoriensis Episcopus, tit. S. Cæciliæ. V. Raphael Petruccius Senensis, Suannensis Episcopus, tit. S. Susannæ. VI. Andreas de Valle Romanus, Melitensis Episcopus, tit. S. Agnetis, postea S. Priscæ. VII. Bonifacius Ferrerius patria Vercellensis, Eporediensis Episcopus, primo tit. SS. Nerei, & Achilei, demum Episcopus Portuensis. VIII. Joannes Baptista Pallavicinus, Genuensis, Episcopus Cavallicensis, tit. S. Apollinaris. IX. Pompejus Columna Romanus, Reatinus Episcopus, postea Montis regalis, & Aversanus Archiepiscopus, primum tit. SS. duodecim Apostolorum, deinde S. Laurentii in Damaso, ac demum Neapolis Prorex. X. Scaramutia Trivultius Mediolanensis, Comensis Episcopus, tit. Cyriaci. XI. Dominicus Jacobatius Romanus, Lucerinus Episcopus, tit. S. Laurentii, postea S. Clementis, & S. Apollinaris. XII. Laurentius Cam-

Sæcul. XVI A.C. 1517.

pegius Bononiensis, ejusdem urbis, ac Feltri Episcopus, tit. S. Thomæ, postea S. Mariæ Transtiberim, & Sabinensis, ac Prænestinus Episcopus. XIII. Ludovicus Borbonius, natione Gallus, Laudunensis Episcopus, postmodum Senensis Archipræsul, tit. S. Sylvestri. XIV. Adrianus Florentius natione Belga, Lovaniensis Decanus, postea Dertusensis Episcopus, tit. SS. Joannis & Pauli, qui postea Hadrianus Papa ejus nominis sextus fuit. XV. Ferdinandus Ponzetta, Neapolitanus, Melphitensis Episcopus, tit. S. Pancratii. XVI. Ludovicus Rossius, seu de Rubeis, Florentinus, ex sorore Pontificis Nepos, tit. S. Clementis. XVII. Franciscus Armellinus, patria Perusinus, illiusque civitatis Episcopus primum tit. S. Marci, postmodum S. Calisti. XVIII. Thomas de Vio, Cajetæ natus, unde vulgo *Cajetanus* dictus, supremus Ordinis FF. Prædicatorum Magister generalis, tit. S. Sixti. XIX. Christophorus Numalius, natione Italus, patria Forolivienſis, Ordinis FF. Minorum generalis Minister, postea Cardinalis titulo S. Bartholomæi in Insula, demum S. Mariæ in Aracœli. XX. Ægidius Viterbiensis, Eremitarum S. Augustini Prior generalis, tit. S. Matthæi, postea S. Marcelli, qui fuit etiam Patriarcha Constantinopolitanus. XXI. Guilielmus Raymun-

mundus Vich, natione Hiſpanus, tit. S. Marcelli, Epiſcopus primo Cephaledenſis, dein Barcinonenſis. XXII. Sylvius Paſſerinus, Cortonæ in Italia natus, tit. S. Laurentii *in Lucina*, Peruſinus Legatus, & Barcinonenſis Epiſcopus. XXIII. Franciſcus Urſinus, patria Romanus, Cardinalis Diaconus tit. S. Georgii *in Velabro*. XXIV. Paulus Æmilius de Cæſis, Romanus, tit. S. Euſtachii. XXV. Alexander Cæſarinus, itidem Romanus, tit. SS. Sergii & Bachi, poſtea S. Marcelli, ac demum S. Mariæ *in via lata*, Epiſcopus Albanenſis, & Pampilonenſis. XXVI. Joannes Salviatus, Florentinus, ex Pontificis ſorore Nepos, tit. SS. Coſmæ & Damiani, Epiſcopus Portuenſis. XXVII. Nicolaus Rodulphus, Florentinus, Sororis Papæ Filius, tit. SS. Viti & Modeſti, Vicentinus, & Viterbienſis Epiſcopus, Salernitanus, & Florentinus Archipræſul, poſtmodum Cardinalis Presbyter tit. S. Mariæ *in Coſmedin*, & S. Mariæ *in via lata*. XXVIII. Hercules de Rangonibus, Mutinenſis, ejusdem ſuæ patriæ Epiſcopus, tit. S. Agathæ. XXIX. Auguſtinus Trivultius, Mediolanenſis, primum tit. S. Adriani, deinde S. Nicolai *in carcere*, Bajocenſis Epiſcopus. XXX. Franciſcus Piſanus, Venetus, Patavii Epiſcopus, tit. S. Theodori, demum S. Marci, Narbonnenſis Ar-

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

ch epiſcopus, Oſtienſis Archipræſul, & S. Collegii Decanus. XXXI. Alphonſus, Infans Luſitaniæ, Emanuelis Regis Filius, tit. S. Luciæ, qui vix tum egreſſus annum ætatis octavum, natus erat die vigeſima tertia Aprilis Anno Salutis milleſimo quingenteſimo nono. Is a ſummo Pontifice renunciatus eſt Cardinalis, ea tamen conditione, ut nunquam haberetur tanquam Cardinalis, niſi perveniſſet ad decimum quartum ætatis annum.

§. VIII.

Alii duo Cardinales creati.

Gaguin. l. 11. Joan. Chenu Hiſt. Arch. Bituric. Garimb. l. 6. Aubery hiſt. Card. Ciac. p. 345. Frizon. Gall. purp. San Marth. Gall Chriſt. & Hiſt. l. 28.

Priusquam hæc Cardinalium electio fieret, paulo ante, nimirum prima die Aprilis feria quarta ejusdem anni Leo Papa alios duos purpura decorabat; horum primus erat Antonius Boherius, natione Gallus, ex Alverniæ Provincia, Iſſioduri natus, Filius Auſtremontii Boherii Baronis de Saint Cierque, & Annæ de Prato, quæ Cancellarii ejusdem nominis amita erat. Is Fiſcani Ordinem S. Benedicti profeſſus demum ejusdem Abbatiæ necnon Rothomagenſis ad S. Ovanum Abbas renunciabatur, tandemque ex Bituricenſi Archiepiſcopo Cardinalis creatus, aſſumpſit titulum S. Anaſtaſiæ, quem tamen poſtea commutavit. Alter erat Guilielmus de Croy, ſeu de Croia, ex

ex familia nobiliſſima in Belgio natus. Fuit Cameracenſis Epiſcopus, ac demum inter Diaconos Cardinales ſedit, titulum S. Mariæ *in Aquiro*, poſtea Archiepiſcopatum Toletanum adeptus. Hic Archiepiſcopali Cameracenſi Eccleſiæ jamjam octavo decimo ætatis ſuæ anno præficiebatur; demum vero a Leone Papa purpuram accepit ad preces Caroli V. Hiſpaniarum Regis, a quo etiam progreſſu temporis Cancellarii munere augebatur. Sæcul. XVI. A. C. 1517.

§. IX.

Concordatum Franciſci Regis juſſu a Parlamento receptum.

Equidem Franciſcus I. Galliarum Rex probe animadvertit, quod concordatum nuper a ſe cum Leone X. initum illis minus probaretur, quibus, præcipue vero Pariſienſi Parlamento vera Regni utilitas magis cognita erat, rem tamen jam eo proceſſiſſe autumabat, ut illam reſcindere nefas foret. Quapropter concordatum a Lateranenſi Synodo receptum vix edoctus, omnes eo curas intendit, ut illud in Regno ſuo a cunctis acceptatum in acta referretur. Detulit illud Regi tum Pariſiis agenti Bajocenſis Epiſcopus Sedis Apoſtolicæ Legatus: erat autem deſcriptum in libro plumbeis ſigillis munito, ac ſerica albi coloris tela involu-

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

voluto, unacum alio libro, qui panno aureo contectus Pragmaticæ Sanctionis revocationem continebat: uterque vero liber Papæ, Regisque insignia phrygio opere affabre elaborata præseferebat: Ambas igitur hasce Constitutiones a Rege ratas haberi, in acta referri, atque ab ejus Parlamento promulgari postulabat Nuncius: quas quidem Franciscus Rex recepit, nonnisi tamen Concordatum publicari jussit, suppressa revocatæ Sanctionis promulgatione. Ergo die quinta Februarii ad Senatus Curiam magno numero Episcopos, Præsides, Consiliarios, Ecclesiæ Parisiensis ad B. V. Canonicos, Theologiæ Doctores, atque Universitatis subditos convocari præcepit; ipsus quoque consessum adiit, ac per Pratum Cancellarium suum congregatis hæc exposuit: „ Ludovicus XII. a Julio II. inique „ vexabatur, non modo Principum Chri„ stianorum armis adversum ipsum evo„ catis, sed etiam censuris, ac minis, „ quibus Mediolanensi Ducatu, regno„ que deturbari timebat, per has ipsas „ autem minas Papa a Rege Pragmaticæ „ Sanctionis abrogationem extorquere „ meditabatur, ac præcipua hujus odii „ causa erat, præter nonnullos Italiæ „ Principes Sanctitatis suæ hostes, Regis „ patrocinium, quo Pisanum Concilia„ bulum fovebat, atque hanc ob causam

„ Papa,

„ Papa, ut Ludovicus Rex velut hære- Sæcul. XVI.
„ ticus ac ſchismaticus denunciaretur, A.C.1517.
„ convocavit Lateranenſe Concilium,
„ & fœdus adverſus Gallos iniit cum
„ Cæſare, Hiſpaniæ ac Angliæ Regibus,
„ imo cum ipſis etiam Helvetiis, nec
„ alio ex fine iisdem cunctas conceſſit
„ urbes, quas ipſi Galliæ Regno irripe-
„ re poſſent, atque inde proceſſit jactu-
„ ra Mediolanenſis Ducatus, Genuenſis
„ Reipublicæ, atque Aſtenſis Comitatus,
„ nec non inde ſecuta eſt hoſtium irru-
„ ptio in Burgundiæ, ac Picardiæ Pro-
„ vincias; ac denique hanc ob cauſſam
„ Leo X. Prædeceſſoris ſui veſtigia preſ-
„ ſit, nec minus Gallis infenſus videtur. „

His ſubjunxit Cancellarius: „ Prag- *Vide Prag. Sanct. t. 27. hujus Hiſtor. Lib. CVII. §. 100. & ſeq.*
„ maticam tamen Rex tueri ſtuduit, at-
„ que ideo a Lateranenſi Concilio velut
„ contumax fuit pronunciatus; noluit
„ pro defendenda Sanctione Deputatos
„ ad Synodum mittere; haud enim ig-
„ norabat, quæcunque in ejus favorem
„ allegarentur, minime probari, præ-
„ valente implacibili odio in hanc legem
„ a Curia Romana concepto, quæ nil in-
„ tentatum reliquit, ut demum abroga-
„ retur; quapropter tandem cenſuit Rex,
„ quod ejusmodi legem tueri, inconſul-
„ tum foret, præſtaret vero, ſeſe ultro
„ ac ſine exceptione Synodi judicio ac

Sæcul. XVI. A.C. 1517. „ definitioni ſubjicere, ut hac via eas, „ quibus ante Conſtantienſe & Baſileen- „ ſe Concilium Eccleſia expoſita fuerat, „ calamitates declinaret, eosque præ- „ verteret tumultus, qui Regnum pro- „ pter reſervationes, gratias exſpectati- „ vas, aliasque Romanorum vexationes „ agitaverant: ſi enim, proſequitur Can- „ cellarius, Rex ſeſe Concilio ſubjicere „ recuſaſſet, totum Regnum generalis „ interdicti pœnæ expoſitum, ac ipſe- „ met forte primo occupanti ditiones „ ſuas cedere compulſus fuiſſet; id enim „ jamjam molitus erat Julius Pontifex. „ Rex igitur ejusmodi malis haud vitan- „ dis preſſus, aliunde jamjam bello, cu- „ jus exitus forte Gallis funeſtus erit, „ implicitus, pacem cum ſummo Ponti- „ fice inire ſtatuit, ac concordatum cum „ illo firmavit, & Synodo fidem ſuam „ obſtrinxit, juſſurum ſe, ut hæc pacta „ in Galliis rata haberentur, actisque inſer- „ ta, atque a Parlamento promulgata „ in toto demum Regno ſervarentur. „ Tandem Cancellarius ſuum abſolvit ſer- monem, addens: *Hæc eſt ſumma Regis mei voluntas.*

Finita Cancellarii oratione, Præſu- ſules, Canonici, Doctores, ac Univerſi- tatis ſubditi receſſerunt, ſecreto cum Præ- ſidibus, ac Conſiliariis hac ſuper re de- libe-

liberaturi. Cardinalis Boiſius nomine Ecclesiaſticorum, qui & ipſi ad conventum vocabantur, verba fecit: „ Præſens, „ inquit, materia totius Eccleſiæ Galli„ canæ ſtatum reſpicit, eo igitur non „ convocato, res dijudicari nequit.„ Diſplicuit Regi horum conſilium, atque indignabundus reſpondit, aut ego vos parere compellam, aut Romam ite, cum ſummo Pontifice rem acturi, huic veſtræ repulſæ cauſſas aut damnandas aut probandas exponere debebitis. Mox Bailletus Præſes, Parlamenti nomine, repoſuit, ſe Regiæ ſuæ Majeſtatis voluntatem Curiæ indicaturum, omnemque in hoc negotio navaturum operam, ut Deo, Regique plene ſatisfiat. Ampla prorſus promiſſio! cui Cancellarius ſubjunxit, hæc tua ſententia mihi ſummopere probatur, Rexque (ita loquebatur Pratus) hoc negotium quantocius abſolvi præcipit, quapropter id ipſum & ego vobis injungo. Sæcul. XVI. A.C. 1517.

§. X.

Regis edictum de recipiendo Concordato.

Soluto hoc conventu Rex die decima quinta Maji Anno ſupra milleſimum quingenteſimo decimo ſeptimo edictum Concordata continens promulgari juſſit, quo *Pinſſon. l. c. p. 731.*

Sæcul. XVI. A.C. 1517. quo Parlamento, ceterisque omnibus Regni sui Judicibus, ac justitiæ Ministris præceptum, ut hanc legem custodirent, observarent, juxta illam deciderent, ejusque executionem urgerent. Aliquot post diebus Borbonii Dux Franciæ Conestabilis, Joannes Albretus, Orvalius, & Pratus Cancellarius Regii Senatus Curiam ingrediuntur, ac congregatis omnibus membris idem Cancellarius Regium diploma obtulit, in quo, ut fertur, Concordati sanctiones continebantur: demum vero magnam orationis, quam nuper coram Rege declamabat, partem repetiit, concludens, Regem omnino velle, ut Concordatum recipiatur, atque in acta referatur, cum id regia sua Majestas summo Pontifici promisisset. Congregati sibi ad deliberandum, exiguum temporis spacium indulgeri supplicarunt, ast Cancellarius die quinta Junii denuo in charta pergamena Concordati librum, & alterum de revocatione Sanctionis Pragmaticæ illis exhibuit; Leporius vero Regis Advocatus Regii juris Cognitoribus, ipsoque Cancellario præsentibus Parlamenti Curiam rogabat, ne Ecclesiæ Gallicanæ libertatem, quæ nonnisi Pragmaticæ fulcro subsisteret, hujus legis abolitione everti paterentur; firmata enim Concordati auctoritate Regnum pro Annatarum solutione ingenti pecunia-

cuniarum ſumma privatum iri ajebat, his addidit: quod ipſe jamjam ab hoc pacto provocaſſet, ac appellationi ſuæ firmiter inhæſurus eſſet. Ergo ad diſcutiendam utramque Conſtitutionem plures nominantur Conſiliarii, nimirum Andreas Verius, Nicolaus Magiſter, Franciſcus Loynes, & Petrus Prudhommus. Sæcul. XVI. A.C. 1517.

Jam decimus effluxerat dies, quo iidem Commiſſarii Curiæ referebant, quod Concordatum æque, ac Pragmaticæ revocationem examinaſſent, ſed ad tanti momenti negotium absque aliorum auxilio viribus impares eſſent, proin rogarent, ut eis Præſes, aliique Conſiliarii adjungerentur. Id quoque datum eſt eorum precibus, deputatique fuere Rogerius Barma Præſes, Nicolaus Dorigni, Jacobus Menager, & Joannes Selva Conſiliarii, præter alios quatuor Inquiſitionum Curiæ Præfectos.

Die vigeſima ſexta Junii Sabaudiæ Nothus Franciſci I. Avunculus Regis nomine Senatum adiit, Regiæ ſuæ Majeſtatis literas exhibens, in quibus ſignificatum, Regis voluntatem eſſe, ut poſt promptam deliberationem ad Concordati promulgationem procedatur; additumque, Regem velle, ut hisce conſultationibus Avunculus ejus intereſſet, difficultates ſuper ejusmodi publicatione interveniens-

Sæcul. XVI. A.C.1517.

venientes Regi relaturus. Displicuit curiæ, quod hisce congressibus ex Regis mandato Princeps, qui tamen de eorum ordine non esset, adesse juberetur: hinc Joannem de la Hage Inquisitionum Præfectum, & Nicolaum Dorigni Consiliarium ad Regem ablegant, qui cum debita submissione quererentur, atque exponerent, quod violentiæ speciem præseferret, si judicum constantia cujusdam potentis, nec Parlamento aggregati Principis præsentia concutiatur. Deputati legatione sua functi Curiæ retulerunt, quod Rex benignis quidem auribus Parlamenti querelas excepisset, hæc tamen subjunxisset verba: „ Si inter vos non„ nulli dantur Viri prudentes, non de„ sunt alii, qui stultorum more sine ra„ tione toti in quæstus suos effundun„ tur. Par mihi cum ceteris meis Præ„ decessoribus auctoritas suffragatur; „ mementote, me Regem esse, sique „ Ludovicus XII. quosdam ex corpore „ vestro ob eorum repugnantiam exi„ lio mulctavit, eos quoque, qui justis „ meis morem gerere detrectabunt, pari „ supplicio compescam; ad remotas va„ riasque urbes eos ejiciam, alios vero „ substituam Viros probitate, ac virtute „ insignes. Volo igitur, ac jubeo, Avun„ culus meus consultationibus vestris in„ tersit, ut rei gestæ testis, cujusvis ve„ strum

„ ltrum consilia mentemque exploratam habeat. „

Sæcul. XVI. A. C. 1517.

§. XI.

Senatus Sententia de Concordato non recipiendo.

Parlamentum percepta Commissariorum relatione die decima tertia Julii consultationibus suis initium dedit, atque in illis, quæ Sabaudiæ Notho semper præsente, usque ad vigesimam quartam ejusdem mensis perdurabant, tandem concluſit, quod Concordatum nec publicari nec ad acta referri posset aut deberet, sed Pragmatica, ut prius, omnino retinenda, atque observanda sit, necnon advocandæ forent Parisiensis ceteræque Universitates, ipsisque petita colloquii venia protinus concederetur, demum a Pragmaticæ Sanctionis abrogatione provocaretur, si vero Concordati promulgationem Rex urgere non desistat, tunc Ecclesiæ Gallicanæ comitia essent agenda, Caroli VII. Regis exemplo, dum Pragmaticam condidit; interim Sabaudiæ Notho integrum sit, quæ in conventibus eorum agitata fuissent, Regi integra fide referre.

Duvin. Hist. Prag. Sanct. & Concord.

§. XII.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

§. XII.

Universitas Parisiensis Concordato obluctata.

Duboulai hist. univers. Paris. t. 6. Pinsson. hist. Pragm. & Concord.

Inter omnes Consiliariorum Ordines nemo acrius præter Parisiensem Universitatem adversus Concordatum, atque ademptum electionis jus obstrepebat. Præprimis illius Rector edictum in compitis affigi jubebat, quo omnes Bibliopolæ, ac Typographi Concordatum imprimere prohibebantur, indicta exclusionis pœna ab universitatis corpore. Sub idem tempus Universitas, longa deliberatione præmissa, aliam promulgavit sanctionem, in qua primo exposuit, quod Constantiense ac Basileense Concilium cunctis abusibus obviasset, cum decreta condidisset ad Ecclesiam in capite & membris emendandam, ea vero difformitate penitus obrueretur, postquam Ecclesiis electionum jura fuissent adempta, cum inde innumeri pene abusus fuissent introducti, nimirum reservationes, gratiæ exspectativæ, mandata, aliique favores, quorum ope indocti, pravique viri in Ecclesiam Dei irrepserunt, exclusis scientia, ac pietate conspicuis, qui solidam veramque virtutem docere potuissent; inde etiam factum, ut magno numero lites pro obtinendis Beneficiis ori-

orirentur, atque ad obtinendas gratias ingens pecuniarum vis Romam deferretur. His addidit, quod Basileensis Synodus, ut ejusmodi malis mederetur, electionum leges ad jus commune prudenter revocasset, cunctasque olim haud cognitas hasce gratias damnasset, ac decrevisset, quod jus partibus diceretur, & Annatarum abusus tollerentur, hinc Carolus VIII. his rationibus permotus in Bituricensi Conventu hujus decreta firmavit, ac observari præcepit; inde vero a nonnullis, quorum avaritia satiari non potest, summi Pontifices fuere adacti, ut Pragmaticæ Sanctionis abrogationem urgerent; præcipue vero Leo X. in suo Romano Conventu sine ullo jure, atque adversus fidem orthodoxam ea, quæ a Basileensi Concilio adeo sapienter statuta fuerunt, damnavit, & introduxit quoddam pactum, quod concordatum vocant, eoque electiones ad Prælaturas abrogavit, & collationes Beneficiorum, nisi justus eorum valor exprimeretur, nullas declaravit, indeque viris doctrina claris omnem Episcopatus aquirendi spem præcidit. Insuper in hoc edicto præter alia hæc habentur: *Hujusmodi sic noviter editis statutis Leo Papa Regem nostrum in partibus Italicis agentem, in maximo armorum strepitu consensum præbere quorumdam suasu coegit. Et ne promissionis infractor*

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

idem Princeps videretur, jam Papæ monitis obtemperans, hæc ſtatuta nobis, dictaque Univerſitate aliisque quorum intererat, non vocatis nec auditis, publicanda eſſe imperavit (*).

§. XIII.

Pariſienſis Univerſitatis appellatio ad futurum Concilium

Argentre in Collect. Jud. de novis error. t. 1. p. 357

Declarationi ſuæ Rector finem impoſuit, dum ultimo a Baſileenſium Decre-

(*) Concordati legibus ipſi quoque ſummorum Pontificum juri derogatum fuiſſe, haud dubium eſt, nec tamen ullus hucusque aſſerere audebat, Pontifices *adverſus fidem orthodoxam* hanc legem in Galliis ſtabiliendo peccaſſe. Inter ipſos Gallos valde controverſum eſt, an non Pragmaticæ abrogatio, & Concordati publicatio majorem longe Eccleſiæ univerſali, ac Gallicanæ utilitatem procuraverit; Natalis Alexander, Graveſon, Petrus de Marca, aliique quam plurimi Scriptores Galli pro aris & focis propugnant electionum abrogationem, per Concordati in Pragmaticæ locum ſubrogationem ingenti Eccleſiæ, Regnique utilitate fuiſſe compenſatam. Quis demum dubitat, quod Pontifici unacum Synodo generali, *quæ univerſalem Eccleſiam repræſentat*, facultas competat, de ſuis juribus ac veteri diſciplina, exigente neceſſitate, ac Eccleſiæ utilitate quicquam remittendi?

Decretorum, necnon Pragmaticæ Sanctionis revocatione provocabat *ad Papam melius informandum*, atque ad futurum Concilium in loco tuto ac libero legitime celebrandum. Facta est hæc appellatio die vigesima septima Martii Anno Salutis millesimo quingentesimo decimo septimo, fuitque ab Ecclesiæ Parisiensis Decano acceptata, typis impressa, atque in omnibus urbis compitis, ac foris affixa. Illius summa est hæc: „ Quamvis supremus in „ terris Christi Vicarius, quem Papam „ appellamus, potestatem suam a nemi„ ne nisi a solo Deo accipiat, propterea „ tamen peccandi conditione ac libertate exors non est; igitur ei injustum aut „ Dei præceptis adversum præcipienti, „ jure resisti, ac obedientia denegari po„ test; si vero aut Principum potentia „ suffultus, aut pravorum Consultorum „ suasu delusus, fideles ad parendum vi „ compellere attentaret, naturali lege „ cautum est, ut ab eo appelletur, id„ que unicum, quod supereſt remedium, „ utpote juri divino, naturali, & humano innixum, nec ipse Princeps „ prohibere valet. „ Post hæc appellantes susius in laudes Constantiensis, & Basileensis Concilii excurrunt. „ Quæ „ Synodi inquiunt, successivo ordine le„ gitime in Spiritu sancto congregatæ „ universalem Ecclesiam repræsentarunt,

Saecul. XVI. A.C. 1517.

Sæcul. XVI. A.C.1517.

„ ac pro Status Eccleſiaſtici emendatione, „ ne tam in capite quam in membris decreta condiderunt; noviſſimis vero „ temporibus noſtris gravior inſtat neceſſitas, ubi Eccleſiæ deformitas augetur, ac morum corruptio indies latius ſerpit. „ Poſtea Rector utilitates a Baſileenſi Synodo Eccleſiæ procuratas exaggerat, illasque a Romana Eccleſia, utpote ejus ambitioni, ac cupiditati contrarias, everſas deplorat.

Demum in Leonem X. Papam maledicta congeſſit, effrænata prorſus licentia, ac tali furore, qui officii ſui dignitati, ac ſubmiſſioni Vicario Chriſti debitæ erat ſummopere adverſus; impotentibus quoque furiis adverſus ſacroſanctam Lateranenſem Synodum tumultuabatur, eamque non in Spiritu Domini congregatam criminabatur, eoquod Spiritus ſanctus nihil divinæ legi, ſacrisque Conciliis contrarium ſtatuat, illa vero violata fidei Catholicæ Religione pia eorum decreta, ac ſacrorum Canonum auctoritatem abrogaſſet. Præterea Pontifici exprobrabat, quod hic condemnaverit Baſileenſem Synodum, cum tamen illa B. V. Mariam ſine labe conceptam definiiſſet, nec ipſa Eccleſia, inquiebat, circa hunc articulum aliam unquam deciſionem condidiſſet. Denique ſummum Pon-

Pontificem insimulat, quod is non nisi Ecclesiæ ruinam moliretur, indignis beneficia conferendo, bene merentes vero excludendo; *Ex quibus*, concludit, *nos Rector & universitas a Pragmaticæ Sanctionis abrogatione ad futurum Concilium provocamus, & appellamus: protestantes hanc appellationem per viam nullitatis, abusus, vel injustitiæ contra omnia adversus Pragmaticam attentanda.* Sæcul. XVI. A.C. 1517.

Prima Aprilis die Arnaldus Monnard Artium Magister jurisque Licentiatus hoc appellationis instrumentum Guilielmo Hue Parisiensis Ecclesiæ Decano indicavit, cujus rei testes præsentes erant spectati Viri, scilicet Petrus de Valle Theologiæ Doctor & Cathedralis Ecclesiæ Canonicus necnon Arturus Alustus Artium Magister. Plures quoque verbi divini Præcones in suis sermonibus palam contra Regem, ejusque Cancellarium declamabant, jamque ad criminationes contra Concordatum, publicasque in Papam querelas res excessit; quapropter Franciscus Rex horum petulantiam indignatus, datis ad Olivarium primarium Præsidem, aliosque Consiliarios literis graviter de Rectoris temeritate expostulabat, & seditiosos ejusmodi sermones in populum sparsos cohiberi imperabat, simulque præcipiebat, ut judicii

Saecul. XVI. A.C. 1517.

acta contra Rectorem instruerentur, eaque ad Regem deferrentur; postea cuncta ab illo attentata prorsus nulla declaravit, & Parlamenti Curiæ, ut Concordatum quantocius imprimat ac divulget, severe mandavit. Promulgatum est hoc Regis edictum die quarta Aprilis, cui tamen Parlamentum minime morem gessit.

§. XIV.

Ximenius Cardinalis Indorum querelis intentus.

Gomes. in vita Xim. l. 6.

Cum interea Carolus Hispaniæ Rex iter in Castellæ Regnum pararet, Ximenius Cardinalis Indorum lamentis satisfacere satagebat; hi enim potius bestiarum, quam mancipiorum more habiti, non raro Dominorum crudelitate, durisque verberibus absumpti enecabantur. Horum quæstuum veritatem Didacus quoque Columbus Oceani Admiralis nominatissimi Christophori Filius testatam fecerat, deque aliorum quoque injuriis sibimetipsi sæpissime illatis graviter questus, præclara, quæ ejus Pater Monarchiæ præstiterat, obsequia injuriis sibi compensari ægerrime ferebat. Ximenius habita querelarum ratione Ludovicum de Figueroa, & Alphonsum de S. Joanne cum munere Commissariorum ad hasce Regiones ablegavit, illisque duos Hispanos

nos adjunxit, qui Urbani Prætoris officio fungerentur. Verum pia Cardinalis desideria evertebant concepta, jamque effectui data Cheurienſis conſilia; hic enim Indos ardui laboris impatientes ferme omnes intra breve tempus interiiſſe comperiens, quingentos Æthiopes ſeu Negritas in Aquitania coemi, atque ad Inſulam S. Dominici transferri curabat. Huic rei vehementer obluctabatur Ximenius datis ad Cheurienſem literis eidem exponens, quod Negritas in Americam transmittere, haud periculo vacaret, cum illi equidem adverſus laboris incommoda contumaces, inquietum tamen & indomitum genus eſſent, ut proin illi numero aucti abs dubio ſeditionem concitaturi forent. Nec Ximenii præſagium eventus fefellit. Sæcul. XVI A.C. 1517.

§. XV.

Malaccenſium Seditio.

Exiguum præterfluxerat temporis intervallum, & ecce! Malaccæ, quæ urbs eſt in Granatæ Regno ſita, rebellio ſuſcitatur; cum enim navalis militiæ Duces neglecta officii ſui ratione cunctis paſſim nocentibus veniam impertirentur, populi malam hanc juſtitiæ adminiſtrationem iniquo ferebant animo; hac enim criminum impunitate urbes eorum Sica- *Gomeſ. in vita Ximen. l. 6.*

Sæcul. XVI. A.C.1517.

riis atque latronibus replebantur: unde repetitas ad Ferdinandum Regem Cátholicum deferebant querelas, sed surdas semper pulsabant aures. Eo autem fatis functo Carolum interpellabant, qui malo remedium, quamprimum Hispaniam salutasset, pollicebatur. Ast Malacenses hoc responsum repulsæ loco habentes, Seditionem commovent, rei navalis Ministros propellunt, eorumque tribunalia in alios usus convertunt. Ximenius Seditiosos clementia ad officium reducere nequicquam satagebat; eorum enim petulantia objurgationis lenitate indies crescebat. Ergo Cardinalis hujus remedii spe frustratus, ad omnes Granatæ urbes jussa dedit, ut quingentos equites, peditumque sex millia contraherent, ac Antonio de Cueva ductore rebelles compescerent. Malaccenses vix comperto hujus agminis itinere, effræni fiducia repente in extremam sollicitudinem versa, Deputatos ad Cardinalem ablegant, a quo illi severa reprehensione castigati petitam delicti veniam impetrarunt, quinque tamen ex primoribus, quos gravior rebellionis culpa tenebat, traditos Ximenius mox laqueo suspendi jussit, horumque supplicio sceleris vindictæ metam posuit.

§. XVI.

§. XVI.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

Ximenius Inquisitionis moderationi ab Hispaniarum Rege tentatæ obluctatus.

Interea Castellæ Rex Judæorum, atque Maurorum donis captus, Inquisitionis tribunal restringere, animo constituit: cum enim Ximenius subinde plures Mahometanos, atque Judæos, qui Christianorum sacris prius imbuti rursus ad pristinos errores redierant, extremo supplicio mulctari juberet, mortis pœnam evadentes querebantur, quod singulis ferme diebus plurium innocentum sanguis effunderetur; unde Deputatos Bruxellas ad Regem rogatum mittunt, ut Inquisitionem ad ceterorum tribunalium normam revocari præciperet, proin juberet, ut accusator simul testem agere non permitteretur, accusatis vero delatorem suum noscendi copia daretur, ac demum testes cum reo conferrentur. Æqua illorum videbatur petitio, ac causæ justitiam ampla, quibus Judæi ac Mahometani Senatum corruperant, munera haud parum promovebant. Insuper hi octoginta Ducalium nummum millia Carolo Regi offerebant, qui pro itinere in Hispaniam pecuniis indigebat. Ergo jamjam omnes Deputatorum votis satisfa- *Gomes. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

cere propensi erant, cum opportune Bruxellas Ximenii Cardinalis epistola defertur, qua significabat, mutato Inquisitionis rigore nil frequentius, nilque propius fore, quam ut Judices ab accusatis sica conficerentur, ac procul dubio brevi tota Hispania communi seditione turbaretur. Hæc Ximenii ratio adeo prævaluit, ut Deputati re infecta reverti compellerentur.

§. XVII.

Ximenius pro Regis itinere classem parare jussus.

Gomes. l. c.

Appropinquante Regii in Hispaniam itineris tempore, Ximenius classem instruere, atque ad Belgii oram, ubi Rex vela dare constituit, transmittere jubebatur. Ipse Cardinalis Castellæ Regem iter suum maturare urgebat, ut motos populorum tumultus præsentia sua compescceret. Querebantur enim illi, omnem Hispaniæ pecuniam in Belgium deportari (*), ac denique exteros omnibus officiis,

(*) Aut injusta fuit horum querela, aut falsum, Regique injuriosum, illum adeo pecuniis inopem fuisse, ut pro suo in Hispaniam itinere a Judæis & Mahometanis etiam cum dispendio justitiæ vindicativæ pecunias accipere paratus fuisset.

ciis, ac Sacerdotiis cumulari, indigenis inde excluſis. Hoc Cardinalis nuncio haud parum terrebatur Bruxellenſis Senatus, quapropter decreto mox Regis diſceſſu, claſſis ex Hiſpaniæ portu ſolvit, ut Regem cum tota ſua Curia e Belgio ad Regnum deveheret.

Sæcul. XVI. A.C.1517.

§. XVIII.

Papa ab Hiſpanis decimas petere conſtituens.

Hoc itineris intervallo Ximenius vix non cum Pontifice ſimultatem ſuſcepiſſet, cum enim magnificentiæ, qua Leo delectabatur, explendæ nec ærarium Apoſtolicum, nec reditus ex aliis Chriſtianorum Provinciis collecti ſufficerent, ad ſpecialia confugere media neceſſitas ſuaſit; quapropter, cum Hiſpania ſummis Pontificibus ſingulari obſequio addicta eſſet, atque ambo Epiſcopi Toletanus, & Cæſar auguſtanus, qui tum rerum ſummam moderabantur, pro Sede Apoſtolica ſe totos devoverent, Pontifex Nuncio ſuo tum in Hiſpaniis agenti Bullam transmiſit, qua triennales decimas ex omnibus beneficiorum reditibus cogere jubebatur.

Petrus Ang. ep. 596. *Spond. ad ann.* 1517. *num.* 7.

Specioſus hujus exactionis obtendebatur prætextus (*); ſpargebatur enim infriu-

(*) *An is fuerit duntaxat obtentus, vide infra §. XCV.*

Sæcul. XVI. A.C.1517.

infringendæ Turcarum potentiæ neceſſitas; eoquod hi Perſis ac Ægypti Sultano devictis bellum in Chriſtianos pararent. Ergo Nuncius Apoſtolicus primo Arragonenſes convenit, qui tamen omnino, & quidem coacta hanc in rem Nationis Synodo ejusmodi ſubſidia exigi prohibebant; accepta horum repulſa Caſtellæ Clerum ſollicitavit; haud tamen magis proſpero ſucceſſu; Tandem Ximenius Cardinalis, qui totius negotii curam in ſe ſuſcepit, literas ad Papam dedit in hæc verba ſcriptas: „ Beatiſſime „ Pater, ſi res vere ac ſerio in Mahome„ tis ſectatores gerenda eſt, non modo „ decimas, ſed omnes meos cenſus Ec„ cleſiaſticos, atque omne aurum, ar„ gentumque ſacrum diœceſis meæ lu„ benti animo tibi defero; vanus autem „ videtur Turcarum timor; certum enim „ in Hiſpania habemus nuncium, Seli„ mum ab Italiæ invaſione omnino alie„ num eſſe, rogo itaque Sanctitatem ve„ ſtram, ut ſuam de belli ſacri appa„ ratu ſententiam diſerte aperiat, nam, „ niſi juſtiſſima de cauſſa, nunquam au„ ctor ero, ut Hiſpani Sacerdotes vecti„ gales fiant. „

Ximenii votis alluſit Pontificis reſponſum; hic enim Nuncium ſuum a petito deſiſtere juſſit, nec ultra de decimis aut

aut subsidiis in Hispania mentio facta est. Adeo Romæ timebatur Ximenii auctoritas; nec tamen Papæ Nuncius falso obtentu usus videbatur; quippe Leonis Constitutio in Sedis Apostolicæ ditionibus rigidius, in ceteris vero Italiæ terris moderatius in usum deducebatur. Sæcul. XVI. A.C. 1517.

§. XIX.

Cardinalis Ximenius propinato veneno, lethali febri absumptus.

Ximenius, cum res in Castella sua sollicitudine ita composuisset, Madrito profectus, ad regni fines Arandam usque contendit, ut ibidem Regis adventum præstolaretur, eoque exscendente aulæ Ministris vicinior adesset. Comitabantur illum Regni Senatores, regiusque Princeps Ferdinandus, a quo Cardinalis ferme nunquam post Regis Catholici obitum vigiles oculos suos dimovebat. Ast Aquileram delatus, sumpto prandio adversa adeo opprimebatur valetudine, ut sanguis non modo ex auribus, sed etiam medius ungues inter & digitorum carnem proflueret, unde hausti veneni suspicio habebatur; quam supremi Franciscanorum Præfecti relatio haud parum augebat: retulit enim, se in itinere, quod ad Ximenium officiose salutandum suscepisset, obvium habuisse qu m-

Bos-Equillas.

Gomes. in vita Ximen. l. 7.

Raynald. ad ann. 1517. n. 105.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

quemdam Nobilem sibi haud cognitum, & ab eo fuisse monitum, ut iter maturaret, & Ximenio significaret, a truta sibi in prandio apponenda abstineret; eam enim veneno infectam esse. Ast sceleris executio hujus Religiosi celeritatem, licet maximam, prævertit. Exploratum omnibus erat, a Bancaldo, quem Ximenius a secretis habebat, venenum fuisse propinatum, cujus vero impulsu, nunquam detectum, imo sicarius usque ad obitum Domini sui, ut antea officio suo fungebatur. Interim licet Ximenio mors instare videretur, ipse tamen Arandam versus iter prosecutus est, & quamvis corpore debilitatus esset, animum tamen publicis curis adeo non subtraxit, ut etiam omnibus Principis regii Ministris officio motis alios subrogare tentaret; Nonnius enim Gusmanus illius Moderator, Alvarus Osorius ejusdem Magister, aliique juvenem hunc Principem in Aragoniam abducere, ibidemque Regem proclamari meditabantur. Hos ergo exauctorare disertis verbis a Carolo Rege jubebatur, unde feliciter mandata exequens, in Principis hujus obsequiis confirmabat Alphonsum Castilegium Virum longe celeberrimum, & Sanchesium de Paradez supremum Palatii Magistrum, eoquod hic quietæ indolis vir, ferme nullam

nullam cum ceteris hujus consilii sociis partem habuisset. Saecul. XVI. A.C. 1517.

§. XX.

Hispaniarum Rex ad Africæ oram appulsus.

Sub idem tempus Ximenio Cardinali nunciatum, quod Rex Catholicus ineunte Septembri vela feciisset, atque exacto pene eodem mense ad Austriæ oram appuliisset. Hic Regis adventus Ximenium, quamvis per hujus præsentiam a regni administratione amovendus crederetur, nihilominus insolita adeo lætitia replebat, ut pristinam valetudinem recuperare videretur: quapropter divinis operari, ac publici colloquii copiam petentibus præbere cæpit, responditque ad literas, quas eo tempore Rex ad illum perscripserat, ac communicata adventus sui notitia ejus sententiam rogabat, num ex duabus Monarchiis prius Arragoniam, vel potius præprimis Castellam lustrare consultum foret. Ximenius Castellam prætulit, Rex quoque aquiescere videbatur: ast Belgii Proceres tot turbas suscitabant, Regemque tam fastidiosa detinebant mora, ut tandem Valdoleti comitia agere decerneret. Horum igitur artibus factum, ut Ximenius nunquam Regis conspectum subiret, nec hic stetit

Ciacon. t. 3. p. 284. Raynald. l. c. num. 112.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

tit eorum invidia; adeo enim in eum exulcerabant Regis animum, ut hic ad Ximenium literas tam acerbas daret, quibus illius mors accelerari credebatur; significabat enim, sperare se, brevi ejus colloquio frui, perceptisque illius consiliis, atque præceptis æquum omnino sibi videri, ut ipse publicis Regni negotiis tandem exoneratus, unice valetudinis suæ curam haberet, ac reliquos vitæ dies in Diœcesi sua tranquille transigere posset.

§. XXI.

Ximenii Cardinalis obitus.

Gomes. in vita Xim. l. 7. Ciacon. t. 3. p. 285. Lucas Wading.

Pridie Ximenius nova febris accessione laborabat, quam internus dolor ex regiis literis conceptus haud leviter auxit (*), mortemque acceleravit. Ubi igitur

(*) Ximenium ex concepto dolore, quod a Regni administratione vacare jussus esset, emarcuisse, nonnisi ab ejus virtutis invidis fuisse divulgatum testatur Raynaldus loc. cit. n. 105. magis adhuc inepte allegatur Ciaconius, qui eodem loco hæc habet: *Pridie quam Regis literæ pervenirent, Ximenius febri laborare cæperat, ATQUE IDCIRCO CAROLI REGIS LITERÆ EI DATÆ NON SUNT, sed ad Regium Senatum remissæ.* Id tamen apud omnes vitæ Ximenii Scriptores legimus

igitur se morti proximum sensit, inter sublimis, quam semper profitebatur, pietatis signa animam egit die octava Novembris Anno Salutis millesimo quingentesimo decimo septimo, ætatis suæ ferme octogesimo primo, postquam Archiepiscopali Toletanæ Ecclesiæ viginti duobus, Castellæ regimini uno anno & decem mensibus præfuisset. Sepultus est in Complutensi Collegio S. Ildephonsi a se erecto.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

Hieronym. Garimb. Raynald. an. 1517. n. 103.

§. XXII.

Celebria ædificia ab hoc Cardinale condita.

Ximenius haud segnius Ecclesiæ, quam publicis Regni negotiis sua sacrabat studia; semper intentus, ut depravatos Clericorum mores corrigeret. Præterea inter *Conventuales* Franciscanos, & illos, qui *de Observantia* dicuntur, concordiam felici-

Ciacon. pag. 286.

gimus, hunc extremis vitæ suæ diebus aliquanto serius, quam solebat, in publicum prodiisse; ac Regem ejus amulis id culpantibus respondisse: *Plus momenti in unius Ximenii salute ad Reipublicæ incolumitatem vertitur, quam in omnium privatorum negotiis.* Quis ergo Regis fiduciam, Ximenii humilitatem cum narratis conciliabit?

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

feliciter reduxit, Complutenſia Biblia Latino, Græco, Hebraico, ac Chaldæo idiomate ſumptibus ſuis edi curavit, ac inter cetera pietatis monumenta Complu-ti duo ampla æque ac magnifica Virginum aſceteria condidit, eaque ſupplectili, cunctisque neceſſariis liberaliter inſtruxit, & magnis reditibus auxit. Præterea ſimul unius integri anni ſumptus ſuppeditavit, ut hæ Virgines intactis unius anni proventibus eo facilius conſuetas fundationis ſuæ expenſas ferre, ac ſpecialibus proſpicere poſſent. Ex hisce monaſteriis primum dicabat pauperibus Virginibus, quas ſola morum probitas Religioſi Status ſanctitati idoneas commendaret: quapropter non modo pro ingreſſu quicquam exigere, ſed etiam ſponte oblata accipere ſevere inhibuit. Præſcripſit autem hisce Virginibus S. Franciſci Regulam particularibus ſtatutis mitigatam, Protectorem vero dedit S. Joannem Pœnitentem.

Alterum monaſterium priori ſat vicinum nobilibus quidem, ſed tenuis fortunæ Puellis magno numero ibidem educandis deſtinabat. Profitentur illæ pariter S. Franciſci Regulam, in pluribus tamen auſteritatibus temperatam; quippe ingreſſis aut ſolemni votorum ſponſione ſe Deo obſtringendi, aut ad ſæculum rede-

redeundi plena conceditur libertas. Horum inſtitutum quatuor ſtatutis a Cardinale conditis a ceteris diſtinquitur. I. Puellæ, quæ apud ſacras Virgines vivunt, gratis ſine ulla penſione recipiuntur, atque educantur. II. Omnibus, quæ ad nobilium Virginum inſtitutionem in ſæculo ſpectant, artibus imbuuntur, ut ſors nupturæ cunctis, quæ hujus ſtatus ratio expoſcit, plene inſtructæ eſſent, aut ſi in ſacrarum Virginum collegium ſeſe abdere cogitent, ceteras Puellas curæ ſuæ creditas eo aptius inſtituere valerent. III. Si quædam Religioſa fatis fungitur, in ejus locum nonniſi ex illis una, quæ commenſales erant, ſuſcipitur, ita tamen, ut ingreſſus omnino liber, atque ab humanæ rationis impulſu exemptus ſit, nec pro receptione Novitiæ, aut votorum ſponſione pecuniæ vel munera ullatenus accipiantur. IV. Primi anni reditus parce fiunt, ac perſolutis communibus expenſis reſidua pecunia ſingulis annis ſeponitur, ut inde certus Virginum in hoc monaſterio educatarum, aliunde dote carentium numerus dotari poſſit. Nuncupabatur hic Virginum cœtus monaſterium Iſabellæ, in memoriam Reginæ, quæ in illud ſumme Beneficia, amplos eidem reditus teſtamento reliquit. Philippus quoque Rex hujus nominis ſecundus certos reditus annuos pro quin-

Saecul. XVI. A. C. 1517.

Sæcul XVI A.C. 1517.

quaginta Puellis eidem monasterio assignavit.

§. XXIII.

Carolus Austriacus in Hispaniam delatus.

Anton. de Vera hist. Car. V p. 17. Sandovalvida del Carlos V. De Thou hist. l. 1.

Mense Septembri Carolus e Belgio discessit, numeroso comitatu stipatus; habuit enim itineris socios viginti Comites, Marchiones, aliosque primariæ stirpis Proceres, præter sexaginta Nobiles, qui de Regis mensa commedebant. Præterea Regem comitabantur centum equites, nec non milites ad corporis custodiam electi ac trecenti Ministri seu Regis Domestici. Classem vero ex Hollandia, & Zeelandia adductam, necnon Hispanam, a Ximenio submissam, Ostendæ conscendit, & Belgii regimen interea Margaritæ suæ Amitæ reliquit. Tandem secundis ventis Villævicioſæ portum in Asturiæ Provincia ingressus, a compluribus Hispaniæ Proceribus, quos Joanna Regina ejus Mater obviam præmiserat, solemni prorsus pompa excipiebatur. Referunt nonnulli, quod Carolus nullam Vallisoleti moram traxerit, sed recta Turrim Sillanam contenderit, ac ibidem Regina ad filii sui alloquium, congressumque venerit, ubi ambo tenerrimi affectus significationibus non sine magno

magno adstantium stupore certabant, ac integram unius horæ partem, cum lætitiæ abundantia repugnantes etiam lacrimas ubertim extorqueret, mutuis, iisque arctissimis complexibus illigati hærebant; ast non minus cuncti admirabantur, quod Hispani quoque certatim omnes in gratulationem & gaudium effunderentur, Regi festive applaudentes, licet eum nec Nationis similitudo commendaret, nec Hispani ejus conspectum antea unquam subiissent: Nihilominus eum velut natione Hispanum venerabantur, eoquod illius Mater e gente Hispana originem duceret, Philippus quoque ejus Pater in Hispaniis mortuus esset. Ast licet hæ rationes permovissent Hispanos, præcipue tamen ipse Carolus cunctis iisque præclarissimi animi dotibus tam liberaliter ornatus erat, ut omnium amorem sibi facile conciliaret. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

§. XXIV.

A Toletano Senatu exceptus.

Carolo Hispaniam salutante, Senatores, qui tum Toleti agebant, Regem suum omni, qua par est, pompa atque magnificentia excipere constituerunt, nullisque sumptibus pro tanto apparatu pepercerunt: Cum autem, quo honoris gradu illum venerarentur, nullum speciale man-

Sæcul. XVI. A.C 1517.

datum a Regina recepiſſent, haud parum hac ſuper re anxii hærebant, ignari, num Carolum vel ut Caſtellæ Principem, vel Burgundiæ Ducem, aut omnino Regem ſuum proclamarent? Diu deliberatum, tandemque plurimorum ſuffragio concluſum, Carolum ſolo nomine *Principis Sereniſſimi* ſalutandum, ſilentio autem premendum, an Hiſpaniæ vel Burgundiæ Princeps eſſet; his ita decretis, Toletani Regem honorum amplitudine, ac magnificentiæ oſtentatione longe majori quam olim Philippum ejus Patrem excipiebant. Non deerant, qui hancce Hiſpanorum hæſitationem circa titulum Regi deferendum Carolo ſignificarent, unde vix receptis primis honoribus, quibus exſcenſione facta excipiebatur, quantocius Turrim Sillanam petiit.

§. XXV.

In Caſtellæ Regem coronatus.

Ibidem Regina ejus Mater ſedem fixerat, filii ſui colloquio lætiſſima. Augebat inſuper tredecim annorum abſentia mutui affectus teneritudinem. Porro Carolus cum illa, quantum per Matris imbecillitatem licuit, ſecretas de rerum ſtatu conſultationes habuit, quibus abſolutis Regina coacto Regio Senatu omnium prima Filium ſuum Caſtellæ Regem

gem proclamavit, eidemque diadema cunctis præsentibus imposuit; his peractis sequens articulus confecto desuper speciali instrumento firmabatur, vi cujus Joanna Regina pari jure cum Carolo suo Filio regni habenas moderaretur. Sæcul. XVI. A.C. 1517.

§. XXVI.

Castellanorum Ordinum petita a Carolo.

Supererant duo gravis admodum momenti negotia a Senatu decidenda, quorum primum erat, quid de Ferdinando Infante Regis fratre agendum? alterum, ubinam Carolus solemnia Ordinum comitia primo celebraret, ac fidei sacramentum a subditis reciperet; par enim eaque valida ratio tam Castellæ quam Arragoniæ Regnis suffragabatur. De primo igitur dubio decretum, quod Carolus Rex Catholicus Ferdinando Infanti hæreditarios Germaniæ Status cederet, ea tamen Lege, ut Patris, Matrisque suæ hæreditatem missam faceret, porro hæc portio non modo Ferdinando erat proficua, sed insuper eidem viam sternebat ad nuptias cum Hungariæ ac Bohemiæ hærede ineundas. Alterum ita decidebatur, ut Castellæ Regnum Arragoniæ præferendum, tum quod longe

Sæcul. XVI A C. 1517

potentius esset, ibidemque Rex appulisset, tum quod Belgæ Ximenium Cardinalem utpote fatis jamjam ereptum haud ultra pertimescerent. Nihilominus Castellani ægerrime ferebant, quod Carolus in eorum patria Magistratuum honores Arragonensibus, Belgisque deferret, quapropter in hisce comitiis Vallisoleti celebratis Regem inducere adlaborabant, ut juramento promitteret, quod alienigenis nunquam publica concessurus officia, nec pecunias extra Regni fines transferri passurus foret. Diu acriterque hac super re disceptatum, tandem vero crebra deliberatione ultro citroque habita, petitionis asperitas ad Regis vota hunc in modum temperata est: I. Ambo hi articuli instrumento inserantur; II. Rex Catholicus duntaxat generatim juret, se pro more Prædecessorum suorum illos adimpleturum. Hac ratione, cum tota Castellanorum petitio nonnisi novitas esset, quam introducere tentabant, Rex juramenti sui Religione nullo pacto obstringebatur.

§. XXVII.

Ferdinandus Infans ad Cæsarem missus.

His ita compositis, de Infantis discessu agebatur. Haud parum repugnabat

bat Princeps, nec ex Hiſpania emigrandi deſiderium ei ingerebat importunitas eorum, qui eidem exponebat, præſentiam ejus in Cæſaris aula oppido neceſſariam eſſe, ut imperii Succeſſionem Auſtriacæ Domui aſſertam ſervaret. Nihilominus Princeps cedere compulſus eſt, & claſſe ad diſceſſum inſtructa e portu ſolvit, ac in Belgium delatus, paulo poſt ad Cæſaris aulam contendit, nil iniquius ferens, quam quod ſubrogatis nonniſi Belgis, atque Germanis, omnes ejus Miniſtri Natione Hiſpani ab ejus obſequio dimoverentur; quippe hos inter Petrus Martinus de Guſmano ſupremus Ordinis de Calatrava Commendator Principis Gubernator ad ſuas terras ſecedere, Alvarus vero Oſorius Aſturicæ Epiſcopus ejusdem Magiſter ad ſuam diœceſim ſeſe recipere jubebantur; Ambos enim Carolus ſingulari inſectabatur odio, eoquod Ferdinando improba ſuggeſſiſſent conſilia, eidemque adverſus Regem Catholicum invidiam inſpiraſſent. Quis vero in comitiis, quæ Carolus in Arragonia habuit, rerum ſucceſſus fuerit, Anno ſequenti referemus. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

§. XXVIII.

Papæ amicitia a Franciſco I. variis modis expetita.

Interea Franciſcus I. in Gallliis nil intentatum reliquit, ut Pontificis amicitiam ſibi conciliaret, veritus, ne bello ejusdem conſiliis redintegrato Mediolanenſis Ducatus jacturam pateretur. Præmiſerat Rex validas admodum copias, quæ Leſainio Lautreci fratre Ductore ad Urbinatis Ducem ſuo Principatu deturbandum Leoni opem ferrent. Inſuper Rex certiſſimum, quo Papam ſtudiis ſuis addictum redderet, medium inveniſſe arbitrabatur, dum proficuas admodum nuptias procurare nitebatur inter Laurentium Medicæum, & Catharinam ſeu Margaritham de Turre, alias de *Bononia* dictam, quæ ex Joanne de Turre hujus nominis tertio Alverniæ, Bononiæ & agri Laurici Comite, necnon ex Joanna Borbonia parentibus progenita erat. Oblatis hiſce nuptiis lætus annuit Pontifex, hancque in rem Laurentius Pariſios contendit, ubi etiam connubium ſolemniter celebratum eſt, cujus fœcunditatis fructus exiſtit Catharina de Medicis poſtmodum Franciæ Regina. Hanc Regis benevolentiam Leo pari obſequio compenſaturus, eidem conceſſit, ut ex Cleri

Cleri Gallicani Ecclesiis decimas sub Turcicæ expeditionis obtentu cogeret. Singulos quoque Principes Christianos, ut ad belli sacri sumptus subsidia conferrent, vehementer urgebat, necnon Henricum Angliæ Regem æque ac ceteros ad id sollicitabat, (*) ejusque subditis ad sua vota

Sæcul. XVI. A. C. 1517.

Apud Bembum l. 4. ep. 21 Raynald. ad ann. 1517. n. 6.

(*) Observes velim, in literis Apostolicis, quæ in hac synodo præsentibus Angliæ & Franciæ Oratoribus, aliisque utrique coronæ addictis perlectæ sunt, disertis verbis exprimi *Cæsarem, Franciscum Gallorum Regem, Carolum Regem Hispaniæ, & Henricum Angliæ Regem super capessendo in Turcas bello communi sententia paratos se esse omnia facere, nuper summo Pontifici amantissime significasse.* Extant hæ literæ apud Bembum loco a Continuatore citato, quibus quidam Synodi Patres obluctabantur, non esse cogendas decimas arbitrati, donec Reges accincti ad iter forent; *revocabant enim in memoriam veteres nonnullorum Regum* (NB non summorun Pontificum) *impostoras, qui toties S. belli splendida specie decumanum aurum a Sacerdotibus abrasissent, illudque in civilibus bellis ad edendas fidelium strages convertissent, nec hosce Patres fefellit suspicio, quantumvis Pontificiæ menti insideret illud bellum sacrum conflare, & Reges literis suis plurimum pietatis, & bellici ardoris specimen*

Sæcul. XV. A.C. 1517.

vota inclinabat, postquam ex Clericorum bonis decimas indixit, easque colligendi curam Volseo Cardinali demandavit. Ab eodem quoque Pontifice Clerum Castellanum, adverso tamen successu fuisse instigatum, supra meminimus; petitionem autem suam honestabat victoriarum obtentu, quas Turcæ adversus Mammelucos in Ægypto reportassent, his devictis, ut credebat Papa, in Christianos arma conversuri.

§. XXIX.

Indulgentiæ pro fabrica Basilicæ S. Petri a Papa promulgatæ.

Cochlæus & Surita De Thou hist. l. 1. Raynal. ann. 1517. n. 41. Guicc. l. 13.

Verum temporis progressu Papam, ut pecuniam corraderet, unice intentum fuisse apparuit; Cum enim ex ditissima juxta ac potentissima familia natus, ac ex primævo naturæ genio magnificentiæ prope extra modum deditus esset, sumptuosam Basilicæ S. Petri fabricam a Julio II. suo Prædecessore cæptam perficere aggrediebatur, quamvis Sedis Apostolicæ ærarium immodicis sumptibus aliunde exhaustum esset. Hanc in rem Leo, si Thuano fides, suasu Laurentii

men præbuissent. Ita Raynaldus itidem a Continuatore laudatus, num. 16.

rentii Pucci Cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum, qui apud Papam plurimum gratia valebat, in omnibus orbis Christiani regnis plenam pœnarum condonationem promulgari constituit, easque indulgentias cunctis, qui ad Fabricam S. Petri subsidia collaturi essent, sub conditionibus adeo expeditis concessit, ut eas lucrari, nonnisi salutis suæ summe incurius negligeret. Præterea, ut in colligendis pecuniis suus servaretur ordo, totam Christianorum Rempublicam in varias classes distribuit, ac unicuique Viros, qui oblatas fidelium eleemosynas colligerent, designavit; demum vero quosdam Verbi divini Præcones selegit, qui populum de indulgentiarum merito, ac dispositionibus ad eas lucrandas necessariis erudirent. Sæcul. XVI. A.C. 1517.

§. XXX.

FF. Prædicatores ad Indulgentias in Saxonia promulgandas selecti.

Hanc in rem Leo Pontifex Alberto Moguntiæ, ac Magdeburgi Archi-Episcopo negotium dedit, ut deligeret Viros, qui per Germaniam Indulgentias publicarent. Is pro Saxonia FF. Dominicanis hanc demandavit provinciam, eisque Joan- *Cochlæus de actis & scriptis Lutheri ann. 1517. Ulemberg. in vita & rebus gestis Lutheri*

Sæcul. XVI. A. C. 1517.

Joannem Tetzellium ejusdem Ordinis Religiosum, ac hæreticæ pravitatis Inquisitorem præfecit; Illius enim solertia in ejusmodi negotio non ita pridem ab Equitibus Teutonicis, quibus ad belli sumptus adversus Moscovitas Tetzelius amplam acquisierat pecuniam, comprobata erat. Cum vero id muneris semper in prioribus sacris militiis diuturnæ (*) possessionis jure FF. Eremitis S. Augustini delatum fuisset, hi Dominicanos sibi præferri ægerrime ferebant, eo potissimum nomine, quod illi potestatis limites excessisse, Indulgentiarum virtutem plus justo exaggerasse, ac pœnalium operum vim penitus enervasse insimularentur; adeo, ut a nonnullis in suspicionem vocarentur,

(*) Optime observat Antonius Pagius in suo Breviario Rom. Pontif. ad annum 1517. n. 45. Augustinianos longo jam tempore id muneris obiisse, falso narrari; *id enim Julius II. FF. Minoribus imposuerat: id Ministro Generali Minorum unacum Archiepiscopo Moguntino commiserat Leo Papa in pluribus Germaniæ locis anno* 1515. *& FF. Prædicatores ab Equitibus Teutonicis ad ejusmodi provinciam selectos*, ac denique nulli Religiosorum Ordini, sed Alberto Moguntino Archiepiscopo hanc curam fuisse demandatam, ipsemet Continuator testatur.

rentur, quod populis expoſuiſſent, eos, ſi literas indulgentiarum auro redemiſſent, de ſalute ſua ſecuros fore. Præterea Præcones iſti turpem ex ſacro hoc Eccleſiæ theſauro quæſtum exercebant, ſuasque cathedras erigebant in popinis, ubi aliquam collectæ pecuniæ partem abligurire viſebantur. Sæcul. XVI. A.C.1517.

§. XXXI.

Auguſtinianorum Generalis Vicarii tumultus adverſus indulgentiarum Præcones.

Eo tempore Fratribus Eremitis S. Auguſtini in Germania Vicarii generalis nomine præerat Joannes Staupitius ejusdem nationis inter nobiles facile princeps, ipſisque Saxonum Principibus cognatione junctus, atque ea ratione Saxoniæ Ducibus perquam acceptus, ac præcipue Friderici S. R. I. Electoris patrocinio tutus. Igitur Staupitius tam potenti præſidio fretus, atque præclaris animi dotibus inſignis, *inſtillabat*, inquit Cochlæus, *hujus Principis pectori frequentes indulgentiarum abuſus, & quæſtorum, atque commiſſariorum ſcandala, eoquod illi per avaritiam prætextu veniarum, & gratiarum, expilarent Germaniam, & quærerent, quæ ſua ſunt, non quæ ſalutis animarum.* Staupitius ſeu hiſce abuſibus vere commotus, *Cochlæus de actis & ſcriptis Lutheri.*

Sæc. XVI. A.C. 1517.

motus, seu Dominicanos suis Religiosis in prædicandis indulgentiis præpositos indignatus, zelum, an dicam, furorem suum exerere statuit. Suffragabantur eidem omnes Religiosi sui, atque inter ceteros Martinus Lutherus, qui solus ex omnibus Wittembergensis Academiæ Doctoribus eo tempore eruditionis atque astutiæ fama inclaruit.

§. XXXII.

De ortu & primis auspiciis vitæ Martini Lutheri.

Cochlæus loc. cit. Micrelius in vit. Luth. Melanct. t. 2. Seckendorf. hist. Luth. l. 1. p. 20.

Natus erat Martinus Lutherus Islebiæ in ditione Comitum Mansfeldensium die decima Novembris hora noctis ferme duodecima Anno quadringentesimo octogesimo tertio supra millesimum ac Joannem Lotterum, seu ut alii volunt, Lautherum, metallorum fossorem, & Margaritam Lindemanam, habuit Parentes, qui quamvis humili admodum genere orti essent, magna tamen sollicitudine primis literarum elementis filium suum imbui curarunt. Mater ejus cum marito suo stabili domicilio Meræ versabatur; hinc Martinum Islebiæ natum fuisse casu accidit; cum enim illius Mater tempus pariendi adeo vicinum haud arbitraretur, illuc ad nundinas ibat. Eadem Melanchtoni, quo anno filium suum enixa

Ulemb. c. 2. in Lutheri vita.

enixa esset, sciscitanti respondit, quod non anni, sed duntaxat diei, atque horæ memoriam haberet. Primo quidem Martinus Lutherus, ut humanioribus literis instrueretur, Islebiam mittebatur, postea vero Magdeburgum, Isenacum, ac denique Erfordiam venit, ubi viginti annos natus Philosophici studii curriculum emensus Anno Christi millesimo quingentesimo tertio Liberalium artium laurea consecutus est. Quadam die, cum in ejusdem urbis agro deambularet, fulminis e cœlo in sodalem suum immissi ictu perterritus, Religiosæ cuidam familiæ nomen dare voto se adstrinxit: nec fidem fefellit, nam Ordinem Eremitarum S. Augustini Erfordiæ Anno ætatis suæ vigesimo secundo ingressus est, ac biennio post Sacerdos factus die secunda Maji Anno Salutis millesimo quingentesimo septimo primum Deo sacrificium obtulit. Paulopost a Staupitio Wittembergam vocatus, in eadem Universitate junioribus Ordinis sui Religiosis Philosophiam tradidit, quo munere triennio functus, Romam, ut ibidem quædam in Germania inter suos exorta componeret dissidia, missus est, quod ille negotium tanta prudentia, tantaque dexteritate ac circumspectione perfecit, ut Wittembergam reversus, Theologiæ Doctor in eadem Universitate renunciari, atque a suo Vica-

Sæcul. XV. A.C. 1517.

Surius in comm. *Raynald. an.* 1517. n. 69.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

rio generali publicis ejusdem studii lectionibus præfici mereretur.

§. XXXIII.

Lutherus Wittembergæ Doctor Theologiæ creatus.

Cochl. de actis & script. Luth. ann. 1517. Florim. Remond. hist. Hæres. l. 1. c 5. Gauric. in tract. Apol. fol 69. Spond. ad an. 1517. n. 2. & seq.

Eo in munere Lutherus magnum sibi nomen comparavit, cumque ingenii acie, memoriæ felicitate, & singulari ac facili eloquentia nemini cederet, totius Universitatis, omniumque Saxoniæ Ecclesiasticorum admirationem in se rapuit: postea anno Christi millesimo quingentesimo decimo sexto ad Hebraicæ ac Græcæ linguæ studium mentem adjecit. Ceterum non mihi animus est neque consilium, Catholicorum quorumdam Scriptorum calumnias recensere, qui majori quam decet indignatione commoti quædam vix veritatis speciem præseferentia adversus Lutherum sparserunt. Referunt enim nonnulli, eum ex nefando Matris suæ commercio cum dæmone incubo fuisse progenitum; alii ortus sui diem corrumpunt, nam Cardanus illum ad vigesimam secundam Octobris diem Anni millesimi quadringentesimi octogesimi tertii, Gauricus vero ad octogesimum quartum revocant, haud alio ex consilio, quam ut illum funesto admodum fato

fato natum pronunciarent. Eidem quoque crimini datur, fassum ipsum esse, quod solidis decem annis flagitiorum suorum conscientia cruciatus fuisset, tandem vero eo deveniisset, ut nullis ultra stimulis angeretur, atque in Atheismum prolaberetur. Addunt nonnulli, hæc eum non raro effutiisse, *lubenter cæli gloriam missam facerem, dummodo Deus in hoc sæculo per centum annos jucundam mihi vitam concederet.* Præterea insimulatur, quod immortalitatem animæ negasset, abjecte de Beatorum felicitate sensisset, eamque in carnalis voluptatibus positam tenuisset, hymnosque in ebrietatis laudem composuisset, eoquod huic vitio penitus immersus fuisset, præterea de eo dicitur, quod in Sacras literas, ac speciatim in Moysen enormes evomuerit blasphemias, ac studiose fabulam, cui titulus: *Amadisia Gallorum* Gallici idiomatis nitori restitui curaverit, eo consilio, ut Christianis sacri Codicis, aliorumque piorum librorum nauseam inspiraret, denique refertur eum persæpe affirmasse, quod nec ipsemet iis, quæ in sermonibus suis annunciasset, fidem habuisset. Collecta sunt hæc probra ex libro, qui inscribitur, *Colloquia mensalia*, ab Henrico Petro Rebenstock Eischerheimensi Pastore Anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo edita, de quorum tamen fide spon-

Sæc. XVI. A C 1517.

Spond. ad ann 1518. *n.* 2. *& seq.*

Sæcul. XVI A. C. 1517.

fores esse haud prætendimus. Id certe Luthero objectari potest, quod adversus Ecclesiam insurgens, Orthodoxam illius fidem tanquam manifestus Hæresiarcha evertere præsumpserit, suisque perniciosis erroribus, quos summa pervicacia defendit, Christianæ Religioni infinita omnino mala irreparabili damno intulerit.

§. XXXIV.

Lutheri sermones adversus indulgentias.

Cochl. l. cit.

Lutherus Wittembergæ Theologiam docuerat, cum a Staupitio generali Ordinis sui Vicario indulgentiis per Dominicanos promulgatis sese opponere juberetur. Lutherus ergo opportuna scientiam suam ostentandi, famamque aucupandi occasione lætus, Anno millesimo quingentesimo decimo septimo declamationibus suis initium fecit. Primo quidem nonnisi indulgentiarum corruptelas a quæstoribus ac Prædicatoribus admissas insectabatur, & tam in sermonibus, quam in libris suis carpebat modum eas concedendi, ac media reprobabat, quibus FF. Dominicani ad inspirandam earum æstimationem utebantur. Ast haud diu in perstringendis, quos merito arguere potuisset, privatorum hominum abusibus

stetit

stetit Lutheri audacia; brevi enim in ipsas quoque indulgentias invehebatur, ac publicis dein sermonibus earum sanctitatem contaminavit, necnon propositiones primo in fide dubias evomuit, demum vero omnino erroneas palam tueri aggressus est. Mox inter utriusque S. Ordinis Religiosos, Prædicatores, atque Augustinianos ingens exardescebat contentio; quæ paulo post in publicas declamationes, theses, librosque ultro citroque scriptos undique erupit. Forte primis hisce tumultibus facili remedio obviari potuisset, ast hæc dissensio velut quædam privata, nulliusque momenti altercatio vilipendebatur: Nec ipse Pontifex hac super re multum sollicitus erat; haud enim sibi persuadere poterat, quod tantas simplici Monacho apud populum auctoritas foret, ut Papalem potentiam immotis omnino fulcris innixam quovis pacto labefactare valeret; quapropter Lutheri vociferationes vilipendens, indulgentias prædicari concessit, ipsusque non modo per se, sed & per alios ubique publicabat, Turcas totis viribus debellandos, hancque ob rem omnes Christianos hortabatur, ut pro facultatatum suarum ratione ad prosperum hujus expeditionis, *quam perneceſſariam* vocabat, successum subsidia conferrent, pollicitus, non solum temporalia bona, sed

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

Ulemburg. in vita Lutheri c. 2.

Sæcul. XVI. A. C. 1517.

& liberationem a flammis purgantibus, si eleemosynis suis rite hasce indulgentias lucrari conarentur. Verum piis Papæ consiliis obfuit suorum Prædicatorum, præcipue Tetzelii imprudentia, cum interea augeretur factio Lutheri, qui in ejusmodi condonationis gratiam invehi, ac tumultuari non desistens, ingentem sibi Auditorum numerum temeritate sua conciliabat.

§. XXXV.

Ecclesiæ Catholicæ dogma de Indulgentiis.

Ceterum tam Lutherus, quam Papæ Præcones Ecclesiæ definitiones transgrediebantur, & quidem illi ultra modum indulgentiarum vim exaggerando, Lutherus vero eas enervando; ambo igitur Ecclesiæ dogmati circa hunc articulum injuriam irrogabant. Docet enim Ecclesia Catholica, *quod potestas conferendi Indulgentias, a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, earumque usus Christiano populo maxime salutaris Sacrorum Conciliorum auctoritate probatus in Ecclesia retinendus sit. In his tamen concedendis moderatio, juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem adhibeatur, ne nimia facilitate Eccle-*

Concil. Trid. Sess. 25. cap. 1

Ecclesiæ disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendentur, atque corrigantur, hinc pravi quæstus omnes pro his consequendis omnino aboleantur, si quos per Commissariorum infidelitatem sub obtentu indulgentias promulgandi admitti contigerat; *quapropter Episcopi abrogare teneantur corruptelas, quæ ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque proveniant;* ut abolitis abusibus *sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur; nulla prorsus mercede accepta, ut tandem cælestes hos Ecclesiæ Thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, omnes vere intelligant.* Sæcul. XVI. A.C. 1517. *Idem Sess 21. de reform. c. 9.*

Præterea Pontifices Ecclesiæ mentem assequi magis solliciti, immodicum indulgentiarum desiderium, quod non raro vel ex ignorantia, vel fidelium ignavia processerat, moderari studebant, ne, inquit Bellarminus, pœnitentiæ studium extinquatur, Ecclesiæ disciplina enervetur, ac peccata per proprias satisfactiones, quarum indulgentiæ non nisi supplementum sunt, debitum pœnæ compensantes expiandi obligatio aboleatur. (*) *Bellarm. de Indulg. l. 1. cap. 11.*

§. XXXVI.

(*) *Hæc in Bellarmino desiderantur.*

Sæcul. XVI.
A. C. 1517.

§. XXXVI.

Eadem doctrina magis confirmata.

Idem cap. 13. Ex hisce principiis Indulgentiarum vim d judicare oportet, atque ad eorum præscriptum dilucidatur quæstio a Bellarmino Cardinale proposita, nimirum, *An requiratur alia dispositio in suscipiente Indulgentias præter statum gratiæ & adimpletionem operum injunctorum?* Respondet Bellarminus, quod *Cajetanus Cardinalis doceat, requiri tertiam conditionem, ut videlicet, qui vult consequi indulgentias, habeat propositum satisfaciendi Deo propriis laboribus, quando poterit: iis autem, qui nolunt pro se ipsis satisfacere cum possint, negat Cardinalis, prodesse indulgentias, ex quo etiam colligit, paucos admodum revera frui Pontificiis indulgentiis ex tanto numero adeuntium Ecclesias temporibus stationum, aliarumque similium Indulgentiarum. Ille enim sic ratiocinatur: Qui non vult satisfacere Deo per se, cum possit, indignus est, cui applicetur aliena satisfactio I. quia non decet ab Amico petere, ut pro te satisfaciat, cum ipsus possis per te satisfacere. II. Quia in Republica bene instituta non sunt dispensanda bona communia pro liberandis illis civibus ære alieno, qui per se suum æs alienum dissolvere possunt. III.*

Quia

Quia in forma indulgentiæ addi ſolet: vere pœnitentibus Indulgentias tribui: *non ſunt autem vere pœnitentes, qui recuſant facere fructus dignos pœnitentiæ. IV. Quia dantur indulgentiæ de injunctis pœnitentiis a Sacerdote: vel igitur, qui injunctam pœnitentiam accepit, id fecit animo eam perficiendi, & tunc eam adimplere tenetur, vel animo fallendi, & ſic indigniſſimus eſt, qui ex fallacia ſua lucrum reportet.* (*) Præſertim cum Indulgentiæ duntaxat eam ſuppleant pœnitentiam, quam quis vel ex virium defectu adimplere non potuit, vel in debitæ pœnitentiæ adimpletione parum negligens fuit. *Sæcul. XVI. A.C. 1517.*

§. XXXVII.

Nonaginta quinque propoſitiones a Luthero contra Indulgentias editæ.

Lutherus, cum ſuam ſcribendi atque docendi libertatem minime coerceri cogno-

(*) Obſerves velim, Bellarminum loc. cit. hanc Cajetani ſententiam quidem referre, non autem ſequi, ſed omnes haſce rationes confutare, atque aperte hæc affirmare: *Hæc ſententia utilis eſt, ſed fortaſſe non vera: præſertim cum ſit contraria communi aliorum doctrinæ, ut ipſe etiam Cajetanus fatetur.*

Sæcul. XVI. A. C. 1517.

cognoſceret, quæ ore evomuerat, publicæ etiam diſputationi palam exponere ſtatuit, quocirca nonaginta quinque propoſitiones divulgavit, in quibus ſuam de Indulgentiis opinionem manifeſte expoſuit. Eædem Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo Wittembergæ pridie ad feſtum Sanctorum Omnium publicatæ propugnabantur, demum ad Albertum Moguntiæ Archiepiſcopum tranſmiſſæ, adjectis Lutheri literis hunc in modum conceptis: *Circumferuntur Indulgentiæ Papales, in quibus non accuſo prædicatorum exclamationes, quas non audivi, ſed doleo falſiſſimas populi intelligentias ex illis conceptas, quas vulgo undique jactant, videlicet, quod credunt infelices animæ, ſi literas indulgentiarum redemerint, ſe ſecuras eſſe de ſalute ſua. Tacere hæc amplius non potui;* idcirco huic coruptelæ remedium poni rogo. Ferme eadem ad Epiſcopum Brandeburgenſem perſcripſit.

Epiſt. Luth. ad Alb. Mogunt. t. 1.

Cum autem de malo in pejus ruere, pronum ſit, Lutherus quoque expoſito errore ſuo de Indulgentiis, juſtificationem etiam, atque Sacramentorum efficaciam aggredi præſumpſit, necdum tamen negare auſus eſt, quod ejusmodi Indulgentias concedendi facultas Eccleſiæ competat. Aſſerebat duntaxat, quod *indulgentiæ tantummodo pœnam externam olim canonice*

canonice imponi solitam aufferrent, ac solum vivis, non autem vita functis prodessent cum hi utpote pœnis Canonicis haud ultra subjecti, nullam quoque ex indulgentiis utilitatem consequerentur, ut proin nec animabus in piaculari carcere detentis lenimen afferrent, minus vero pœnas, quas pro peccatis suis dare tenentur, remitterent. Præterea propugnabat, quod Papa defunctis indulgentias non virtute potestatis clavium, sed per modum suffragii impertiretur, raro autem ejusmodi condonationes integram pœnam relaxarent, imo Indulgentias suscipere omnino inutile esset, eoquod contritio culpam & pœnam remittat, hinc dicebat Lutherus, eos unacum suis Magistris damnari, qui totam suam spem in indulgentiis collocant; nec tamen eas esse contemnendas, eoquod veniam a Deo impetratam declarent, nullatenus vero populo in sermonibus proponendum, illas bonis operibus esse præferendas, cum præstaret etiam pauperibus stipem dare, quam indulgentias redimere; de cetero satis perplexum esse, ajebat, quid per hosce Ecclesiæ thesauros intelligatur? non enim esse Christi ac Sanctorum merita; cum hæc absque Pontificis interventu gratiam in anima producerent: hæ autem indulgentiæ ne minimum quidem piaculum quantum ad culpam

Sæcul. XVI. A.C 1516.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

culpam expient, nec in illis, qui per contritionem perfectam ad plenam remissionem jus habent, quicquam remittere possint, denique satius fieri inquiebat, si fideles ad peccata per propriæ pœnitentiæ labores delenda admoneantur.

§. XXXVIII.

Indulgentiarum corruptelæ a Luthero adversariis suis objectæ.

Postmodum ad propositiones, quas adversariis suis affingit, nec non ad abusus, quos in illis reprehendit, progreditur, affirmans, & quidem haud immerito, perperam ab eis doceri, quod indulgentiæ a culpa, & tota peccati pœna liberent, ita, ut anima e piacularibus flammis eripienda mox datis quibusdam eleemosinis ad cœlum evolet, atque illico peccator harum ope absque aliis bonis operibus in Dei gratiam redeat. Præterea eos insimulat, quod contra Pontificis mentem populo exactiones imposuissent, & in aliis Ecclesiis sermones haberi prohibuissent, ut majorem auditorum frequentiam sibi indulgentias prædicantibus conciliarent; nec minus de eis asseruit, ipsos non sine fidelium offensione prædicasse, quod Pontificis indulgentiæ tantam haberent vim, ut etiam illius peccatum,

catum, qui, si fieri posset, Matrem Dei stupraſſet, remittere valerent: Crux autem Papæ insignibus ornata adæquet Crucem Domini. Denique dicit Lutherus, quod hi Præcones tanta utantur hasce indulgentias promulgandi licentia, ut populus quæstiones ingerat, cur Pontifex charitatis debito cunctas animas ex purgantibus flammis non eripiat? quare pro defunctis anniversaria celebrari permittat, si illi per indulgentias certissime liberantur? denique quam ob rem Papa, cum opibus abundet, fidelium sumptibus Ecclesiam construat; si enim in dispensatione indulgentiarum non nisi salutem animarum procurare dicatur, cur veteres condonationes non minus efficaces suspendit? Addit insuper Lutherus, quod ejusmodi quæstiones nunquam in mentem veniſſent, si indulgentiæ juxta mentem Ecclesiæ annuntiatæ fuissent; tandem se illas nec aggredi, nec evertere simulans, in septuagesima prima propositione hunc in modum se exprimit: *Si quis Pontificis indulgentiarum veritatem negaverit, anathema sit.* Saecul. XVI. A. C. 1517.

§. XXXIX.

Lutheri errores de Justificatione, & Sacramentorum efficacia.

Denique Lutherus ad alios duos articulos transiens, propugnat, quod justitia,

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

stitia, qua justificamur, non sit in nobis, sed justificemur, quia Deus Christi justitiam, perinde ac si nostra propria esset, imputat, nec non eam re ipsa nobis per fidem possimus propriam reddere, hæc autem fides justificans, ut loquitur ipse, in eo consistit, quod quis in corde suo credat, omnia ejus peccata esse remissa: statim enim justificatus est, quamprimum se justificatum esse, firmiter credit; necdum tamen is certus est de sinceritate suæ pœnitentiæ, quia ut docet Lutherus, nequidem certus est, an non in optimis etiam operibus suis propter occultissimum vanæ gloriæ, & amoris proprii vitium plures letales noxas committat; hunc vero errorem fundat in distinctione inter opera Dei, & opera hominum, perinde ac si bona hominum opera non itidem forent opera Dei, utpote a divina gratia producta. In hisce propositionibus Lutherus errasse facile deprehenditur, dum a veræ fidei semita palam recessit. Interea ceteras propositiones, quas singulis ferme diebus in vulgus spargebat, illa quoque recensetur, qua populi invidiam acriter in se concitabat; cum enim Germanis Turcarum invasio impenderet, ad quam præveniendam ipsi arma parabant, hinc Lutherus hoc dogma spargere non erubuit, quod non modo ea, quæ Deus vult ut velimus,

Lutherus ferm. de Indulg fol. 61.

vella

velle debeamus, sed omnino quidquid Deus vult, velle oporteat, inde vero intulit, quod *Præliari adversus Turcas sit repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.* Hæc præpositio ingentes tumultus suscitavit. Sæcul. XVI. A. C. 1517.

§. XL.

Tetzellii propositiones Lutheri thesibus oppositæ.

Vix Lutheri propositiones de indulgentiis publicam lucem aspexerant, cum Joannes Tetzelius hæreticæ pravitatis Inquisitor Ordinis S. Dominici, ac princeps eorum, quibus Indulgentiarum promulgatio erat credita, centum & sex propositiones ederet, quibus contrariam exsplicabat sententiam; ast ubi responsionibus suis hujus hæretici scopulos diffringere nitebatur, ipsus in alios impegit. *Cochl. l. c. D'Argentre collect judic. de nov. error. t. I. p. 357. Hist. gest. in Eccles. memor. Aut la Bizzarderie Paris p. 12.*

Propositiones istæ Francofordiæ ad Oderam propugnatæ hunc in modum erant conceptæ. I. Cum satisfactio sit pars pœnæ a Sacerdote vel a S. Canonibus impositæ, Papa ad remissionem totius pœnæ indulgentiis uti potest, nec tamen, affirmavit Tetzelius, propterea fideles a bonis operibus, & mortificationibus, quæ sanant, & a peccato retrahunt, exempti sunt. II. Ministri Eccle siæ

Sæcul. XVI A C. 1517.

clesiæ non modo peccata esse remissa declarant, sed eadem vere per Sacramenta, ac potestatem clavium condonant. III. Peccata absque Sacramento pœnitentiæ non remittuntur; nihilominus tamen contritio in casu necessitatis supplere valet, pœnam æternam in temporalem in altero sæculo sustinendam duntaxat commutans. IV. Ecclesia pœnas etiam post mortem subeundas imponere potest; V. præstat pœnitentem cum exigua pœnitentia in purgatorium, quam sine absolutione in infernum mittere, perinde ac si absolutio absque pœnitendi animo, imo etiam sine operibus satisfactoriis, quando adimpleri possunt, virtutem suam operaretur. VI. Mortui quadam ratione Legibus Ecclesiæ subjiciuntur, cum hæretici, schismatici, & impii quandoque primum post mortem anathemate percellantur. VII. Papa indulgentias plenarias concedendo non modo pœnas impositas, sed generatim omnes pœnas remittere vult. VIII. Falsum est, quod Papa animabus purgantibus nonnisi pœnas, quas in hac vita juxta Canones subire debuissent, remittat. IX. Pro consequenda Indulgentiarum gratia contritio non est necessaria, sed sufficit attritio, quæ unacum Sacramento hominem efficit contritum. X. Papa animabus in piaculari carcere detentis indul-

Ulemburg. in vita & gest. Lutheri c. 2.

indulgentias applicare potest per modum suffragii, quamvis in eas non habeat potestatem clavium. XI. Rationi dissonum non est, animam eo temporis puncto, quo hunc in finem eleemosyna datur, ad Beatorum gloriam admitti. XII. Potest aliquis morali certitudine scire, quod indulgentiarum gratiam fuerit consecutus. XIII. Licite earum efficacia explicatur, dummodo etiam bonorum operum usus inculcetur. XIV. Indulgentiæ, quamvis ipsa charitate minus meritoriæ sint, citius tamen pœnam remittunt. XV. Cum Eleemosynæ spirituales temporalibus prævaleant, majus quoque meritum acquirit ille, qui per indulgentias peccata sua redimit, quam qui pauperibus eleemosinam elargitur, nisi hi in extrema forent necessitate. XVI. Quamvis Indulgentiarum consecutio non sit de præcepto, est tamen de consilio. XVII. Admonendi sunt fideles, Indulgentias utiles fieri per fidem, devotionem, & fiduciam in Deum. XVIII. Thesaurus Ecclesiæ sunt merita Christi & Sanctorum. XIX. Vere contritis noxæ quantumvis gravissimæ per Indulgentias remitti valent. XX. Sanctus Petrus, ejusque Vicarii, & ipse Leo Papa æqualem, eandemque in Ecclesia habent auctoritatem.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

§. XLI.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

§. XLI.

Responsum Tetzelii ad Lutherum.

Cochlæus de act. & script. Luth. ann. 1517. Raynald. hoc ann. n. 64. & 65. Surius in comm. 1517.

Expositis hisce propositionibus, in quarum pluribus ignorantia, & falsitas deprehenditur, Tetzelius Lutheri assertiones perstrinxit, errorisque redarguit, eidem exprobans, quod Indulgentiarum Præconibus falso objeciſſet, illos docuisse, *quod illius etiam peccatum, qui, si fieri posset, Matrem Dei stupraſſet, in virtute indulgentiarum remitti valeret;* postmodum ostendit, Lutherum præter alias calumnias Prædicatoribus proterve crimini dediſſe, quod plus temporis promulgandis Indulgentiis, quam Evangelii explicationi impenderent. Denique dissolvit quæstiones, quas Lutherus a fideli populo motas fuisse fingebat, & quidem ad primam respondet, quod sicut Christus Dominus suam justitiam penitus exuere nequit, ita nec Papa per ordinariam, veramque potestatem suam omnes animas ex piaculari flamma liberare possit. Alteram diluit affirmando, Anniversaria perpetua lege instituta, fundatorum etiam animabus e pœnali carcere liberatis, minime tollenda; cum non inutilia sint, eoquod aliis animabus ad solatium, vivis vero ad meritorum augmentum, & ad majorem honoris divini gloriam conducant. Tertiam explicat, concedendo-

Vid. supra §. XXXVIII.

cedendo, quod ob imbecillitatem pœnitentum S. Canonum usus haud amplius vigeat, fideles tamen adhuc iisdem omnino pœnis esse obnoxios, ab illis vero per indulgentias redimi contendit. Quartæ demum quæstioni respondet, quod summi Pontifices non avaritiæ, sed pietatis studio fabricam Basilicæ S. Petri suis sumptibus suscepissent, & quamvis, cum hæc Ecclesia toti Christianæ Reipublicæ communis esset, omnino deceret, ut fidelium quoque expensis erigeretur, nihilominus Pontifices charitatis subsidium elargientibus noxarum pœnas eleemosynis redimendi medium suppeditassent. Sæcul. XVI. A C 1517.

Quæstionibus ita explanatis Tetzelius alias quinquaginta propositiones de auctoritate Pontificis profert, quæ ejusdem sunt meriti, atque earum nonnullæ omnino falsæ, prout mox perspiciemus. Affirmat igitur I. Summo Pontifici suprema competit auctoritas ab ipso Deo data. II. Ejus jurisdictio est immediate in omnes Christianos. III. Superior est ipsa Ecclesia universali atque Concilio. IV. Illius judicium in rebus fidem spectantibus infallibile est. V. In omnibus rebus eidem honor & submissio debetur. VI. Pontifici, non item Ecclesiæ Universali data est clavium potestas. VII. Solus ipse plenarias indulgentias concedendi auctoritate gaudet. VIII. Plures dan-

Secul. XVI. A. C. 1517.

tur veritates Catholicæ, quæ in S. Literis expreſſæ non habentur. IX. Dogmata a Sede Apoſtolica definita ſunt veritates Catholicæ. X. Qui de ejusmodi veritatibus aut dubitant, aut novas doctrinas tradunt, Romanæ Eccleſiæ prærogativas impugnant, ſcandaloſas propoſitiones enunciant, hæretici atque temerarii ſunt, a quibus fideles ſibi caveant. XI. Qui vero ejusmodi hominum doctrinam ſequuntur, eisque favent, itidem hæretici ſunt; hac ultima propoſitione Tetzelius Lutherum, ejusque Sectatores ſugillabat. Hiſce duabus Tetzelii ac Lutheri propoſitionibus *viſa eſt jam publice inter utrumque lis conteſtata turbulentæ illius contentionis, qua mox pax & unitas Eccleſiæ cum maxima fidelium offenſione atque animarum detrimento turbata ac diſſoluta fuit.*

Cochl. l. cit.

Lutherus ingenio acer, atque aliunde Friderici Saxoniæ Electoris, apud quem gratia atque auctoritate plurimum pollebat, patrocinio elatus erat: Tetzelius vero, quamvis ſcientiarum præſtantia æmulum ſuum haud ſuperaret, non minus tamen ingenii acumine eminebat, atque Commiſſarii Apoſtolici necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoris munere longe ſpectatiſſimus erat. Lutherus, utut audacibus juxta ac falſis propoſitionibus, ac magna verborum acerbitate indulgentiarum

tiarum abusus impugnasset, Personarum tamen famæ pepercit, nec exiguam quoque humilitatem præseferebat, atque simulabat, callide contestatus, se cum omni submissione Ecclesiæ Romanæ judicium præstolari, quinimo disertis etiam verbis declarabat, quod tanquam hæreticus haberi velit, si illius decisioni stare recusaret. Denique cuncta ejus verba nonnisi summam non modo erga Concilium, sed etiam Sedem Apostolicam, Papamque submissionem spirabant (*). Ex adverso Tetzelius majori sermonis fiducia utebatur, atque adversarii sui doctrinam hæresis insimulabat, ejusque Auctorem velut hæresiarcham habebat. Equidem & ipse suas propositiones Sacræ Sedis ac Universitatum judicio submisit, amborum tamen humilitas haud obstabat, quominus mutua utriusque contentio exardesceret, ac amborum indignatio eo proce-

Sæc. XVI. A.C. 1517.

(*) *Simulabat quidem eo tempore,* inquit Cochlæus ad ann. 1518. *blandioribus verbis modestiam humilitatemque, & obedientiam, ut partem suam, & auctiorem & commendatiorem redderet: Cor tamen ejus semper erat in mordacitatem superbiamque & rebellionem erectum.* An propterea Lutherus commendari ac Tetzelio opponi mereatur, aliorum judicio relinquimus.

Sæcul. XVI. A.C 1517.

procederet, ut Tetzelius pro officii sui ratione Lutheri theses publice concremari juberet: hujus vero Sectatores Magistrum suum ulturi viciſſim Dominicani propoſitiones in publico foro Wittembergæ combuſſerunt.

§. XLII.

Quæſtio de auditione ſacri die Dominica extra Parochiam a Pontifice deciſa.

Extat. in Bullar Leon. X. Conſtit. 25 Raynald. ann. 1517. n. 113. & ſeq.

Cum Religioſorum Ordinum Viri impenſius rogaſſent ſummum Pontificem, ut tandem benigne decideret quæſtionem dudum agitatam, nimirum: utrum Præcepto Eccleſiæ ſatisfaciant Chriſti fideles, qui die Dominica, aliisque feſtivis diebus divinis myſteriis extra Parochiam in Religioſorum Ordinum templis interſunt? hoc anno ad finem vergente Leo Pontifex denique declaravit, *omnes Chriſti fideles, qui hiſce diebus in Eccleſiis FF. Ordinum Mendicantium Miſſam audiunt, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamve incurrere.* Data eſt hæc Conſtitutio die decima tertia Novembris. Hæc deciſio præcedentium Conciliorum ſtatutis necnon prudentibus Parochialium inſtitutionum rationibus adverſari videtur (*).

Idem

(*) Ita certe ſoli Continuatori videtur, qui nullius

Idem summus Pontifex aliam die vigesima Decembris sanctionem promulgavit, qua Episcopi ex veteri more, atque instituto fidem Summo Pontifici, Sedique Apostolicæ juramento addicere, necnon diploma Pontificium de collata, confirmataque iis dignitate recipere jussi sunt. Hujus Decreti instaurati causam præbuit conjuratio contra Leonem Papam detecta; nonnulli enim Prælati, ut crimen proditionis a se amoverent, se Pontifici fidei Sacramentum haud nuncupasse, proin ejus vitæ consulere minime obstrictos fuisse allegabant. Paulo ante die decima quarta Septembris idem Pontifex aliam adhuc edidit Bullam, qua certam precandi formulam in Christi ac Dei- Sæcul. XVI. A.C. 1517.

nullius Concilii Generalis auctoritatem, nec etiam contrariam institutionem pro sua sententia allegare potest. Æquius igitur feciſſet, si minus in suo sensu abundans hujus quæstionis decisioni stetisset; haud enim ignorare poterat, quod non solum a Leone X, sed etiam a Paulo III. in extravag, *licet debitum* necnon a S. Pio V. in Constitutione edita 16. Maji 1567. in FF. Mendicantium favorem lis denuo dirempta fuerit, ipsaque S. Congreg. Card. Conc. Trid. præter cit. S. Pium illud Decretum Concil. Trid. Sess. 22 pro Regularibus explanaverit.

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

Deiparæ honorem conceptam auctoritate Apostolica confirmavit. Hæ preces *coronæ* nomine insignitæ, definito orationis Dominicæ, atque Angelicæ salutationis sæpius repetendæ numero distinctæ sunt, ex quibus prima complectebatur quinque orationes Dominicas, totidemque Angelicas salutationes in honorem quinque vulnerum Christi; altera triginta tria *Pater noster* &c. & *Ave Maria* &c. continebat in memoriam Annorum, quibus Deus-Homo in terris nobiscum conversatus est, tertia denique complectebatur quinque psalmos, quorum initiales literæ simul junctæ nomen *Jesus* efficiebant. Totidem quoque coronæ B.V.M. habebantur, quarum prima ex decem *Ave Maria* &c. in honorem decem ejusdem virtutum, altera ex septuaginta in venerationem annorum vitæ suæ, tertia constabat ex quinque psalmis; quorum primæ literæ nomini *Mariæ* respondebant, ad horum vero finem antiphona, *sub tuum præsidium* &c. adjungebatur.

§. XLIII.

Quarumdam Propositionum censura Facultatis Theologicæ Parisiensis.

Dupin. Bibl. script. to. 13. p. 209. & seq.

Anno priori die secunda Junii Parisiensis Facultas Theologica tredecim damnavit

mnavit propositiones, quas Claudius Cousin Ord. Prædicat. Bellovaci ad populum dixerat. Harum prima erat. *I. Si quis Filio aut Filiæ cujusdam Sacerdotis matrimonio junctus est, nisi dotis nomine a Patre accepta restituat, tam Maritus quam uxor æternæ pœnæ obnoxii sunt. II. Filius legitimus Patris sui hæreditatem adiens, quo pacto hæc bona fuerint aquisita, sub pœna damnationis inquirère tenetur. III. Fratres Prædicatores sive ab Episcopis sint approbati sive non, sunt proprii Sacerdotes, ac Parochis præponendi, cum hi non nisi ab Episcopis, Regulares vero a summo Pontifice suam potestatem habeant. IV. Idem Religiosi ex privilegio in pluribus casibus absolvere valent, in quibus restricta est Parochorum potestas. V. Qui FF. Prædicatoribus etiam tempore Paschatis sua peccata detegit, Constitutioni, quæ incipit, OMNIS UTRIUSQUE SEXUS &c. satisfacit, nec etiam licentiam petere tenetur. VI. Si quis Parochus præfato modo apud FF. Prædicatores expianti Sacram Synaxin denegaret, eandem invito etiam Parocho, Dominicanus ministrare posset. VII. Si quis Parochus ad populum diceret, gregem suum semel in anno apud eundem maculas eluere teneri ac quempiam ad repetendam Sacram confessionem adstringeret, excommunicatus, & si sacris operaretur, irregularis esset. VIII, Hæc privilegia Fratribus Prædicatoribus*

Sæcul. XVI. A. C. 1517.

Argentre Collect. Judic. p. 351.

Sæcul. XVI. A. C. 1517.

conceſſa fuere in quadam Bulla Pariſiis promulgata, atque ab Univerſitate approbata. IX. Nihil a Parocho recipiendum pro adminiſtratione Sacramentorum, & ſi quid receperit, Simoniacus eſt. X. Parochiani ſuis Parochis aut Vicariis nihil tenentur dare pro adminiſtratione Sacramentorum, & ſi quid dederint, peccant. XI. Conſulendum timoratis fidelibus, ut nihil Curatis elargiantur, ut hoc pacto haud ultra a ſuis Parochis impediantur, ne confeſſiones ſuas apud FF. Prædicatores vel Minores deponant. XII. Perperam aſſeritur, hujus Prædicatoris propoſitiones non eſſe orthodoxas, eoquod in variis locis, nullo reclamante, ad populum dictæ fuiſſent. XIII. Idem Prædicator habet ingenium Campanum, quod præſtat uno & dimidio Picardorum ingenio. Omnes hæ propoſitiones declarantur *falſæ, ſcandaloſæ, juri communi contrariæ, earumque nonnullæ erroneæ, aliæ temerariæ, præſumptuoſæ, atque retractivæ ſubditorum, ad quæ obligantur.*

§. XLIV.

Propoſitionum prioribus contrariarum cenſura ejusdem Facultatis.

Argentr. loc. cit. p. 355. Ex Cenſ. Facult. Pariſ. fol. 169.

Sub idem tempus eadem Facultas de quibusdam articulis, quos quidam Presbyter ſæcularis contra priores propoſitiones in Sabaudia e ſuggeſtu divulgavit,

vit, judicium suum tulit. Affirmabat ille: *I. Viator jure tenetur saltem semel in anno, in Paschate suo proprio Sacerdoti confiteri, vel illi saltem, cui ipse potestatem in sua Ecclesia contulit. Unde Curati non Sacerdotes non possunt dici proprii ratione jurisdictionis. Mendicantes vero dicuntur Sacerdotes, sed non proprii, cum non habeant jurisdictionem, sed bene possunt dici privilegiati.* Hanc propositionem facultas declarat *esse veram quoad primos duos articulos, quoad tertium vero duntaxat loquendo de jurisdictione ordinaria. II. Quilibet Religiosus cujuscunque Ordinis, qui Sacramenta scilicet, Unctionis extremæ, Eucharistiæ, & matrimonii Laicis sua auctoritate propria ministrare præsumpserit, excommunicationis sententiam incurrit.* Hic articulus a Facultate censetur esse verus. *III. Religiosi SS. Dominici & Franciſci auctoritatem non majorem habent per privilegia ipsis concessa, quam Curati aut Vicarii Parochiales habent de jure.* Hæc quoque propositio agnoscitur vera. *IV. Omnes Clerici & Religiosi, qui inducunt fideles ad promittendum de mutatione Sepulturarum, vel ad eligendum sepulturas in eorum Ecclesiis auctoritate Apostolica excommunicantur.* Hunc articulum Facultas in hoc duntaxat sensu verum hoc modo esse censuit, nimirum: *Clerici vel Religiosi, qui inducunt Laicos voto, aut juramento, aut promisso*

sæcul. XVI. A.C. 1517.

Sæcul. XVI. C. 1517

missо ad eligendam sepulturam in Ecclesiis suis sententiam excommunicationis incurrunt. V. Viator sumens habitum Religionis non intendens in Religione profiteri, incurrit culpam peccati. Hanc quoque propositionem declarat esse veram, *quando sine rationabili causa sumit habitum Religiosi. VI. Religiosi Ord. S. Francisci non possunt, nec debent in communi nec in particulari habere reditus annuos.* Hic articulus inquit Facultas, *est verus, & continetur in Extravaganti* 23. Exivit.

§. XLV.

Quorumdam Cardinalium obitus.

Hoc item anno sacrum Purpuratorum Collegium quorumdam Cardinalium luxit obitum. Hos inter recensentur Fridericus Sanseverinas Mediolanensis, Archiepiscopus Viennensis, Cardinalis Diaconus tit. S. Theodori; Jacobus Serra natione Hispanus Oristenensis Archiepiscopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Vitalis, necnon Episcopus Elennensis & Prænestinus; Alphonsus Petruccius patria Senensis, Episcopus Suanensis, qui conspirationis in Pontificis vitam conflatæ auctor, purpura a Leone X. spoliatus in carcere strangulatus obiit; Ludovicus de Ambasia natione Gallus Albensis Episcopus, Presbyter Cardinalis tit. SS. Marcellini,

Ciacon. t. 3. p. 422.

cellini, & Petri; Sixtus Gara de Ruvere Luccenſis, Julii II. Papæ Nepos, Cardinalis tit. S. Petri ad Vincula, primo Luccæ, & Patavii Epiſcopus, demum S. R. Eccleſiæ Pro-Cancellarius. Sæcul. XVI. A.C. 1517.

§. XLVI.

Arcimboldus ad prædicandas Indulgentias ad Septentrionalia Regna miſſus.

Interim Septentrionis Regna indulgentiarum occaſione non minoribus quam Germania, agitabantur tumultibus; illuc a Leone X. decernebatur Angelus Arcimboldus, ut in Septentrione Legati Apoſtolici munere inſignitus easdem promulgaret. Hic autem poteſtatis ſuæ limites excedens, variis modis in Dania ingentem pecuniarum ſummam collegit. Inde vero in Sueciam delatus, a Regni Adminiſtratore Apoſtolicas itidem literas promulgandi facultatem obtinuit, atque eo jure uſus immenſam propemodum auri vim congeſſit: Nec hæc ſola erat Arcimboldi cura, nam ſuam quoque navabat operam, ut Upſalenſem Archiepiſcopum in Adminiſtratoris gratiam revocaret; nec tamen valuit ſucceſſus; quippe Adminiſtrator Arcimboldo validas omnino expoſuit rationes, ob quas Archiepiſcopi fidem merito ſibi ſuſpectam haberet;

Sæcul. XVI. A.C.1517.

beret; hunc enim secreta cum Christierno II. Daniæ Rege fœdera sanxisse ajebat. His intellectis Arcimboldus Archiepiscopi reconciliationem urgere destitit. Cum etiam Christiernus hostilem in modum Regnum invadere aggrederetur, Administrator instructis adversus Archiepiscopum judicii actis, eundem motæ conspirationis accusatum coram Regni Ordinibus comparere jussit, a quibus tanquam rebellium Coriphæus declaratur, atque ab Administratore comprehendi jubetur. Datum, acceptumque negotium, hinc illico Stecca arce a militibus cincta, ipse captus Stockolmiam abducitur, ubi Senatus discussis accusationis capitibus in eum sententiam tulit, ut Archiepiscopatu abiret, atque in monasterium secederet, ibidem delicti sui pœnas daturus.

§. XLVII.

Bulla Leonis Papæ adversus Sueciæ Administratorem.

Postmodum Stecca arx solo æquata est, Archiepiscopus vero in pleno Senatorum confessu dignitatis suæ abdicationem postulans Romam quosdam ablegavit, qui ejus nomine de illata ipsi violentia quererentur. Pontifex Archiepiscopi querelis permotus, Arcimboldo negotium dedit, ut in Sueciam rediret, atque

que Administratori, nisi Archiepiscopum pristino honori restitueret, anathematis pœnam comminaretur. Eo autem renuente, Leo Sueciæ Regnum interdicto subjecit, Administratorem vero atque Senatum a Communione fidelium exclusit, cujus sententiæ executio Archiepiscopo Londenensi in Dania, atque Ottonienſi Episcopo demandata est, Christiernus quoque eandem potentia ac auctoritate sua fulcire rogabatur. Vicissim vero Administrator pecuniarum summam ex fidelium eleemosynis in Suecia collectam Arcimboldo aufferri jussit; quorum tumultuum occasione Christiernus opportune usus, Sueciæ Regnum occupavit, illudque sævitia haud unquam audita fœde devastavit, prout in subsequentium annorum Historia perspiciemus. Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. XLVIII.

Continuatio negotii de Concordato.

In Gallias redeamus, ubi Rex Parlamenti Concordatum omnino recipere renuentis pertinaciam edoctus, quædam hujus Senatus membra accersiri jussit, eo consilio, ut suæ sententiæ rationes, causasque exponerent. Hanc in rem Parlamenti Curia Andream Verium, & Franciscum Lognesium Consiliarios decernebat, ut Regi concepta Parlamenti con- *Vid. supra ann.* 1517. §. 13.

Sæcul. XVI. A.C.1518

consilia aperirent, quæ prius literis data in Parlamento, atque Curiis ad id congregatis perlegebantur, demum vero Consiliarii Ambasiam, ubi Rex agebat, contendebant, ac primo Cancellarium adibant, ab eo Morentiacum ducem accedere jussi, nec tamen Regem alloquendi opportunitatem nanciscebantur, Francisco aliis tum negotiis distento. Die vero decima quinta Januarii Anno Salutis millesimo quingentesimo decimo octavo Morentiacus Dux (*) eisdem præcepit, ea, quæ peterent, scripto traderent; hoc enim inquit, destinatum habemus, ut hoc negotium ceteris quoque Monarchis communicetur. Juffis obtemperant Consiliarii, tandemque ultima Februarii die Regis conspectum subire permittuntur. Acceptavit Rex Scriptas Curiæ petitiones, legitque responsum, quod Cancellarius desuper dederat, interrogans, si quid hisce petitionibus, quod adderet, Parlamento occurreret; Consiliariis vero respondentibus, quod Parlamenti Curia jam id, quod hæc haberet, totum dixisset, si tamen Regia sua Majestas benignas accommodaret aures, tunc Senatus

Montmorancys.

(*) *P. Daniel in tom. 5. p. 428. & tom. 7. p. 398. in sua Historia Franciæ, hunc non fuisse Ducem Montmorancium, sed Boisium supremum Regiæ Magistrum existimat.*

tus hujus mentem prolixius expoſituri eſſent: Rex illico repoſuit: exacte petitiones Curiæ perlegi, plura verba addere ſupervacaneum cenſeo: quo percepto Conſiliarii petebant, ut ipſis reſponſi, quod Cancellarius dediſſet, exemplar concederetur: aſt repulſam tulerunt, eoquod Franciſcus Rex judicii acta hac ſuper re inſtrui prohiberet, quæ Regis voluntas Parlamento permoleſta accidit. Sæcul. XVI. A. C. 1518.

§. XLIX.

Parlamentum ad acceptanda Concordata a Rege vehementer ſollicitatum.

Demum Deputatis ſignificatum, quod Rex ob libellum ab eis porrectum gravi indignatione commotus dixiſſet, quod præter ſe neminem alium tanquam Franciæ Regem agnoſceret, alias vero ad revocandam Regni pacem ſe nulli peperciſſet labori, proin nunquam eſſet paſſurus, ut per ſubditorum contumaciam ea, quæ in Italia cum tanta ſollicitudine compoſuiſſet, evertantur: minus vero Parlamento ſuo tantam, qua Venetorum Senatus polleret, auctoritatem conceſſurus eſſet; quamvis enim nil antiquius ſibi duceret, quam juſtitiam colere, quod tamen ejus ſubditi extrema adverſus illum moliri præſumerent, prout Parla- *Pinſſon hiſt. Pragm. & Concord. p. 733.*

Secul. XVI A.C.1518.

mentum sub Prædecessoris sui imperio attentassет, nunquam esset permissurus. Præterea Rex Morentiaco Duci negotium dedit, ut ambos deputatos quantocius aula excedere juberet, secus semestri carcere plectendos. Consiliarii parere coacti, illico discesserunt, Regisque indignationem Parlamenti Curiæ exposuerunt.

§. L.

Trimolius Regis nomine Parlamentum accedens.

Tertio post horum adventum die Trimolius Parlamentum ingressus est, Regisque nomine ea exposuit, quæ hoc in negotio in Italia gesta fuissent, quantaque difficultate Concordati firmitas a Papa obtineri potuerit, his addidit, lectas fuisse a Rege deputatorum petitiones, prævaluisse tamen Cancellarii responsa, utpote Regni negotiis ac statui magis consona: tandem sic Curiam alloquebatur: „ Non equidem dubito, quin „ Deputati Parlamento integra fide retu„ lerint totam rei gestæ seriem, nec non „ mandatum eisdem a Rege impositum, „ vi cujus vobis nunc significarent, „ quod deinceps, si concordatum non ac„ ceptetur, ac nulla mora promulgetur, „ longe acrius quam unquam bellum ac„ cendatur. Ea igitur ac ultima est Re„ gis

„ gis voluntas, ut quantocius Concor- Sæcul. XVI.
„ datum recipiatis, nullo vobis opinan- A.C. 1518.
„ di ſpatio amplius relicto. Quam ini-
„ quo autem animo Rex veſtram tuliſ-
„ ſet pervicaciam, Regii mandati Lator
„ ad Curiam miſſus vobis exponere de-
„ buiſſet. Obedite igitur & vos, prout
„ ceteri fideles Regis ſubditi. „ Tandem vero ſermonem ſuum abſolvit hunc in modum: „ Nil reliquum, quod vobis dicam, „ habeo, quam quod ſi denuo morem „ gerere renueritis, Regem extrema „ quæque tentaturum ſciatis, inde vero „ vos diuturna contumaciæ veſtræ pœ- „ nitentia ſubibit. „ Ad hoc Jacobus Olivarius reſpondit, Curia hac ſuper re deliberabit, nec dubito, Regi per Parlamenti ſententiam ſatisfactum iri.

§. LI.

Regii Advocati rationes Trimolio propoſitæ.

Ergo Curia Regis deputatos, qui Concordatum ad acta referri poſtulabant, die decima ſexta Martii accerſivit, Regisque Advocatus, Leporius nomine, hanc in ſententiam peroravit: Ego & ſocii mei a Trimollio accerſiti fuimus, isque nobis Regis literas tradidit, ſignificans, Regem præcipere, ut Concordatum omnino recipiatur, atque ad finem *Pinſſon. l. c. p. 733.*

Sæcul. XVI. A. C. 1518.

colloquii noſtri hæc Trimollius ſubjunxit; Regis mei nomine vobis injungo, ut illud promulgari curetis, alioqui legum ſeveritate contra vos agetur. His ego utpote Regis Advocatus Procuratoris nomine talia repoſui: noſtram agendi rationem a Rege in crimen vocari vehementer dolemus, ejus tamen indignationem prævenire, ſummopere intenti erimus; eam enim abs dubio Parlamenti honori, Pariſienſis urbis, totiusque Regni commodo, ac tranquilitati maxime noxiam fore, probe perſpectum habemus. Equidem ingrata nobis ſunt cæpta Regis conſilia, attendenda tamen, qua imperium urget, Regis vehementia, cùm alias timenda ſit illius indignatio; de cetero concordatum, ob quod tot tumultus excitantur, quid aliud eſt, quam voluntarium Papam inter & Regem pactum Eccleſiæ Gallicanæ jura concernens, quibus tamen, cum hæc inviolata firmitate ſubſiſtant, Concordatum nec quiddam derogare, nec ea evertere poteſt, Eccleſiæ Gallicanæ membris nec vocatis, nec unquam auditis. Interim non me latet, nova hac lege promulgata, etſi forte quopiam remedio hanc labem tractu temporis ſanandi ſpes ſupereſſet, ſemper tamen timendum, ne damna inde emergentia haud unquam reparari poſſent; nihilominus ſerviendum iniquitati temporis,

poris, Regisque minis; nam malo, quod ex promulgatione pertimescitis, suo tempore remedium afferri poterit, ex adverso calamitates, quæ ex nostra repulsa nascentur, haud unquam sarciri posse videntur. Ergo cedamus tempori, in extremis malis patientia opus est, ubi parendi necessitas mali remedium nobis sustulit. Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. LII.

Parlamenti consilium de Concordato appositis conditionibus acceptando.

Regii Procuratores atque Advocati hac oratione permoti postulabant, ut binæ, si Curia concordatum recipere meditaretur, adjicerentur conditiones, quarum erat prima, ut Concordatum ad acta, *non nisi ex ordinatione, & præcepto Regis iteratis vicibus facto referatur.* Altera, *quod Curia Parlamenti nunquam censuisset, ut hac promulgatione Concordata firmarentur, aut rata haberentur*, & quoniam in Concordatis hæc continetur clausula, *in nominationum literis beneficia, eorumque verus valor exprimatur, alioquin literæ nominationis eo ipso nullæ sint, & esse censeantur*, hanc clausulam nihili habendam Parlamentum postulavit, Papamque inducendum, ut pro quibusdam causis Romam evocandis certum officialium numerum in Curia sua determinare velit, *Pinsson l. c. p. 634.*

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

quin propterea Parlamentum ceteras causſas ſecundum juris præſcripta dijudicandi jure ſpolietur. Ergo die decima octava Martii omnibus Curiæ Senatoribus una congregatis de Concordato ad acta referendo agebatur, id tamen intervenientibus quibusdam difficultatibus antea ſubmovendis, nonniſi vigeſima ſecunda ejusdem menſis effectui datum; ea tamen die conſcripti Curiæ Patres aliud Senatus conſultum condiderunt, quo attentis Trimollii rationibus ſancitum, ut edictum nuper die vigeſima quarta Julii editum omnino ſuum ſortiretur effectum, atque Concordatum ad acta relatum ex mandato Regis promulgaretur. Eadem quoque Curia declaravit, quod per hoc nullatenus hanc promulgationem comprobet, ac proin beneficiariæ cauſſæ juxta Pragmaticæ decreta, ut ante Concordatum mos tuliſſet, dijudicandæ eſſent, atque in conteſtationis diplomate diſertis verbis exprimeretur, Curiam *omnia tentaſſe, quæ Concordatorum publicationi obſiſtere poſſent*, idque Tabularii & quatuor Secretariorum chirographo firmaretur. Denique cum conſcripti Patres omnia, quibus a Concordati publicatione ſeſe eximere conati eſſent, fruſtra adhibuiſſent, & conſiderarent, quod Regis ſollicitationibus minime cedere poſſent, cum nec Concordati publicationem declinandi

di medium supereſſet, hinc ajebant supplicare ſe Trimollio, quatenus datis literis Regem rogaret, ut Virum dignitate conſpicuum, qui relationi ad acta faciendæ præſens adeſſet, mitteret, ac publicationem hisce verbis conceptam fieri pateretur: *Lectum, publicatum, atque ad acta relatum ex ordinatione, & mandato Regis iteratis vicibus facto, præſente Oratore ſpecialiter hanc in rem deputato.* Secul. XVI. A.C 1518.

§. LIII.

Novæ Trimollii Sollicitationes.

Die decima nona Martii Parlamenti Curia iisdem atque iteratis precibus Trimollium urgebat, exponens, quod magis expediret, Cancellarium, qui publicationi Concordati adeſſet, a Rege nominari, ſic enim rem majori cum ſolemnitate perfici. Verum Trimollius ad Regem perſcribere renuens, ſcitote, inquit, ejusmodi tergiverſationes Regi ſummopere diſplicere; dum enim ab urbe Pariſienſi diſceſſi, literas a Rege accepi, quibus illius mandata exequi jubeor, inſeruit quoque Regia ſua Majeſtas articulum, cujus executio a veſtra agendi ratione, quam in hac cauſſa tenueritis, omnino dependet: cum vero ſupremus Parlamenti Præſes ſibi Regis juſſa oſtendi peteret, renuit Trimollius, aſſerens, *Pinſſon. hiſt. Pragm. & Concord. p. 634.*

Sæcul. XVI A.C. 1518.

ea Parlamenti Patribus exhibebo, quamprimum vos Regiæ petitioni morem gerere declaraveritis, postea vehementer instabat, ut tandem Curia Regi obtemperaret, ne contumaciæ suæ pœnas dare cogeretur: His perceptis conscripti Parlamenti Patres rationibus, quæ obedientiam suaderent, mature discussis, serio perpendebant, quod data repulsa Regis indignatio, & futura Parlamenti dispersio, regnique tumultus impenderent; cunctæ hæ rationes, quamvis essent mere temporales, præsente tamen Episcopo Lingonensi Duce ac Pari Franciæ obtestati sunt; *Si quæ Concordati recitatio, aut publicatio fieret, id neque suffragiis, neque voluntate neque consensu, aut Decreto Patrum, sed solo Regis imperio committi; demum Curiam Parlamenti nunquam censuisse, ut Concordata firmarentur, grata haberentur, aut aliquem sortirentur effectum, neque etiam, ut Senatorius Ordo, vel Judices Ordinarii de litibus, & caussis inde manantibus cognoscerent, aut judicarent, imo vero hoc unicum in votis habuisse, ut sacrosancta Conciliorum Decreta & Sanctio Pragmatica exactissime, & integerrime observarentur, similiter intendere ac decernere, ut Senatus consultum factum vigesima quarta Julii Anno Salutis millesimo quingentesimo decimo sexto plenum ac integrum adipisceretur effectum.*

§. LIV.

§. LIV.

Sæcul. XVI. A C. 1518.

Secunda Parlamenti Provocatio ad Papam, & Concilium.

Verum Parlamenti Patres plenius edocti, quæ summus Pontifex post Procuratoris Generalis appellationem Gallici Regni nomine factam pro Pragmatica penitus abolenda Romæ in Concilio Lateranensi egisset, huic appellationi inhærentes rursum provocabant *ad Papam melius consultum, & futurum Concilium generale legitime congregandum, petendo apostolos instantissime ab Episcopo & Duce Lingonensi, & Franciæ Pari; quos quidem apostolos dictus Episcopus Lingonensis, ad honorem Dei Omnipotentis*, ita loquuntur Patres, *pro Ecclesiæ Gallicanæ, Regni, ac Reipublicæ præsidio & conservatione concederet reverentiales, & quales de jure pro remedio opportuno, secundum temporis necessitatem concedere potest, & debet.* Post hæc Curia hujus provocationis instrumentum fide dignum sibi tradi postulabat, ad Senatus tabulas referendum. *Pinsson. hist. Pragm. p. 735.*

§. LV.

Libellus supplex ab Universitatis Rectore Parlamento porrectus.

Trimollius diem vigesimam secundam Martii publicandis concordatis præ-

Sæcul. XVI A.C.1518.

Finſſan. l. c. p. 734.

fixam edoctus, a Parlamenti Patribus literas accepit, quibus hi eidem demiſſiſſime expoſuerunt, atque rogarunt, quatenus Regem induceret, ut cum Pontifice, cujus amicitia frueretur, conferens, Concordati articulos nondum rite conceptos ordinaret. Interea die vigeſima prima Martii Academiæ Rector cum undecim Sociis, ac tribus Advocatis, libellum ſupplicem Parlamento exhibuit, hæc exponens; Univerſitati noſtræ innotuit, Concordati relationem ad acta vehementer urgeri, proin rogamus, ut vos conſcripti Patres ſedulo perpendatis, quod ejusmodi lex nonniſi libertatum Eccleſiæ Gallicanæ everſionem ſpectet, ac Univerſitatum Gallicarum juribus ruinam minetur: cum vero vos alteri libello hunc in finem nuper porrecto, reſponſum nobis dare neglexeritis, idcirco colloquii copiam nobis concedi petimus, priusquam de Concordati acceptatione deliberatio fiat. Ergo Rectore ad alloquium admiſſo, primus Parlamenti Præſes reſpondit: hoc ſuper negotio Parlamentum quidem ad Regem quosdam ablegavit, necdum tamen reſponſum a Rege datum fuit, Parlamenti tamen Curia hosce Deputatos de oppoſitione ab Univerſitate facta certiores faciet, ejusque rationes opportuno tempore ac loco percipiet: his addidit, quod nullatenus, ſi Concordatum

ad

ad acta referri, neceſſitas ſuaſura ſit, id Univerſitati Pariſienſi præjudicio foret, cum Parlamentum tunc, ut antea, ſemper de litibus & cauſſis juxta Pragmaticæ Sanctionis decreta pronunciaturum ſit. Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. LVI.

Libellus ſupplex a Decano Pariſienſis Eccleſiæ Parlamento exhibitus.

Altera die vigeſima ſecunda Martii Pariſienſis Eccleſiæ Decanus, pluribus Canonicis eundem comitantibus, ſummo mane Pariſienſem Senatum convenit, atque orationem latino ſermone conceptam habuit, quam Scripto exhibere juſſus eſt. Expoſuit itaque Decanus, quod Pariſienſis Eccleſia fuiſſet admonita de proxima Concordati acceptatione, in tabulas referenda; inde vero Conſtantienſis ac Baſileenſis Synodi abrogatio, & libertatum Eccleſiæ Gallicanæ deſtructio prorſus ſecutura ſit, proin ſe rogare ajebat, ne Parlamentum inconſulta eadem Eccleſia Gallicana ulterius procederet, cum illius honorem tueri, ipſius quoque Parlamenti intereſſet; eoquod ageretur de bono communi, cui ſummi Pontifices jam dudum inſidiati eſſent. His ſubjunxit Decanus, urgendum eſſe Regem, ut Cleri comitia cogi juberet; ſe interim Concordati publicationi obſtiturum, & cunctis, *Pinſſon. l. c. p. 736.*

Sæcul. XVI. A C. 1518.

cunctis, quæ in Ecclesiæ præjudicium agerentur, interceſſurum ſpopondit. Hæc Decani oratio deſcripta Senatui tradita eſt.

§. LVII.

Concordatum quibusdam conditionibus temperatum a Parlamento acceptatum.

Nihilominus inſuperhabita Decani oppoſitione Parlamentum rem proſequi pergebat, hinc illud quoque die vigeſima ſecunda Martii Tri nollius adiit, Regis literas exhibens, vi quarum Concordatorum promulgationi præſens adeſſe jubebatur: ejus tamen præſentia non usque adeo Curiæ Patres coercebat, quin illi concordati articulis conditiones ſupra relatas adjicerent, ac biduo poſt obteſtationes ſuas innovarent, declarantes, *ſe per quamcunque promulgationem nullatenus cenſere, ut Concordata firmarentur, aut grata haberentur, ſed nolle ſe unquam a ſuis obteſtationibus diſcedere.*

§. LVIII.

Binæ Regis Epiſtolæ ad Parlamentum.

Pinſſon. p. 737.

Die vigeſima ſecunda Aprilis Adam Fumæus libellorum ſupplicum Magiſter, & San-Gelaſius, ſupremus Regiæ Præ-

Præfectus duas Regis epiſtolas Parlamento exhibuerunt, in quarum una ambo Regii nominabantur Commiſſarii, demandata utrique cura, ut Concordatum typis edi curarent; altera vero Rex graviter querebatur de temerario Univerſitatis auſu, quo populum ſermonibus prorſus ſcandaloſis e ſuggeſtu dictis ad ſeditionem commovere, totis viribus niteretur, unde in eam Legum ſeveritate animadverti Rex præcepit, demum hæc verba ſubjunxit; vehementer miramur, quod Parlamentum tumultus, quos vix natos ſupprimere debuiſſet, tam diſſimulanter toleret, ut ergo turbis finis ſit, mittimus vobis Fumæum, & San-Gelaſium, ac præcipimus, ut ad mandati noſtri executionem eisdem, quantum poteritis, omne auxilium præſtetis. Perlecta hac Epiſtola Curiæ Patres quantocius ſuo Tabulario negotium dederunt, ut utrique Regis Commiſſario Concordati ad acta relati apographum traderet, atque exponeret, quod Patres, ſcandaloſos hac de re ſermones ad populum fuiſſe dictos ignorarent, nec Parlamento aſſiduis, iisque graviſſimis occupationibus diſtento ejusmodi ſermonibus interveniendi ſpacium ſuperfuerit. Sæcul. XVI. A. C. 1518.

Altera Epiſtola ad Parlamentum data Rex graviter de provocatione interpoſita

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

sita querebatur, eamque scandalosam, temerariam, stultam, summa imprudentia conceptam, ac suppressa veritate fraudulenter compositam appellabat, additque, quod a Regis mandato appellare, nefas esset, cum is unicus Regni Monarcha existeret, neminem vero superiorem se, a quo ejus jussa aut corrigi aut infirmari possent, agnosceret. Interea vero ambo Commissarii juxta Regis mandata inquirebant, & appellationis literas ab Universitate affixas abstrahi jubebant, necnon Regiæ suæ Majestatis nomine, quicquid seditioni ansam dare posset, aggredi prohibebant. Aft adhucdum ex Universitate nonnulli ejusmodi mandati executioni obsistere præsumpserunt, imo vim quoque adhibere non erubuerunt; Parlamentum vero præcipuis Academiæ membris ad se convocatis temeritatem, qua usi essent, eis exprobravit.

§. LIX.

Regis diploma adversus Universitatem.

Finsson. p. 737.

Tanta Universitatis audacia Regem compulit, ut auctoritatis suæ vim exereret; quocirca die vigesima quinta Aprilis Ambasiæ literas dedit, Regii edicti formam continentes, quibus Rectori, atque Universitatis sociis conceptis verbis

bis inhibuit, ne de rebus Regni ſtatum, inſtituta, regimen, Regis edicta, ejusque mandata ſpectantibus conventus agerent, indicta etiam pœna, qua tranſgreſſores omnibus privilegiis exuerentur. Die vigeſima ſeptima Aprilis Commiſſarii hasce literas Parlamento tradebant, poſtulantes, ut ad acta referantur: altera autem die Regis Deputati ſciſcitabantur, quo tenore hasce literas inſcribere cogitarent: ad hæc Parlamenti Curia decrevit, Regi ſignificandum, quod ejus literæ a Commiſſariis fuerint quidem exhibitæ, necdum tamen tabulis inſertæ, hujus vero cunctationis cauſſas Regi, quandocunque libuerit, exponere Curia eſſet parata; his tamen ſimul ſubjunxit, quod Univerſitatem minime deceret, ut ſeſe, aut Regni negotiis, aut rebus ſtatus diſciplinam vel adminiſtrationem concernentibus immiſceat. Poſtmodum primus Parlamenti Præſes, jubente Rege, Commiſſariis cauſſas atque rationes, quibus Curiæ Patres permoti Regis literas ad acta referre diſtuliſſent, expoſuit, eodemque temporis puncto Adamo Fumæo Concordati auctographum tradidit, quod demum Cancellarii manibus redditum fuit.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. LX.

Secul. XVI. A.C. 1518.

§. LX.

Unius anni Inducia pro Concordati executione a Papa Regi conceſſæ.

Caverat equidem Rex, fidemque ſuam obſtrinxerat, effecturum ſe, ut infra ſemeſtre in omnibus Parlamenti curiis Concordatum promulgaretur, necnon in tabulas referretur, atque ab ipſa Gallicana Eccleſia acceptaretur, data etiam fide, vi cujus, ſi ſecus fieret, conventa nullius forent momenti; cum vero Rex negotium necdum plene effectui datum cerneret, eoquod Parlamentum Concordata nonniſi adjectis pluribus conditionibus temperata acceptaſſet, & Pragmaticæ abrogationi omnino obſiſteret, hinc a ſummo Pontifice diploma impetravit, quo plenæ Concordatorum executioni unius anni prorogatio indulgebatur. Has Papa literas ad Parlamentum transmiſit, adjectis aliis, quibus Leo Pontifex declaravit: *Omnes impetrationes prætextu veri valoris non expreſſi obtentæ infra annum illius reſcripti, in quo verus valor non fuiſſe expreſſus aſſeritur, nullius valoris ac momenti eſſe.*

§. LXI.

§. LXI.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Parlamenti repugnantia in recipiendo concordato vindicata.

Ceterum repugnantia, qua Parlamentum Parisiense concordata promulgare detrectabat, validis fulciebatur rationibus, atque optandum fuisset, ut illius constantia minarum terrori haud cessisset. Oppositionis momenta potissimum ad tria revocari possunt capita, quæ tres itidem Concordatorum articulos, eosque summi ponderis concernunt. *Pinsson. p. 738.*

Primus articulus nonnisi annatarum perceptionem ex cunctis beneficiis, quæ Regiæ nominationis essent, spectabat; cum vero hic idem articulus tractu temporis fuerit abrogatus, nulla de eo habita est quæstio. Hoc unum observandum occurrit, quod Parisiense Parlamentum nullum non moverit lapidem, ut hic articulus examini, ac maturæ deliberationi subjiceretur; inde enim pericula toti Regno funesta subsequi exposuit, contenditque, quod annatas petere, Franciæ Regum edictis prohibitum sit, Curiaque Romana eo duntaxat fine illas instituerit, ut hoc pacto aurum ex Galliis Romana Curia attraheret; in quo hujus aulæ genium sibi satis perspectum habuisse ostendit.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Alter articulus concernebat *evocationem causſarum majorum* ad Curiam Romanam, inde ſequitur, quod Epiſcopatuum & Abbatiarum in Regno Franciæ necnon Cardinalium, & ejusdem Curiæ cauſſæ ad Sedis Apoſtolicæ tribunal revocandæ eſſent, ut hoc pacto omnes lites beneficia concernentes, aut propter ſimulatas abdicationes, aut ob alias rationes motæ in hoc tribunali dijudicandæ eſſent, prout ante Pragmaticam conſuetudinis erat. Equidem in hoc articulo Pragmaticæ decretum a Concordato haud differre dicitur; id tamen nonniſi quantum ad aliqua affirmari valet. Aliunde hic Pragmaticæ articulus in Galliis haud vigebat; cauſſæ enim majores ſemper a judicibus ordinariis inſtructæ, ac deciſæ fuerunt. Ipſimet quoque Cardinales, ac Romanæ Curiæ Officiales pro veteri Regni more ſuas lites in Galliis agebant, nec ibidem Cardinalium, atque horum Officialium, imo nequidem ipſius Pontificis decreta in hisce materiis obſervabantur: ita enim in Baſileenſi Concilio, necnon in Pragmatica ſtatutum erat: Eccleſia autem Gallicana hoc decretum de cauſſis majoribus ea duntaxat lege recepit, ut duo illa alia acceptarentur decreta; auctis vero hisce decretis, nonniſi Gallici Regni damna promovebantur.

Pinſſon. ib. p. 739.

Præter

Præter hasce rationes, aliud adhuc inter Pragmaticæ & Concordati articulum versatur discrimen circa causas majores; quippe in Pragmatica causæ ad Ecclesias & Monasteria restringebantur; in Concordatis autem fit mentio *de causis majoribus in jure expresse nominatis*; ex hac autem dispositione ejusmodi causarum numerus propemodum infinitus evadit, atque ad arbitrium Jurisperitorum eas admittentium, vel declarantium excrescit.

Sæcul. XVI. A.C.1518.

Pinsson. p. 739.

Circa tertium articulum *de regia nominatione ad Prælaturas, & de electionibus ad beneficia abrogatis*, censet Parlamentum, hanc legem Regis Regnique juribus adversari, omnesque *apud Sedem Apostolicam vacationes*, velut abusus sacris Canonibus, Regum Franciæ edictis ac juri communi contrarios reprobat. Equidem in Concordato subjungitur, quod *speciales vel generales reservationes ad vacatura beneficia per Papam & Sedem Apostolicam non fiant*; nulla tamen fit mentio de beneficiis *actu vacantibus*; ex quo autem inferri posset, quod ejusmodi beneficia reservandi jus summo Pontifici salvum maneret (*). Præterea Concordatum de

(*) *Haud dissimulare possumus anilem Continuatoris cavillationem; vel enim intelligit, beneficia*

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Religioſorum monaſteriis nec verbum injecit, hinc deducitur, quod ſoli Pontifici eorum proviſiones competerent, cui tamen rei Pragmatica Sanctio remedium oppoſuerat.

Ex his omnibus Parlamentum concludebat, Concordati articulos magis ſummo Pontifici, quam Regi proficuos fore; quippe I. Papæ plena relinquitur de Monialium conventibus aut præventionis, aut reſervationum jure diſponendi facultas. II. Nullum Regi jus aſſeritur in dignitates inferiores Decanatuum, Præpoſiturarum, aliarumque, relicta ſummo Pontifici de iis *præventionis jure* providendi poteſtate. III. Præcipuæ dignitates, nimirum, *Epiſcopatus*, *Abbatiæ*, *Prioratus conventuales electivi vacantes in Curia Romana*, a Regia nominatione excluduntur, easque conferendi jus ſummo Pontifici adſtruitur. IV. Nulla Eccleſiis tam ſæcularibus quam Regularibus, quibus jus eligendi competit, providendi facultas Regi

---

neficia, quæ tempore, quo Concordatum erigebatur, actu vacantia, *vel ea, quæ poſtmodum vacabunt, ſi primum, tunc plane exiguum unius vel alterius beneficii jus Papæ reſervatum manebat, ſi ſecundum, utique ejusmodi beneficium* jam vacaturis *accenſetur. Quid ergo conqueritur? nimirum Papam non omni jure ac jurisdictione penitus exſpoliatum dolet.*

Regi relinquitur. V. Ad ceteras vero dignitates electivas, ad quas Regi jus nominandi tribuitur, Personam idoneam nominare adstringitur; inde vero crebras difficultates oriri, litesque intervenire necesse est, quæ nonnisi ad diminuenda Regis jura tenderent, eoquod ad majorum causarum censum revocarentur. VI. Ecclesia Gallicana in perpetuum eligendi jure privatur, quod juri naturali repugnat, cum eligendi facultas pariter ex jure divino descendat, eoquod ea ex sacri Codicis & Conciliorum auctoritate comprobari valeat: aliunde vero legibus quoque civilibus, ac Clodovæi, Caroli magni, Ludovici Pii, S. Ludovici, Philippi pulchri, Ludovici *Hutin* seu rixosi, Caroli VI. Caroli VII. edictis stabilita sit, qui omnes Galliæ Reges electiones perpetua firmitate tuebantur, ac Curiæ Romanæ usurpationes prohibebant. Præterea Parlamentum contendebat, quod propter abusus, qui in Pragmaticæ usum quandoque irrepsissent, illa haud jure aboleri posset; & quamvis nonnullæ Decretales summis Pontificibus ad Episcopatus nominandi jus afferant, eas tamen abrogatas esse, ac non raro Regis Advocatos illis, qui ejusmodi Decretalium auctoritate uti, aut eis initi tentabant, silentium imposuisse constat. Hæ sunt generatim illæ rationes, quæ

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Glossa Joa. Andr. in cap. Quamquam de election. in 6.

Sæcul. XVI. A.C. 1518. Parlamenti Curiam ad concordata penitus rejicienda permovebant.

§. LXII.

Parlamenti rationes de Pragmatica non abroganda.

Pinſſon. ib. p. 740. Haud ſegniori ſtudio Parlamentum Pragmaticæ Sanctionis abrogationi obluctabatur: præprimis enim arguebat, quod Regis Legatus Romæ agens de hac revocatione non fuiſſet admonitus; aliunde vero in ejus abolitione plures continerentur articuli Regiæ auctoritati omnino adverſi, eoquod ſæcularibus hujus Regni Viris Pragmaticæ defenſio inhiberetur, *indicta pœna amiſſionis feudorum tam a Romana, quam ab alia Eccleſia obtentorum.* Id vero Regiæ auctoritati recta opponi ajebat, cum leges condere, ſolius Regis eſſet, utpote ſupremi Domini omnium regni ſui feudorum, quamvis hæc a nullo alio, quam ab ipſa Eccleſia obtenta fuiſſent, quam etiam ob cauſſam Galliarum Epiſcopi Regi de omnibus feudis, quæ ab eo conceſſa poſſident, fidei Sacramentum exſolvunt: immerito igitur Romana Curia contendit, ſummo Pontifici in omnia Regni feuda ab Eccleſiaſticis poſſeſſa ſupremum competere dominium.

Secundo

Secundo auctoritas Regia violatur, eoquod Bonifacii VIII. Constitutio, quæ incipit *unam sanctam &c.* in odium Franciæ Regum edita per hanc revocationem approbetur, & quamvis Clementina, *Meruit* tanquam præfatæ Constitutionis declaratio allegetur, nihilominus illa haud sufficiens existimatur, eoquod superior Regis auctoritas in temporalibus ibidem in dubium revocetur, cum tamen exploratum sit, quod Galliarum Reges in hoc puncto neminem se superiorem agnoscerent. Præterea Pontifici integrum manet Clementinam *Meruit* revocare, quo pacto Constitutio *unam sanctam* sola vigeret, indeque Curia Romana inferre posset, temporale Dominium Regibus non nisi Pontificum liberalitate concessum esse, eademque auctoritate Regi jus Regium, Beneficiorum collationem, in possessorio cognoscendi ac judicandi jus, aliaque ad statum Ecclesiasticum pertinentia aufferre valeret. Secul. XVI. A.C 1518.

Tertio imminuitur Regis potestas, eoquod Papa Pragmaticam revocando, eo ipso Concilii Constantiensis Decretum unanimi suffragio receptum, nec non Basileensem Constitutionem revocet, cujus tamen decisio atque definitio, utpote ab Ecclesia universali emanata, fidei

Sæcul. XVI A.C. 1518

veritatem complectitur (*), vi cujus habetur, quod *quilibet cujuscunque dignitatis, etiamsi papalis existat, Concilio generali obedire teneatur in iis, quæ pertinent ad fidem, & reformationem Generalem Ecclesiæ;* ut in duobus Constantiensis Synodi decretis sancitum legimus. Hæc doctrina in Galliis minime controversa est, & quamvis in Concilio Lateranensi sub Leone X. tanquam erronea fuerit damnata, facili tamen negotio quivis hoc anathema eludere valet, si quis, ut rei veritas est, etiam asserat, quod hoc Concilium non sit generale, nec tanquam œcumenicum in Galliis receptum, eoquod a Julio II. convocatum, & a Leone X. ex vindictæ libidine adversus Galliarum Reges, qui Pragmaticæ Sanctionis auctoritatem tueri cupiebant, continuatum esset (**).

Utro-

(*) *Consule annotationem factam in tom. 25. lib. CII. §. 188. fol. 480. item §. 189. fol. 484.*

(**) *Nova prorsus doctrina ex ore Catholici! Ergone Concilium aliquod generale re ipsa non est, quando ab uno cujusdam Regni corpore velut œcumenicum non habetur, quamvis cæteroquin ab universo orbe Christiano sine controversia ut tale agnoscitur. Ergone ex eo, quod a Pontifice legem suæ auctoritati injuriosam abroga-*

Utroque Concilii Constantiensis decreto statutum est, quod *Synodus generale Concilium faciens, potestatem a Christo immediate habeat, eique quilibet, etiamsi Papalis dignitatis existat, obedire teneatur in iis, quæ pertinent ad fidem & extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ* Saecul. XVI. A.C. 1518.

rogandi libidine continuatum sit, œcumenici prærogativam amittit? qua igitur ratione Basileense erit generale Concilium nonnisi a paucis, iisque ambitione tumidis Præsulibus, ex sola Papæ auctoritatem tollendi libidine continuatum, cui æque ac Constantiensi Synodo quantum ad decreta Sessionis IV. & V. tota Christiana Respublica (excepta una sola natione) adversatur? Quis denique Catholicorum Lateranense V. œcumenicum fuisse Concilium dubitat? Quis unquam asseruit, illud unice ad abrogandam Pragmaticam fuisse indictum, quem autem latet, illud ad pernicioſissimi schismatis & Pisano Conciliabulo II. adhærentium extinctionem fuisse celebratum? Non igitur Pontifices Lateranense celebrarunt, ut in Gallorum Reges vindictam ob Pragmaticam Sanctionem exercerent, quam extinqui, & Concordata substitui ipse Franciscus I. enixe rogabat: Num hæc verba Regis Papæ vindictam significant: Quoad ea, quæ Sanctione Pragmatica cavebantur, nostris precibus exorata Pontificis Sanctitas (nam ei quoque cordi erat Regni nostri Ecclesiam recte atque ordine administrari) haud ægre nobis indulsit &c.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Dei in capite & membris. Aſt Pragmaticam abrogando ſummus Pontifex in cunctis caſibus ſeſe Synodo generali ſuperiorem demonſtrat, qui contendit, quod hæc lex ſuam reſtringat auctoritatem in Cardinalium, atque Curiæ ſuæ Officialium proviſionibus quantum ad Franciæ Epiſcopatus atque Abbatias: hinc vi hujus abolitionis ejusmodi beneficia Curiæ ſuæ Miniſtris conferendi jus ſibi vendicat. Manifeſtius autem hanc revocationem nullius eſſe momenti exin elucet, quod Eccleſia Gallicana ad locum minus tutum, & ad judices, qui aperti ſunt Gallorum hoſtes, & jurati Pragmaticæ adverſarii, evocaretur, adeo, ut in abrogationis inſtrumento Pragmatica nuncupetur *infernalis*, *corruptela*, *abuſio*, *& perverſa Conſtitutio.* Præterea Parlamentum dicebat, quod Concilium Lateranenſe a Julio II. non niſi in odium & Gallicæ nationis ruinam congregatum fuiſſet. Ex quo concludere oportet, quod hæc revocatio ſacris literis, generalibus Conciliis, ſacris Canonibus, ſanctis Patribus, Canonico ac Juri civili, bonis moribus, Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, ac Regni bono contraria ſit.

Pinſſon. p. 741.

Quarto, in ſuis rationibus Parlamentum reſpondet iis, quæ in Leonis X. Conſtitutione de abrogatione Pragmaticæ

cæ dicuntur, nimirum, quod hæc Sanctio durante schismate *a Basileensi conciliabulo post illius translationem* Ferrariam factam condita fuisset. Hoc veritati minus consonum esse facile ostenditur, eo potissimum nomine, quod tempore, quo pragmatica in Gallis recepta fuit, necdum Eugenium inter & Felicem schisma exortum fuisset (*), atque ante Eugenii exauctorationem hujus Concilii decreta Biturigibus jamjam recepta essent, ex quo primum schismati initium datum est; Anno enim millesimo quadringentesimo trigesimo octavo die septima Julii præfata decreta fuere recepta, anno autem millesimo quadringentesimo trigesimo nono mense Junii Eugenius Papali dignitate exutus, Felix vero mense Novembri

Sæcul. XVI. A C 1518.

(*) *Haud dissimulandum in Leonis Constitutione, quæ incipit* Pastor æternus, *non solum dici Pragmaticam* tempore schismatis *fuisse conflatam, sed illam* manifestum schisma fovere & continere; *præterea sermo non est de schismate inter Pontifices, seu de tempore, quo Basileenses legitimo Pontifici Felicem Sabaudum Anti-Papam opposuerunt, sed de schismate, quod Basileenses ab initio Synodi sese ab Eugenii obedientia abscindendo inchoarunt, & pertinacius prosecuti sunt, donec tandem dissipata eorum factione ad veri Pontificis obsequium redierint.*

Secul. XVI. A. C. 1518.

vembri ejusdem anni intrusus fuit. Id vero, quod translationem Concilii spectat, res explorata est; nonnisi duo decreta, unum de Collationibus, alterum de causis post alteram dissensionem, id est, post Concilium ab Eugenio Ferrariam translatum a Basileensibus fuisse condita, cetera vero omnia priori tempore sancita, & ab Eugenio IV. & Nicolao V. illius Successore per Constitutionem Anno millesimo quadringentesimo quadragesimo nono approbata fuisse, quamvis generale Concilium legitime congregatum, quale fuit Basileense, Pontificis approbatione haud indigeat. Ex cunctis hisce rationibus Parlamentum inferebat, hanc abrogationem esse nullam, unacum censuris, quæ in illa comprehunduntur; eoquod tacitam hanc includant conditionem: *Saltem nisi universale scandalum inducant.* Præterea concludebat, legitimam, priusquam revocationis terminus in instrumento præfixus exspirasset, interpositam fuisse appellationem tam a revocatione, quam a censuris in ea contentis. Denique Regi supplicabat, ut suo interventu summum Pontificem ad congregandum generale Concilium induceret, & quidem in loco tuto, ut Ecclesiæ Gallicanæ rationes adversus Pragmaticæ abolitionem audirentur: si vero Papa id facere renueret, ipse Rex Franciæ

ciæ Prælatos congregaret, adjecto certo Doctorum, ac Virorum scientia inclytorum numero, quorum opera Rex de hujus negotii veritate plenius instrui posset. Hisce rationibus Parlamenti Curia insuper novas adjecit preces, Regem exorans, ut juramenti tam a se quam a suis Prædecessoribus in die unctionis suæ præstiti memor esset, ac consideraret, se fidem suam Sacramento obstrinxisse, quod Regni jura illibate servare, ac Gallicanæ Ecclesiæ libertates, quarum ipse verus est Protector, semper defendere velit. Sæcul. XVI. A. C. 1518.

Quoniam vero objiciebatur, Pontifici suppeditandum, unde Sedis Apostolicæ onera atque expensas ferendo par esset; Parlamentum triginta duo Apostolica enumeravit diplomata, quæ a Curia Romana expediri solent, & non nisi data ingenti pecunia impetrari possunt; cum vero Leo X. Franciæ Regnum primo occupanti tradere minaretur, si Concordatum acceptare renueret: respondet Parlamentum, Regem soli Deo Regnum suum in acceptis referre, nec in temporalibus quemquam superiorem se agnoscere, & si concederetur, Pontifici hanc competere potestatem, Regi tamen ad tuendum diadema suum arma non defutura. Equidem Ludovicus XI. Pragmaticam aboleri consensit, injuriam tamen inde Regno suo ac Gallicanæ Ecclesiæ irrogatam edo-

ctus,

Eccul. XVI A.C. 1518

ctus, consensum suum revocavit, per Generalem Procuratorem suum ad Concilium appellando, jubendoque, ut Pragmatica, sicut ante abrogationem, rursum observaretur.

Pinsso. p. 742.

Erecta quidem fuerunt, inquiebat Parlamentum, pacta inter Sixtum IV. Papam, & eundem Ludovicum XI, aft tunc duntaxat mensium distributio decernebatur, in quibus Papa Beneficia ad Ordinarios devoluta conferret; nullatenus vero agebatur de electionibus, nec eadem quoque pacta fuere publicata, aut in regno ad usum deducta, vigente semper Sanctione Pragmatica. Hæc est summa rationum, quibus Parlamentum Concordata, ac Pragmaticæ abolitionem impugnabat, nec deerant tamen, qui eas responsis suis enervabant, quorum ea duntaxat summatim recenseo, quæ Cancellarius, cujus ea res potissimum interat, in medium protulit.

§. LXIII.

Cancellarii responsio ad Parlamenti rationes.

Dupin. Hist. Pragm. & Concord. Paris. edit. 1652 Pinsson. l. cit. p. 742. col. 1.

Inter præcipuas, inquit Cancellarius, causas atque rationes, quæ regiam suam Majestatem ad Pragmaticæ abrogationem permoverunt, non infimæ erant, quod Rex plures nosceret Principes adversus

versus Franciam armorum societate junctos, Julium II. capitalem Ludovici XII. hostem adversus Regem Lateranense Concilium convocasse, non alia ex caussa, quam ut Pisanum conventum adversus Papam tueretur. Præterea idem allegabat, quod Pontifex fœderatos Principes a fidei sacramento absolvisset, cunctisque, qui Gallis tanquam schismaticis arma inferrent, pœnarum condonationem promisisset; eumque in finem Verbi quoque divini Præcones ubique terrarum emisisset, qui Gallos in suis sermonibus schismatis reos proclamarent, fœdusque, quod *Sanctum* appellabant, pluribus encomiis celebrarent, etsi hac armorum societate in extremam Gallicæ Monarchiæ ruinam Cæsar, Hispaniæ, & Angliæ Reges, Helvetii atque Veneti conspirassent. Nec vana erat, prosequebatur Cancellarius, Pontificis indignatio; inde enim ortum, quod Rex Mediolanensi Ducatu, Cremona, Brixia, Genua, Savona, necnon Astensi Comitatu exutus fuisset. Angli præterea, utpote magis vicini, Bononiam, & Tornacum occuparunt; Helvetii in Burgundiam irruperunt; Hispaniarum Rex Navarram subegit, qua de re Ludovicus XII. populum suum exactionibus exhaurire, ac ingentes pecuniarum summas mutuo accipere cogebatur. Denique Lateranense Concilium Regem, Parla-

Sæcul. XVI. A. C. 1517.

Sæcul. XVI. A.C.1518.

Parlamentum, Episcopos, aliosque comparere jussit, ut rationes, ob quas Pragmaticam haud abolendam censerent, publice exponerent. Posthæc Leo X. Prædecessoris sui vestigia, atque consilia premebat, & Pisani Conciliabuli Cardinales hunc cætum detestari cogebat, a quibus accedente ipsomet Ludovico XII. Lateranense Concilium agnoscebatur tanquam legitimum, hinc adeo non Julii II. obitu Principum fœdera adversus Gallos sancita scindebantur, ut etiam viribus crescerent, necnon nuperæ societatis articulis speciatim hoc pactum adderetur, vi cujus Helvetiis quodcunque pacis fœdus cum Gallis inire vetitum esset, nisi Pragmaticam abolerent. Equidem Rex in in Italia victoriarum felicitate hostium suorum furorem aliquamdiu cohibuit; mox tamen Regiæ suæ Majestati per Legatos nunciatum, quod ex Lateranensis Concilii auctoritate Rex proxime Romam citandus esset; qua re percepta Rex datis literis Cardinali Sanseverinati Franciæ Protectori, ac primario ejus Legato negotium dedit, ut Ecclesiæ Gallicanæ libertates, spreto etiam vitæ dispendio tueretur. Interea Rex cum Pontifice agere cæperat, ut Parmam & Placentiam, quas urbes a Mediolanensi Ducatu avulsas Papa possidebat, recuperaret, sed denuo ingesta est Pragmaticæ men-

mentio, quam cum Rex defendere haud ceſſaret, rupto mox fœdere, turbatisque regni ſui negotiis, Franciæ hoſtes arctiori mutuæ ſocietatis vinculo ſeſe conjunxerunt, adeo, ut Regi nil reliquum eſſet, quam propriæ ſuæ ſalutis ſollicitudo, nec id impetrare poſſet, niſi illum, qui hujus fœderis caput erat, a ceterorum amicitia abſtraheret; cum vero Pragmaticæ auctoritatem pertinacius tuendo de proſpero rei ſucceſſu actum eſſe cognoſceret, ſententiam mutavit, ratus, præſtare aliud cum Papa pactum inire; idque non eſt aliud, quam quod impræſentiarum agitatur, ac *Concordatum* nuncupatur, quod etſi non fuiſſet ſancitum, propterea tamen Pragmaticæ abrogatio impedita non fuiſſet, imo exinde evenisſet, ut Pontifex priora, de quibus contendit, jura ſibi vendicaſſet, propter quæ regni quies denuo turbata, ipſaque Eccleſia Romanæ Curiæ vexationibus expoſita fuiſſet. Sæcul. XVI. A.C. 1517.

Exaggerabat demum Cancellarius pericula & mala, quæ Gallis, ſi Pragmaticam aboleri, ac Concordatum acceptare recuſarent, certe impenderent, nam pertinacia, inquiebat, qua Pragmaticæ abrogationi obluctarentur, brevi ſchiſma ſuſcitabit inter Eccleſiæ anathematum contemptores, atque eos, qui juſto cenſurarum metu ab urgenda hujus Sanctio-

Sæcul.XVI. A.C.1518.

nis obſervatione deterrentur: Quinimò ipſe Rex a fidelium communione erit ſeparandus, eoquod Lateranenſi Concilio adhærere recuſaſſet; Equidem Ludovicus XI. Pragmaticam a ſe revocatam innovare, fuit compulſus; id vero factum, eoquod tum nullum ſubſiſteret Concordatum, eo autem jam ſubrogato, abs dubio Franciſcus Rex pertinaciter Pragmaticam defendendo, easdem, quibus Ludovicus XII. ejus Prædeceſſor oppreſſus fuit calamitates, anathemata, cenſuras, atque interdicta in caput ſuum acerſiturus eſt.

Ut vero Cancellarius prætenſas Concordati utilitates extolleret, demonſtrabat, quod minus tutum in fœderatorum Principum amicitia Gallis præſidium eſſet repoſitum, hancque in rem declarabat, quosvis eorum ſuo commodo, privatisque rationibus eo abripi, ut quamprimum ſeſe occaſio offerret, Gallorum amicitiam miſſam facere parati eſſent. Ultimo tandem Concordati neceſſitatem exponebat, ac demonſtrare conabatur, quod diutius Pragmaticæ abolitioni ſeſe opponere, res eſſet periculis plena; cum hac pervicacia regnum iisdem omnino calamitatibus rurſum involvatur, quibus ante Pragmaticam agitatum fuerat; inde vero graviſſimi orirentur tumultus, Status tranquilitati longe perniciosiſſimi.

Equi-

Equidem paucis admodum verbis proponebat, Basileense Concilium nullum ac illegitimum esse; ad firmandam enim hanc opinionem validas sibi deesse rationes haud ignorabat, nihilominus subjungebat, illud, exceptis Gallis, ab omnibus omnino Nationibus rejici. Postmodum ad electiones transitum faciens, earum incommoda ostendere nitebatur, affirmans, quod illæ nil nisi diffidia ac plurium annorum lites non modo coram Ecclesiasticis, sed etiam laicis judicibus procreaverint, atque ob has cultus divini officii penitus neglectus, juramentum a Basileensi Synodo præscriptum nullatenus observatum, indeque simonia fuisset introducta; tandem addidit, vigente electionum jure ægre admodum Pragmaticæ leges observari potuisse; cum pro impetrandis beneficiis electivis, ac pro caussa promoto adjudicanda Romanæ Curiæ præsidium identidem fuisset imploratum; nunc vero ejusmodi incommodis facile per Concordatum obviari ajebat. Sæcul. XVI. A. C. 1518.

§. LXIV.

De privilegio ad Beneficia nominandi Galliarum Regibus concesso.

Insuper Cancellarius subjunxit, quod *Pinsso. p. 743.*

Sæcul. XV. A.C. 1518.

Concordati beneficio ad Ecclesias nominandi privilegium Galliarum Regibus concederetur, plurimum autem, ut ejusmodi quoque gratia innovaretur, Regiorum Officialium interesset, cum in Anglia etiam non nisi ad Regis nominationem Papa de beneficiis provideret, idque duntaxat ex Apostolici Indulti favore fieret. Plura recenset exempla ex S. Gregorio Turonensi petita, quibus ad beneficia nominandi jus Christianissimis Regibus concessum indicatur; circa Prælaturarum provisiones variam fuisse disciplinam demonstrat, ita quidem ut primo id juris solis summis Pontificibus competiisset, postmodum autem sacræ Episcoporum electiones a Principibus simul & Clero ac populo, postea a solo Principe, demum a solo clero absque populo, ac ultimo tandem a solis Canonicis factæ sint, nemine alio ex Clero ad suffragium admisso; his addebat Cancellarius, mirum prorsus, quod Reges vacantibus Ecclesiis providendi jus sibi a Pontificibus atque Conciliis indultum abdicassent, ac tolerassent, ut se exclusis Clerus ejusmodi jus sibi arrogaret; aut subjungere potuisset, Galliarum Regibus injuriam fieri, si ad Episcopatus, atque Abbatias nominandi jus Concordato deberi asseratur; re enim penitius discussa, atque a prima sua origine repetita dicen-

dicendum, quod Galliarum Reges quantum ad ipsa ferme solemnia hoc jus jam tunc exercuerint. Haud equidem diffitemur Clerum, & populum ad Episcoporum, Monachos vero ad Abbatum electiones in suffragii partem fuisse vocatos, eadem tamen eligendi facultas semper a Regum voluntate dependebat,(*)qua sæpissime in præcepti necessitatem versa,illi a Regibus nominatum eligere tenebantur, imo etsi illis eligendi potestas hinc inde relicta fuerit, nihilominus Rex semper sibi reservabat electo investituram denegandi copiam, si hunc vel sibi minus acceptum, vel suspectum, vel merito repellendum censebat. Sæcul. XVI. A.C. 1516.

§. LXV.

Responsum Cancellarii ad mandata & gratias.

Post hæc Cancellarius de decreto circa *mandata* & *gratias* differens demonstravit, eas longe diversas esse ab illis quæ

(*) Vide Natalem Alexandrum Hist. Eccles. Sæcul. XV. & XVI. Dissert. XI. Articulo VI. ubi etiam hanc quæstionem discutit : *Quantum Reges Christianissimi in sacrarum electionum negotio ex Ecclesiæ concessione, vel permissione potuerint?*

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

quæ in Pragmatica continentur, cum in hac adeo confuse res exprimatur, ut judices, quid inde deciderent, expeditum non habeant; equidem Ludovicus XII. ajebat Cancellarius, edicto, quod Anno milleſimo quingenteſimo decimo promulgavit, illam ad meliorem ordinem redigere fuit conatus, oleum tamen & operam perdidit. Demum Cancellarius articulum de collationibus in Normannia nunquam viguiſſe oſtendens, affirmavit, quod ad obſcuros Pragmaticæ articulos tandem dilucidandos Romam accedere, ſupervacaneum foret; cum ibidem Baſileenſe Concilium nullatenus eſſet receptum; indeque concludit, Regis fuiſſe, ut ejusmodi confuſioni remedium apponeretur, eoquod autem per cujuscunque alterius medii executionem (excepto concordato) plurimorum animi ex Regis Senatu placuit ſuſpicione agitandi forent, hinc ipſe quoque Rex, priusquam de concordati utilitate convinceretur, religione ductus, plurium ſententiam rogavit, novæque hujus legis ſummam Reginæ regnanti Matri ſuæ tranſmiſit, ut hac ſuper re Senatum convocaret, idque ab ea præſtitum.

Pinſſon. p. 743. c. 4.

Tandem Parlamento exprobrat, quod rem maturo minus examine diſcuſſiſſet, imo Concordatum nequidem accurate perlectum ponderaſſet, nec etiam, prout tamen

tamen in aliis negotiis fieri assolet, rationes ultro citroque propositas ad solidæ disciplinæ præcepta trutinasset, nonnisi Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, suspectæ fidei Viris hac super re sententiam dicentibus. Si Rex, prosequitur Cancellarius, Bononiam adventu suo non honorasset, nil concluſum fuisset; eumque initi pacti pœnitentia subiisset; nec exigui laboris opus fuit Cardinalium, qui plura mutari cupiebant, sententias conjungere, cujus rei testes erant Regis Legati: Ceterum præter Galliarum Regem nemo alius a Sede Apostolica tam amplis auctus fuit privilegiis, ad ceterorum quoque invidiam, qui æquales gratias ingenti pecuniarum summa redimere studuissent. Denique Papa pollicitus est, se haud amplius *gratias expectativas* concessurum, nec collaturum Regni Episcopatus, causſas quoque Ecclesiasticas deinceps Romam minime transferendas. *Si vero quisquam*, inquiebat Cancellarius, *opponat, Basileensis Concilii decreto idem jus nobis æque ac ceteris Christiani Orbis nationibus fuisse concessum, eas vero schismatis notam pertimescentes, illo uti noluisse* (*) Postea

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Pinsso. p. 744

(*) *Hiulca est hæc oratio; unde quicquam ex typographorum incuria omissum conjicimus.*

Sæcul. XVI A.C. 1518.

Postea idem ad primum, quem Concordato Parlamentum oppoſuerat, articulum reſpondet dicens, falſum eſſe, vel ullam de annatis in Concordato mentionem fuiſſe factam, & quamvis in eo ſancitum, quod *verus valor beneficiorum in ejusmodi impetrationibus exprimatur*, id tamen unice actum, ut de impetrantium merito ac dignitate conſtet, nullatenus vero ut primi anni reditus percipiendi obtentus quæreretur. Notum eſt omnibus, pergit Cancellarius, jam dudum antea, ut ejusmodi valor indiceretur, ab Urbano VI. & Bonifacio VIII. ſtatutum fuiſſe, quorum veſtigia ceteri ſequebantur Pontifices, atque omnium Doctorum ſuffragio comprobatum habetur, valore non expreſſo beneficiorum conceſſiones eſſe nullas. Dein nec ipſa Pragmatica annatas percipere unquam Sedi Romanæ inhibuit, ipſi quoque Normanniæ Prælati easdem exigunt: Hæc vero valorem deſignandi neceſſitas plures a Beneficiis Romæ impetrandis arcet, cum tamen prius, quam plurimi Romanam Curiam accedere feſtinaſſent, non ſine frequenti fraude eorum, qui beneficiorum reditus ad infimum ferme valorem reducebant.

§. LXVI.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. LXVI.

Concordati Decretum de cauſſis.

Poſthæc Cancellarius ad Decretum *de cauſſis* progreditur, Parlamentum, inquit, de decreto duabus additionibus reſtricto conqueritur; quarum prima ad cauſſas majores Romæ dijudicandas, altera ad Cardinales & Curiæ Romanæ Officiales ſpectat, id ipſum vero Pragmaticæ deciſioni conſonum eſſe Parlamentum fatetur, addit tamen, hujus juris uſum haud vigere, cui tamen, inquiebat Cancellarius, reſpondeo, perfectiorem ordinem a Concordato fuiſſe ſtabilitum, certumque eſſe, quod ſummus Pontifex in nulla Chriſtiani Orbis parte hac poteſtate in rebus ſpiritualibus utatur, ſitque Principibus integrum, cauſſas civiles ad ſuum tribunal evocare, & de iis per ſe vel per ſuos delegatos cognoſcere. Ipſe quoque Pontifex ante Baſileenſe Concilium hoc jure utebatur, atque cauſſæ, regnique lites ad Romanam Curiam deferebantur, ad eandem quoque appellabatur in omnibus cauſſis Provinciarum, tunc Gallicæ Monarchiæ ſubjectarum, uti ſunt Britannia, Provincia, Status Mediolanenſis, Genuenſis & Comitatus Aſtenſis. Equidem poſt Baſileenſis Synodi decretum cauſſæ Eccleſiaſticæ in Re-

Pinſſon. hiſt. Pragm. & Conc. p. 744. col. 1.

Sæcul. XVI. A. C. 1518.

gno decidebantur, eodemque jure ceteræ etiam Nationes uti potuissent, quæ tamen potius Ecclesiæ Capiti unitæ, quam schismatis reæ videri maluerunt. Inde autem inferre pronum est, Concordati disciplinam in hoc puncto Pragmaticæ Sanctioni consonam, & ab illa ad verbum desumptam esse: inepte vero ingeritur, Decretum *de caussis* non fuisse receptum, nisi quantum ad restrictum numerum Cardinalium, & Romanæ Curiæ Officialium; hic enim articulus ad Decretum minime pertinet; quod vero, pergit Cancellarius *caussas majores in jure expressas* spectat, quis non ex ipso glossæ textu manifeste perspicit, nonnisi Episcoporum causssas comprehendi? & quamvis de iis expressa non fiat mentio, nonne mentem Magistri ex lege, quam citat, interpretari oportet? Jam vero hæc glossa non nisi de Translationibus Episcoporum, non de aliis causssis, quæ eas respiciunt, differit. Præterea Episcopos transferendi potestas semper summis Pontificibus ex avito jure competebat, quin unquam tamen inde illatum fuisset, ceteras quoque causssas ad illius forum, atque jurisdictionem pertinere; hanc in rem Cancellarius plura protulit exempla; quia vero Parlamentum objiciebat, causssarum cognitiones ab exteris Cardinalibus, & Curiæ Apostolicæ Officialibus Romam attrahi,

Cap. Majores 1. quæst. 1. cap. 1. de transl. Epis.

attrahi, ad hoc æque ac ad id, quod de beneficiis *in Curia* vacantibus Parlamentum ingessit, respondit Cancellarius, quod in hoc articulo, Concordatum Sanctioni Pragmaticæ consonet, eo fortiori argumento, cum illud adhuc ampliorem Regni procuret utilitatem, eoquod Pontifex vigente Pragmatica, de Beneficiis quocunque casu vacantibus providendi jus habuisset, nunc vero illud ex Concordati præscripto nonnisi interveniente *beneficiarii* obitu exercere possit: dantur equidem, inquiebat Cancellarius, beneficia vere *electiva*, nimirum ea, quæ, Ecclesia suo Pastore orbata vacant, in quorum collatione norma in capitulo *Quapropter, de electionibus* præscripta servatur; ad ejusmodi tamen beneficia nominandi jus ipsi quoque Regi competit, exceptis solis Ecclesiis, quæ speciali electionis privilegio gaudent. Sæcul. XVI. A.C. 1518.

In ceterorum autem beneficiorum collatione varia observatur forma, vel *institutionis*, quando beneficium prævia cujusdam Clerici præsentatione conceditur, vel servatur modus *electionis*, ubi libere, seu nulla præcedente nominatione vel præsentatione confertur. Denique alia itidem vocatur *collatio*, qua quis beneficium per suffragia eligentium accedente eorumdem nominatione obtinet.

Ast

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Aſt in cunctis hiſce eventibus ſummus Pontifex ex jure communi etiam poſt Baſileenſe Concilium Collatorem Ordinarium prævenire poteſt. Addendum quoque, quod ea, quæ circa Religioſorum monaſteria in Concordato leguntur, minime ad ſacras Virgines extendantur: norma vero Eccleſiis providendi, juris ſit poſitivi, cum id ipſum variis hujus diſciplinæ variationibus temporis progreſſu introductis comprobetur. Denique Cancellarius differens de poteſtate Pontificis, qua nonnullis nominandi facultatem concedere, aliis adimere valet, plures Juris Pontificii peritorum ſententias de ſummi Pontificis poteſtate in Eccleſiam allegat, contenditque, Papam Synodo ſuperiorem eſſe in iis, quæ nec fidem, nec ſchiſmatis extirpationem, nec Eccleſiæ reformationem in Capite & membris reſpiciunt; his ſubjungit, quod ea, quæ ab uno Concilio ſunt ſtabilita, ab alio aboleri, aut mutari poſſint. Tandem concludit dicens, quod Pontifex quoque in Italia, Hiſpania, Anglia, Scotia, ac potiſſima Germaniæ parte beneficia conferat, ac Ludovicus XII, & Franciſcus I. Lateranenſe Concilium velut legitimum venerati ſint.

§. LXVII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1518.

§. LXVII.

Summa responsionum Cancellarii.

Præterea Cancellarius rationes, atque appellationum cauſſas reſponſo ſuo diluit, demum vero, quæ diffuſe de Pragmatica, & Concordato diſſeruit, in ſequentes articulos redegit. I. Concordatum Regno proficuum, ac vel ideo idoneum eſt, ut Regis inimici mutuis inter ſe diſſidiis diſſipentur. II. Ingenti tumultu Gallorum res turbabuntur, ſi nec Pragmatica, nec Concordatum in uſum deducatur. III. Pragmatica duntaxat a Baſileenſi Concilio approbata eſt, quod tamen (excepta Francia) a ceteris Chriſtianæ Reipublicæ Regnis communi ſuffragio rejicitur. IV. Vigente electionum jure quam plurimis corruptelis aditus pandebatur, ac frequentiſſimæ calamitates regno accerſebantur. V. Præter infinitas propemodum lites ex incerto *Graduatorum* jure exortas, VI. crebræ admodum contentiones ac diſſidia de *mandatorum* forma excitabantur. VII. Concordatum erectum eſt a ſummo Pontifice, Cardinalibus, & Lateranenſi Concilio, quibus utpote Univerſalem Eccleſiam repræſentantibus morem gerere oportet. VIII. Concordatum Regi ad Epiſcopatus, atque Abbatias nominandi jus

Pinſſo. p. 745.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

jus attribuit, hocque pacto cunctis litibus occasionem præscindit. IX. Ejusmodi facultatem Papa Regi concedere valet, cum sit positivi duntaxat juris. X. Concordatum Regularibus Regularia, sæcularibus sæcularia asserit beneficia. XI. a Sacerdotiis indignos, atque indoctos arcet. XII. Conciliat Basileensem Synodum & Pragmaticam, hacque ratione cuncta dissensionum argumenta in regno tolluntur. XIII. De Annatis nullam facit mentionem; unde longe parcius quam antea pecuniæ ex Gallis Romam transferentur. XIV. Decretum de causis penitus concordat cum Pragmatica. XV. Parlamenti ergo provocatio omnino flocci pendenda est.

Idem quoque Cancellarius articulos, quos Parlamentum Concordato adjici petebat, confutat, inquiens, falsum esse, nullaque vero simili ratione probari posse, quod Concordati legibus Ecclesiæ Gallicanæ libertates læsæ fuissent, aut saltem a Parlamento indicari debuisset, qua ratione illas violatas censeret; cum electionum jus non adeo Gallicanæ Ecclesiæ proprium sit, quin non pari ratione id cetera omnia Christiani Orbis regna respiceret; haud quidem ajebat Cancellarius, Regem latet, se non a Papa, sed a solo Deo coronam accepisse. De cetero Ludovico XI. Pragmaticam revo-

revocanti ejus subditi lubenter obtemperarunt, quamvis nullo ampliori favore a Papa dignatus fuisset, ex adverso Franciscus I. a rebellibus subditis vexatur, cum pacta adeo tamen Regno proficua a Pontifice impetrasset. Præterea res est risu prorsus digna, quod Parlamentum Concordata a Pontifice revocanda pertimescat, cum tamen hæc lex obtineat vim pacti atque contractus cunctis solemnitatibus firmati, ac ab ipso Cardinalium Collegio, necnon Lateranensi Concilio corroborati. Hæ erat Cancellarii rationes, quibus quidem Parlamentum respondere conabatur, sed semper iisdem, quas jam supra retulimus, argumentis insistebat, quorum efficacia fors tempore magis propitio quempiam permovere potuissent.

Sæcul. XVI. A. C. 1518.

§. LXVIII.

Dissidia ob Concordati executionem suborta.

Nec adeo validæ censebantur Cancellarii rationes, quin circa Concordati executionem, præcipue ob articulum de electionibus ingens altercatio oriretur: Cum enim die undecima Februarii Anno millesimo quingentesimo decimo octavo Tristanus de Salazar Senonensis Archiepiscopus mortalitatem exueret, protinus

Pinsson. p 746. col. 1.

Sæcul. XVI A.C. 1518.

tinus Canonici indicto Capitularium conventu congregabantur, Succeſſorem nominaturi, quibus tamen Antonius Leviſta libellorum ſupplicum Magiſter, & Nicolaus Beza Pariſienſis Parlamenti Conſiliarius juſſu Regis inhibebant, ne ad Præſulis electionem ullatenus procederent, ſed, donec Rex Archiepiſcopum nominaſſet, exſpectarent. Verum reſpondebant Canonici, quod eis non modo ex jure, ſed & ſpeciali ex privilegio, quod ipſis non modo ſacra Sedes, ſed ipſemet Rex conceſſiſſet, Præſulem eligendi facultas competeret.

§. LXIX.

Stephanus Poncherus ad Senonenſem Eccleſiam a Rege nominatus.

Eodem anno nunciatum eſt Canonicis, Stephanum Poncherum Pariſienſem Epiſcopum Regi ſupplicaſſe, ut illum ad hanc Archiepiſcopalem Sedem nominaret; igitur Senonenſe Capitulum miſſis quantocius duobus Canonicis Poncherum impenſe rogat, ne Regia ipſius nominatione Senonenſi Eccleſiæ tam grave præjudicium inferret; aſt illi repulſam tulerunt. Rex enim jus ſibi a Concordato recens collatum in uſum deducturus, Poncherum nominavit, qui acceptis

ptis Papæ literis Menſe Julio Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo nono Archiepiſcopalis Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem accepit. Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. LXX.

Contentiones de Epiſcopatu Albienſi & Archiepiſcopatu Bituricenſi.

Sub idem tempus Albienſis vacavit Epiſcopatus, ejusque Capitulum juxta Pragmaticæ leges ad electionem proceſſit: Rex vero ex Concordati indulto ad eandem Eccleſiam quemdam Virum Eccleſiaſticum nominabat, quocirca a Rege vocatus impetratis a Romano Pontifice literis Epiſcopatum ſuum adire paravit, ſtatimque ambo Competitores coram Parlamento Toloſano litem moverunt; aſt cauſſa poſtmodum ad Pariſienſe Parlamentum evocata, Rex Præſidem, ac litis relatorem adeſſe juſſit, dato utrique negotio, ut cauſſam juxta Concordati præſcripta dijudicarent; nihilominus Parlamentum, ſpreto Regis mandato, ſecundum veterem diſciplinam electo Albienſem Epiſcopatum attribuit, non ſine gravi Regis indignatione.

Haud minori ſtudio Bituricenſe Capitulum Pragmaticam tuebatur; Archiepiſcopo enim fatis functo, quemdam no-

Sæcul. XV. A.C 1518.

mine Beuilium via electionis subrogabat; Rex quoque Guilielmum Parvum, quem conscientiæ arbitrum habuit, nominabat, unde Parvo a Capituli electione ad Sedem Apostolicam provocante, lis integrum sesqui annum tenuit, tandem vero Parvus caussa cecidit, Leone X. electum confirmante, eoquod Capitulum eligendi privilegio auctum fuisset, nec Sanctitas sua, ut ipsamet in Concordato declarabat, Capitulorum privilegiis derogare, ullatenus intenderet.

§. LXXI.

Annotationes Eckii in propositiones Lutheri.

[*Raynald. ad an.* 1518 *n.* 91

Cum Lutherus magnum sibi sectatorum numerum conciliaret, Joannes Eckius Theologiæ Doctor ac Professor, necnon Ingolstadiensis Universitatis Pro-Cancellarius Religionis tuendæ debito sese obstrictum existimabat, ut Lutherum junctis cum Tetzelio armis aggrederetur. Primo adversarii sui propositiones notis, quos *Obeliscos* vocabat, perstrinxit, ante omnia demonstrans, quod Sacramenta novæ legis efficaciam suam ex se ipsis habeant, & Sacramentum pœnitentiæ, cum ex Lutheri doctrina culpam non remittat, necessario pœnam remittat, nec non pari ratione, qua Ecclesiæ Ministri culpam

culpam esse condonatam declarare valent, Sacerdotes quoque morti proximo declarare possint, pœnas Canonicas, quas per sua peccata incurrisset, in purgatorio ipsi reservatas esse. Posthæc Luthero exprobrat, eum sine ulla ratione docuisse, quod animæ in piaculari carcere detentæ de suo statu incertæ, spem inter & desperationem fluctuent; de cætero, inquit Eckius, Sacerdos clavium potestate remittit pœnam, quam peccator ob noxas suas Deo solvere tenetur, sique Pontifices in suis literis indulgentias *per modum suffragii* elargiuntur, non inde earum efficacia diminuitur; præterea sicut pœnitentia in statu peccati adimpleri valet, ita & probabile est, indulgentias in statu peccati suscipi posse. In eodem libro Eckius propugnat, non omnes, qui veram contritionem eliciunt, propterea absque satisfactione pœnæ pro peccatis debitæ remissionem obtenturos, ac distinquendam esse satisfactionem a merito, ita ut per indulgentias equidem *satisfactorii*, non item *meritorii* ut vocant, operis necessitas remittatur. Præterea Eckius asserit, indulgentiarum Thesaurum esse merita Christi Domini nobis per Papam dispensata; Lutheri vero propositiones nil nisi Pontificiæ auctoritatis, atque indulgentiarum contemptum inspira-

Sæcul. XVI. A. C. 1518.

Sæc. XVI A.C. 1518.

re, ac populum ad seditionem concitare inquiebat.

§. LXXII.

Lutheri Theses de pœnitentia.

Lutherus Eckio responsurus alias de pœnitentia propositiones divulgavit, in quibus remissionem culpæ condonationi pœnæ præferens, hæc tradidit. I. *Remissio culpæ non innititur contritioni peccatoris, nec officio aut potestati Sacerdotis, sed potius fidei, quæ est in verbum Christi dicentis:* Quodcunque solveritis super terram, erit solutum & in cœlis; *hinc quantumlibet quis incertus sit de sua contritione, rata est absolutio, si credit se absolutum.* II. *Sola fides in Christum justificat, adeo, ut etsi Sacerdos nullam haberet potestatem, dummodo Sacramenta recipiens fidem habeat, Sacramenti effectum percipit;* ea propter Doctor ille hodie natus docebat: *Crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quicquid sit de contritione; omnia in eo consistunt, ut sine hæsitatione credas te esse absolutum.* Ex quo inferebat, *nihil referre, an Sacerdos te serio, vel ex joco baptizet vel absolvat, quia in Sacramentis duntaxat timendum, ne satis firmiter confidas, peccata tibi esse remissa, cum ea remissa credere poteris.*

Lutherus serm. de indulg. tom. I. p. 59. & edit. Wittemb. fol. 53.

Adde-

Addebat; *Sacramenta novæ Legis non sic sunt efficacia gratiæ signa, ut satis sit in percipiendis non ponere obicem; Sacramenta novæ Legis, ab illis veteris testamenti in hoc distinguuntur, quod hæc duntaxat ad carnis, illa autem ad animæ emundationem instituta sint. Nullo modo præsumas confiteri omnia peccata mortalia, quia impossibile est, eoquod certus non sis, an non in melioribus operibus tuis plura commiseris peccata, ob vitium vanæ gloriæ vel amoris proprii maxime absconditum.* Sæcul. XVI. A. C. 1518.

Demum ad graviores adhuc errores prolapsus alias divulgavit propositiones, quas Heidelbergæ, ubi in conventu FF. Augustinianorum Provincialia agebantur comitia, die vigesima sexta Aprilis propugnavit, atque e cerebro suo distinctionem inter opera Dei, & opera hominum effinxit, dicens: *Opera hominum, utut semper sint speciosa, bonaque videantur, probabile tamen est, ea esse peccata mortalia, opera autem Dei, etsi semper turpia forent, & mala viderentur, sunt tamen meriti infiniti;* ac paulo inferius ait: *Justorum opera essent mortalia nisi pro Dei timore ab ipsismet justis ut mortalia timerentur: Tunc vere sunt peccata apud Deum venialia, quando timentur ab hominibus esse mortalia: non potest evitari præsumptio, nec concipi vera spes, nisi in quolibet opere damnatio timeatur.* Postea liberum arbitrium impu- *Inter Propos. Heidl. ann. 1518. Prop. 3. 4. 7. 11.*

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

gnans affirmavit, *liberum arbitrium post peccatum res est, de solo titulo, & dum illud facit, quod in se est, peccat mortaliter. Nil aliud est, quam potentia subjectiva erga bonum, & activa erga malum; homo qui credit pervenire ad gratiam faciendo quod in se est, peccatum peccato cumulat; solus ille justus est, qui sine opere multum credit in Christum.* Hos errores firmabat nonaginta aliis propositionibus, in quibus præter alias hæreses affirmavit, quod in homine liberum arbitrium ad bene operandum, non detur, & quicquid homo sine gratia operatur, peccatum sit.

§. LXXIII.

Simulata Lutheri submissio in quadam epistola ad Papam.

Quamvis cunctæ hæ propositiones manifestis scaterent erroribus, Lutherus tamen magnam judicii sui submissionem simulabat, professus, non adeo temerarium se esse, ut privatam opinionem suam ceterorum omnium judicio præferre auderet; Epistolam quoque ad Hieronymum Brandeburgensem Episcopum, in cujus Diœcesi agebat, perscripsit, significans, se cum debita submissione Ecclesiæ judicium præstolaturum; cum vero haud ignoraret, se a Theologorum quam plurimis apud summum Pontificem hæresis

Protest. Luther. tom. I. fol. 195.

hæresis fuisse postulatum, ad Leonem X. dedit literas maximam reverentiam præseferentes, contestans, se circa doctrinam suam Papæ judicium perinde ac ipsius Christi sententiam veneraturum. In prima epistola, quam die Dominica SS. Trinitati sacra scripserat, Leonem Papam his verbis compellat: *Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero cum omnibus, quæ sum, & habeo; Vivifica, occide; voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit: Vocem tuam vocem Christi in te præsidentis, & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mortem non recusabo.* Abundant omnes Lutheri sermones, quos primis tribus annis evulgaverat, simulatæ ejusmodi submissionis significationibus, nihilominus tamen semper in ejus libris livor, atque bilis deprehenditur, qua satis aperte suum mendacem animum detexit.

Sæcul. XVI. A. C. 1518.

Epist. Luth. ad Leon. X. in die SS. Trinit.

§. LXXIV.

Epistola Lutheri ad Leonem Papam.

Præterea in epistola sua ad Papam ita scribit: *Auditum audivi de me pessimum Beatissime Pater, quo intelligo, quosdam fecisse nomen meum gravissime coram te & tuis fœtere, ut qui auctoritatem & potestatem clavium & summi Pontificis minuere molitus sim,*

Raynald. an. 1518. n. 95 Ulemb. c. 2. Cochl. in actis & script. Luth. ann. 1518.

Sæcul. XVI A.C. 1518.

sim, inde hæreticus, apostata, & perfidus accusor, sed unicum stat fiduciæ præsidium, innocens, & quieta conscientia. Postmodum fusius invehitur in propositiones impias, & scandalosas, quas ab Indulgentiarum Præconibus non sine potestatis Ecclesiasticæ contemptu impune publicatas fingit, damnatque eorum libros, quos hi ad divulganda erronea dogmata divulgassent, simulque exprobat illorum avaritiam & temeritatem, qui Pontificia auctoritate abutentes, rogum minitati, cunctos, qui eorum corruptelis adversarentur, velut hæreticos insectati essent. *Ego sane,* inquit Lutherus, *pro Christi zelo sicut mihi videbar, aut si ita placet pro juvenili calore utebar. Nec tamen meum esse videbam, in iis quicquam statuere aut facere, proin monui privatim aliquot Magnates Ecclesiarum, tandem visum est, saltem leviuscule illis reluctari, id est, eorum dogmata in dubium, & disputationem vocare. Itaque schedulam disputatoriam edidi, invitans tantum doctiores, si qui vellent mecum disceptare. Ecce! hoc est incendium, quo totum mundum queruntur conflagrare, forte, quod indignantur me unum, auctoritate tua Apostolica Magistrum Theologiæ jus habere in publica Schola disputandi. Porro hæ meæ theses, quod in omnem terram exierint, mihi ipsi miraculum est: Apud nostros tantum editæ sunt, & sic editæ, ut mihi*

hi incredibile sit, eas ab omnibus intelligi, disputationes enim sunt, non doctrinæ, non dogmata. Nunc quid faciam? Revocare non possum, & miram mihi invidiam video conflari: invitus venio in publicum, periculosissimumque, ac varium hominum judicium, præsertim ego indoctus, stupidus ingenio, vacuus eruditione, sed cogit necessitas, me anserem strepere inter Olores. Itaque quo & ipsos adversarios mitigem, emitto ecce meas nugas declaratorias mearum disputationum, emitto autem, quo tutior sim sub tui nominis præsidio, Beatissime Pater, in quibus omnes intelligent, quam pure, simpliciterque ecclesiasticam potestatem, & reverentiam clavium quæsierim, & coluerim, simulque, quam inique & false, me tot nominibus adversarii fœdaverint. Si enim talis essem, non potuisset fieri, ut illustrissimus Princeps Fridericus Saxoniæ Dux, Imperii Elector &c. hanc pestem in sua permitteret Universitate. Post hanc epistolam, *protestor,* inquiebat, *me prorsus nihil dicere aut tenere velle, nisi quod in & ex Sacris literis primo, deinde Ecclesiasticis Patribus, & ex Canonibus ac Decretalibus Pontificiis habetur & haberi potest.* Subjunxit quoque nonaginta quinque propositiones ex prima sua disputatione, quam Wittembergæ propugnatam publici juris fecerat. Sæcul. XVI. A. C. 1518.

Sæc. XVI. A.C. 1518.

§. LXXV.

Sylveſtri Prieratis ſcripta adverſus Lutherum.

Epitom reſponſ. Sylv. ad Luth. Cochl. l. cit.

Sylveſter, mutuato nomine a quodam Montferratenſi Nativitatis ſuæ oppido Mazolinus Prieras dictus, Ordinis FF. Prædicatorum Alumnus, atque Sacri Palatii Magiſter, *ſummam caſuum conſcientiæ*, quæ vulgo Sylveſtrina vocatur, compoſuit, eamque Leoni X. nuncupavit, pariterque adverſus Lutherum librum edidit, quem inſcripſit: *Detecti errores Lutheri, ejusque argumenta confutata.* Abundat is liber exaggerationibus, ac propoſitionibus, quibus poteſtatem ac Papæ auctoritatem etiam longe ſuper omnia Concilia extollit, ac ejusmodi verbis utitur, quæ nequidem Theologi inter Ultramontanos ferventiſſimi approbarent. Hic quamlibet etiam Lutheri propoſitionem ſua cenſura perſtrinxit, minime ejusdem honori parcens, ac velut doctrinæ ſuæ fundamentum præmiſit, quod non modo Eccleſia Univerſalis, & Eccleſia Romana, ſed ſummus etiam Pontifex ſit infallibilis, hicque ſupremam habeat poteſtatem tam profanam quam ſacram, proin pœnis temporalibus coercere valeat illos, qui fidem ſemel profeſſi errores tradunt, nec ad eos convincendos argumentis utendum

tendum affirmavit; tandem concluſit, hæreticum eſſe eum, qui omnia, quæ Eccleſia Romana circa indulgentias tradit, vituperat. Hunc librum Lutherus reſponſo Romam miſſo confutavit, moxque Sylveſter Prieras epitomen reſponſionis edidit, quam tamen confutatione haud dignam Lutherus reputabat (*). Sæc XVI. A.C. 1518.

§. LXXVI.

Lutherus a Jacobo Hochſtrato impugnatus.

Non ſegniori ſtudio ac ardore Jacobus Hochſtratus itidem Dominicanus ſeſe Lutheri novitatibus oppoſuit; nam hic, quo hoſtem magis acerbum Lutherus nullum unquam habuit, Papam adhortatus eſt, ut Lutherum impoſterum nonniſi ferro flammaque coerceret, ac ocius mundum hac peſte liberaret. Ceterum Scriptor ille ſtylo utebatur ſatis rudi, atque a puritate ſermonis valde alieno. Scripſit Lutherus adverſus Hochſtratum veluti publicam rei a ſe geſtæ defenſionem, in qua eidem ſuas objurgationes atque ignorantiam verbis admodum vehemen- *Luth. contra Jac. Hochſt. t. 1.*

(*) Eo tempore Lutherus nondum apertus fidei hoſtis videri voluit, hinc ne venenum, quo tumidus erat, evomere cogeretur, ſylveſtri librum refellere auſus non eſt.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

hementibus exprobravit, quod tamen vitium ipsimet Luthero Erasmus anno sequenti merito objectabat.

§. LXXVII.

Cæsaris epistola ad Papam in caussa Lutheri.

Epist. Max. ad Leon inter opera Luth. t. 1. Apud Ulemb. c. 3.

Interea temporis Maximilianus Imperator Augustæ Vindelicorum de imperii negotiis comitia agebat, atque tumultus ex nova Lutheri doctrina in Saxonia exortos ibidem edoctus, datis hac super re literis Papam exorabat, ut disputandi libidinem coerceret, pollicitus, se in hoc negotio Sanctitatis suæ jussa omni studio executurum. Dabat has literas die quinta Augusti Anno millesimo quingentesimo decimo octavo. Attamen summus Pontifex, priusquam Cæsaris literas accepisset, nil intentatum relinquebat, ut ejusmodi malis remedium poneret, proin Lutherum constituto sexaginta dierum termino Romam convenire jubebat, ut coram Judicibus in hac caussa designatis sese sisteret. Judices hi erant Hieronymus de Genutiis Episcopus Asculanus Cameræ Apostolicæ Auditor, & Silvester de Prieras Magister Sacri Palatii, quem adversus Lutherum scripsisse supra meminimus. Facta est hæc citatio Romæ die septimo Augusti. Eodem

Raynald. hoc ann. n. 90.

dem tempore Leo X. Fridericum Saxoniæ Electorem datis literis hortabatur, ne Lutherum in fidem suam reciperet, significans, quod Lutherum Romam evocasset, ac Cajetano Cardinali Legato suo, quid hac in re agendum esset, mandata dedisset; demum Papa Electorem rogavit, quatenus Lutherum Legati manibus committeret, ut vel ejus innocentia vindicaretur, vel illius malitia debitis pœnis coerceretur. Scripsit Papa hanc epistolam die vigesima tertia Augusti; alteram autem ineunte jam Mense Februario dedit ad Patrem Gabrielem FF. Augustinianorum Priorem, in qua eidem præcepit, ut Religiosi sui audaciam reprimeret, ac impediret, ne tota Germania ejus erroribus, ac pernicioso dogmate inficeretur: Verum hujus Superioris solertia audacissimi Lutheri petulantiam domando impar erat, eoquod Staupitii generalis sui Vicarii, necnon Electoris Saxoniæ præsidio tutus esset.

Sæcul. XVI. A. C. 1518.

Raynal. ibid. n. 92. 93.

§. LXXVIII.

Lutherus Romam citatus, consentiente Papa in Germania dijudicandus.

Nihilominus Pontifex non modo Principes, aliosque, ut Lutherum Legato traderent, hortabatur, sed etiam in omnes,

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

nes, qui illum tuerentur, anathemata, interdicta, & bonorum privationes intentabat: Insuperhabitis tamen ejusmodi minis Saxoniæ Elector, & Wittembergensis Universitas datis ad Papam literis tanto studio Lutherum commendabant, tamque impense ejus causſam in Germania tractari rogabant, ut Papa eorum votis cederet, ea tamen Lege, ut Lutherum relicta Saxonia Sueviam petere juberet, coram Cardinale Legato, qui ibidem agebat, sistendum. Huic rei lubens annuit Elector, qui pro Luthero ad Papam ideo literas dedit, quia Germaniæ Clericos extra patriam haud evocandos, sed in partibus judicandos contendebat; Universitas quoque non modo hanc gratiam a Pontifice exorabat, sed insuper Carolum Miltiz, quem Papa a cubili habebat, sollicitabat, ut Sanctitati suæ suggereret, quod Lutherus nullius criminis reus esset, nec quicquam doctrinæ Catholicæ contrarium asseruisset, nec propositiones, quas nonnihil temerarias disputationis æstu longius abreptus effutiisset, unquam velut fidei dogmata propugnasset, ita, ut paratum se exhiberet ad audiendam, & sequendam Ecclesiæ vocem. Quinimo ipse Lutherus ad Cajetanum Cardinalem hæc verba perscripsit: *Reverendissime in Christo Pater, fateor, ut & alias fassus sum, me profecto nimis indiscretum, ut ipsi*

Acta Luther. apud Cajet. Epist Univ. ad Carol. Miltiz & ad Leon inter. op. Luth. tom. 1.

Cochl. in actis Luth. ann. 5119.

ipsi dicunt, vehementem, & irreverentem fuisse contra nomen Pontificis. Et quamvis admodum vehementer ad ejusmodi irreverentiam lacessitus fuerim, intelligo tamen nunc, quod decuisset me modestius, humilius, & reverentius istam materiam pertractare, & non sic respondere stulto, ut fierem ei similis: quod mihi omnino sincere dolet, veniamque peto. His addebat præterea, *non videtur mihi necessaria appellatio, cum omnia submiserim judicio Ecclesiæ, nec aliud quam illius sententiam expectem*: postea paupertatem suam, itinerisque expensas obtendebat, quo minus Romam ire posset, aliunde vero, ut inquiebat, *hæc citatio ad Pontificis solium supervacanea est Viro, qui nil aliud quam Sedis Apostolicæ judicium expectat, ut prompte eidem obedire valeat.* Sæcul. XVI. A. C. 1518.

§. LXXIX.

Cajetanus Cardinalis ad Lutheri caussam in Germania judicandam a Papa designatus.

Cum FF. Prædicatores in hoc negotio haud postremam haberent partem, Cajetano ejusdem Ordinis Alumno illius judicium fuisse delatum non parum gaudebant, Augustiniani tamen, qui Lutheri partes tuebantur, huic judici Staupizium *Act. Luth. apud Card. Cajet. t. 1. Cochl. l. cit.*

Sæcul. XVI. A.C. 1518

pizium Generalem Vicarium, aliosque suæ familiæ Viros magis celebres adjungi postulabant. Jusserat Pontifex, ut Luthero, si eum revocandi, atque ad officium reducendi spes esset, non modo venia concederetur, sed etiam ad Sanctæ Sedis obsequium proposito etiam ejusmodi præmio, quod Legatus ad expugnandum ejus animum magis expedire censeret, alliceretur, si vero erroribus suis contumax insisteret, cunctarum legum severitate in eum animadverteretur. Quorumdam Scriptorum opinio est, Cajetanum, quamvis cetera Vir esset longe præstantissimus, ea tamen dexteritate destitutum fuisse, qua Sedis Apostolicæ desideria prospero negotii successu adimplere potuisset; adeo enim illum Sacræ Sedi addictum fuisse contendunt, ut jura, licet non paucis dubia viderentur, velut totidem fidei præcepta divulgasset. Eundem quoque redarguunt, quod ea, qua Lutheri genio cedere potuisset, dexteritate caruerit, ac majori lenitate eum ad saniora flectere valuisset, si Dominicanis fratribus suis, ac Indulgentiarum Præconibus minus faviſſet. Non desunt tamen alii, qui Cajetanum ab hoc probro penitus absolvunt, asserentes, eum conceptis verbis fuisse jussum, ut hac agendi ratione uteretur, ac Lutherum vel ad palinodiam induceret, vel comprehen-

prehenſum detineret; neutrum tamen efficere valuit. Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. LXXX.

Lutherus Auguſtæ coram Legato.

Nihilominus Lutherus Cajetani judicium ſubire non recuſabat, quamvis & hic judex vehementer eidem eo ex capite diſpliceret, quod Ordinis Prædicatorum eſſet. Ergo Wittemberga profectus, Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo decimo octavo die duodecima Octobris Auguſtam Vindelicorum venit, munitus quidem literis commendatitiis Protectoris ſui, Electoris Saxoniæ; haud enim erat ſollicitus de Cæſareis fidei publicæ literis, quas tamen a Maximiliano, cum ab eo comprehendi merito pertimeſceret, poſtmodum exoravit. Igitur Lutherus ſecuritatis fiducia tumidus Legatum adiit, in cujus conſpectum benigne admodum admiſſus, ab eodem paterne admonitus eſt, quod non eo fine fuiſſet vocatus, ut rem diſputationibus, ſed amica compoſitione dirimeret; niſi enim ipſius docilitas, ac ſubmiſſio erga Leges Eccleſiæ perſpecta eſſet, ex altercandi libidine abs dubio maxima timenda forent mala; cum vero haud una vice ſeſe Eccleſiæ judicio plene ſubjecturum conteſtatus eſſet, totam negotii ſummam ad binas dunta- *Cochl. in act. Luth. anno.* 1518.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

xat conditiones ex mandato Papæ restrictam sciret: Primo, ut cunctos errores in suis scriptis, ac sermonibus contentos revocaret; Secundo, ut imposterum ab omnibus, quibus Ecclesiæ pax turbari posset, abstineret.

§. LXXXI.

Primum colloquium Cardinalis Cajetani cum Luthero.

Cum vero Lutherus se unquam errorem docuisse pervicaciter negaret, Legatus eidem duos eosque præcipuos in nupero colloquio prolatos exprobravit, quorum unus contra indulgentias, alter vero adversus fidem pugnabat: nam primum ob errorem Lutherus contra Clementis VI. constitutionem negasse accusabatur, quod infinita Christi Domini merita sint thesaurus indulgentiarum, cum tamen in eadem Bulla adderetur, quod sint humanati Filii Dei sanguis, atque unica illius gutta ad plurium hominum salutem eatenus sufficeret, quatenus peccatorum numerus usque ad finem mundi excrescere posset, cum vero nihilominus Christus Dominus totum suum sanguinem effudisset, id ea ex ratione factum fuisse affirmabat Cajetanus, ut idem sanguis pretiosus Ecclesiæ pro thesauro haud exhauriendo deserviret, cujus dispen-

dispensationem S. Petro, ejusque Successoribus creditam, hisque ejusmodi thesaurum veris pœnitentibus distribuendi, pœnasque temporales pro eorum offensis debitas remittendi potestatem relictam, idem comprobabat, denique Deiparæ etiam, necnon aliorum Sanctorum merita, non quidem *ex necessitate, sed ex superabundantia* ad eundem thesaurum revocari ostendit Legatus. Postea Cardinalis Luthero alterum contra fidem errorem objectabat, quod docuisset, remissionem culpæ fieri, dummodo quis peccata sibi esse remissa firmiter credat, nec de eorum remissione dubitet, quando quis de illis dolet. „ Hoc autem, inquit Cajetanus, „ Sacris Paginis adversatur, quæ docent, „ nescire hominem, an odio vel amore „ dignus sit, semperque nos adhortan- „ tur, ut in timore versemur, utrum no- „ bis peccata remittenda sint. „ Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Ad primam quæstionem reposuit Lutherus, quod quidem hanc Clementis VI. Constitutionem legisset, eandem vero sequi, non teneatur, cum illa sacris literis non inniteretur; nil enim Sancto Petro ejusque Successoribus a Christo attribui ajebat, quam claves ac ministerium Verbi ad declarandam peccatorum remissionem illis, qui crediturі sint in Christo; si Clementi VI. eadem insedit opinio, ego quoque, inquit Lutherus, li-

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

benter eidem accedam, si vero aliud dogma stabilire voluit, id minime ratum habebo; his addebat, Ecclesiæ thesaurum haud fundari in meritis Sanctorum; eoquod hi, quocunque demum Sanctitatis gradu eminerent, nunquam plene satisfacere possent, nec propriis quoque meritis suis, sed in sola Dei misericordia salutem fuissent consecuti. Postea subjunxit, quod Christus æqualiter singulos docuisset, ut sibi debita sua dimitti, quotidie Deum rogarent, hinc a justissimo quovis, ne Deus justitias ejus judicet desiderandum, cum alias damnationis pœnam haud declinare poterit.

Ad alterum Lutherus nihil omnino respondit, utpote a Legato non auditus, qui potius authoritatem Pontificis tuendam suscepit, ac Luthero tenendum proposuit, quod Papa Synodo sit superior; Sanctusque Petrus Apostolorum Princeps extiterit verus Christi Domini Vicarius, totiusque Ecclesiæ Caput, & universalis Fidelium Pastor, proin tam ille, quam ejus Successores a Christo plenam omni tempore omnique loco Ecclesiam suam gubernandi potestatem acceperint. Verum non omnibus Legati propositionibus Lutherus annuit (*) aliquas vero quarum-

(*) Quanta gloria! novæ cujusdam sententiæ Patronum habere Hæresiarcham.

quarumdam distinctionum effugio elusit, tandemque affirmavit, cum homo errori obnoxius sit, etiam ut homo ab errandi periculo immunis non sum, hinc doctrinæ meæ rationem vel disputando, vel scribendo reddere volo. Hic erat primi colloquii exitus; quo soluto Lutherus, cum errores suos revocare, a Legato vehementer urgeretur, deliberandi spacium efflagitavit. Sæcul. XVI. A.C 1518.

§. LXXXII.

Colloquium secundum Lutheri cum Cardinale Cajetano.

Postera die Lutherus secundo comparuit, quodam Notario, ac quatuor Senatoribus Augustanis eum comitantibus; quibus etiam præsentibus suæ submissionis testimonium conscriptis desuper publicæ fidei literis, quas *protestationem* suam vocabat, excipi petiit, eamque coram Cardinale Legato recitavit, his verbis conceptam: *Ego Frater Martinus Luther Augustinianus, protestor, me colere & sequi Sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis, & factis, præsentibus, præteritis, & futuris. Quod si quid contra, vel aliter dictum fuit, vel fuerit, pro non dicto haberi & habere volo.* Dein ad conditiones sibi a Legato Pontificis jussu oblatas, respondit, & quidem

Sæc. XVI. A.C. 1518.

ad primam, quod nihil asseruisset, nisi duntaxat disputandi, ac veritatis dilucidandæ gratia, nec etiam sciret, quod veritatem ullo pacto impugnasset, atque ideo nequidem scripta retractare posset aut deberet, nisi erroris convinceretur; cetera inquiebat, *minus esse sibi conscium, aliquid dixisse contra sacram Scripturam, contra Concilia, contra Patres, imo nequidem contra Decretales Pontificum, qui ante Clementem VI. Sedem Apostolicam tenuissent, attamen quia homo esset, qui errare posset, velle se submittere judicio & determinationi Sanctæ Ecclesiæ, ac nominatim Doctoribus insignium Universitatum Basileensis, Friburgensis & Lovaniensis; præcipue vero Parisiensis, quam dicebat studiorum parentem, & ab antiquo in Theologia florentissimam* (*).

§. LXXXIII.

(*) Ita Continuator ex Cochlæo loc. cit. cujus tamen verba percipere haud ingratum erit, ut ex illis, quæ adjecta, quæve dempta fuerint, Lector perspicere valeat: *Protestabatur, se non sibi esse conscium, aliquid dixisse, quod sit contra S. Scripturam, contra Ecclesiasticos Patres, contra Decretales Pontificum, aut contra rectam rationem. Attamen . . . . velit se submittere: . . . judicio Ecclesiæ, & omnibus melius sentientibus, nominatim vero . . . Aut si nec id satis sit, etiam Parisiensi, quam dicebat*

§. LXXXIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Lutheri ſcriptum Legato traditum.

Ceterum Legatus, quæ præcedenti die de ſuprema Pontificis auctoritate Luthero expoſuit, rurſum repetiit, eumque ad palinodiam ſollicitavit, ac interrupta diſputandi vehementia eidem dixit, eum, niſi morem gereret, Eccleſiæ cenſuris eſſe perſtringendum. Obmutuit Lutherus, ac nonniſi quoddam ſcriptum Cardinali obtulit, cujus hæc erat ſumma: Legi equidem Clementis VI. Conſtitutionem, & fateor, quod illa præcipiat, ut Pontificum effata perinde, ac D. Petri verba audirentur, id tamen non omni ex parte verum eſt, hancque propoſitionem duntaxat admitto, quando Pontificum verba veteri doctrinæ conſona ſunt; Divus enim Petrus etiam poſt adventum Spiritus ſancti, quamvis ei tum plenior eſſet auctoritas, nihilominus de quorumdam ciborum uſu fuit correptus (*), qui etiam

dicebat ſtudiorum Parentem, & ab antiquo ſemper Chriſtianiſſimam, ac in Theologia florentiſſimam. Quamvis paulo poſt longe aliter de ea & ſenſerit, & ſcripſerit.

(*) *Haud diſſimulare debuiſſet Lutherus, S. Petrum a D. Paulo non de errore ſed de facto fuiſſe reprehenſum.*

Sæcul. XVI A.C. 1518.

am usus primum ex Ecclesiæ consensu fuit approbatus. His addebat, quod non in eo sita sit Christianorum submissio, ut sine discrimine, quæcunque nova atque Evangelio incognita Pastores annunciant, ipsi credant. Laudata vero, inquiebat, Constitutio pluribus sacri Codicis textibus adversa videtur, atque ideo illam impugnavi, nec tamen ulteriora molimina tentabo: demum vero pollicebatur, se nullos motus concitaturum, dummodo nec a suis impeteretur adversariis.

Accepit Legatus hoc scriptum, declarans, quod cum eo rem contentionibus agitare nollet, cum colloquium eo fine, ut is in officium rediret, amice fuisset institutum, & ad finiendam litem nil magis expediret, quam errorum revocatio: posthæc rursus minis eum terruit, injunxitque, haud ultra, ni revocaret, ejus conspectum subiret. Demum Staupitium Augustinianorum Vicarium generalem adesse jussit, nihilque non egit, ut illum ad solemnem palinodiam a suo Religioso extorquendam induceret.

§. LXXXIV.

Lutherus Legati minis territus, Augusta auffugit.

Lutherus supplicii, quo Joannes Hussus & Hieronymus Pragensis Constantiæ sub-

sublati fuerant, haud immemor erat; audierat quoque Legato in mandatis datum, ut eum comprehendi, Romamque abduci juberet; quapropter anxietate plenus non salutato hospite die decima septima Octobris clam Augusta discessit. Vix securum attigerat locum, cum Cajetano literas daret, quibus moderatis admodum verbis usus, Legatum nequiter lactabat, hæc fassus; mihi quidem multa verba debitæ reverentiæ contraria exciderunt, ea tamen disputationis æstui, atque adversariorum importunitati imputanda sunt, hinc veniam precor ob nimiam irreverentiam, qua in meis responsis Leonis X. personam, ac Pontificiæ dignitatis honorem læsi; nunc enim agnosco, majorem longe moderationem, humilitatem ac submissionem a me desiderari, polliceor tamen, me submissius acturum, dummodo adversariis meis pariter silentium imponatur, imo inquiebat, meas quoque sententias revocabo, ac in omnibus salutaria Cardinalis monita, necnon Vicarii mei Generalis consilia sequar, quantum conscientiæ teneritas patitur; id tamen nunc haud fieri potest, cum nondum rationibus allegatis convincar. Denique Legatum exorabat, ut hac super re Sanctitati suæ perscriberet, cujus judicio sese subjicere paratus esset, cunctaque in sacræ Sedis, atque

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Sæcul. XVI. A.C. 1518. indulgentiarum præjudicium prolata publice revocare vellet.

§. LXXXV.

Lutheri appellatio a Papa male informato ad melius informandum.

Hanc Epistolam Lutherus pridie ante suam a civitate Augustana fugam perscripsit, nimirum die decima sexta Octobris; eodem tamen tempore præsente Notario literas affixit, in quibus a Papa male edocto, necnon a potestate Legato demandata, & a sua citatione, atque a judicii actis hucusque contra se instructis vel instruendis ad Papam melius edocendum provocavit (*). Hanc ob rem securitatis literas postulavit, obtestatus, se suo tempore ac loco appellationi suæ firmiter inhæsurum. Ceterum Lutherus in provocationis suæ instrumento hæc declarabat, ego Romam a Papa vocatus venire, ac comparere adversa corporis valetudine, & paupertate, ob quam tanti itineris sumptus sustinere haud possem, præpeditus fui; aliunde vero meæ securitati haud satis cautum

(*) *Nempe hoc cunctis Schismaticis, atque Hæreticis solemne est judicem legitimum, ejusque judicium declinandi medium, non sine irreparabili totius Ecclesiæ damno.*

tum arbitrabar; hinc cum cauſſa mea ad Cajetanum Cardinalem fuiſſet remiſſa, hunc adii, Virum licet mihi merito ſuſpectum, eoquod Ordinis Prædicatorum, & D. Thomæ doctrinæ, quam tamen ego non ſequor, addictus eſſet, a quo quidem Legato inſtanter ad errorum revocationem fui ſollicitatus, reſpondi tamen, quod mea ſcripta ac dicta Eccleſiæ ac Scholarum judicio ſubjicerem; aſt inſuperhabita ratione plenæ ſubmiſſionis erga Papæ deciſiones, ſpretaque pollicitatione, qua doctrinæ meæ puritatem ex ſacris paginis, S. Patribus & Conciliis demonſtrare promiſi, nihilominus intentata anathematis, & Eccleſiaſticarum cenſurarum pœna, ad appellandi neceſſitatem compellor. Idem quoque repetiit in altera Epiſtola ad Legatum data, in qua fugæ ſuæ rationem exponens, rogat, ut provocationem ad Papam melius inſtruendum æquo animo ferret, ego tamen, addebat Lutherus, cenſuras, quas promeritus non ſum, haud pertimeſco.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. LXXXVI.

Epiſtola Legati Cardinalis ad Electorem Saxoniæ.

Luthero nil reſpondit Legatus, magis expedire ratus, ſi Electori Saxoniæ perſcriberet, cui etiam die vigeſima quinta

Sæcul. XVI. A.C 1518.

ta Octobris totam colloquii inter se & Lutherum Augustæ habiti seriem exposuit, conquestus, quod hic Religiosus se inscio ac insalutato Augusta effugisset, ac eroribus suis contumaciter inhæreret, etiamsi toties retractationem solemniter pollicitus fuisset. Postea Electori significat, Lutheri doctrinam vere esse erroneam, fideique contrariam; proin hanc caussam Romæ ulterius agitandam, hinc se orare scribebat Cardinalis, ut hunc virum vel sibi traderet, vel saltem e sua ditione excedere juberet. Ast Lutherus Cardinalem prævenit, atque Electoris præsidium sibi certum reddere studuit, quem adjuvit etiam duorum potentum Patronorum favor, Staupitii nempe sui Vicarii Generalis, & Georgii Spalatini, quem Elector a secretis habuit; nam ambo accerrimæ calliditatis Viri, Luthero in hac occasione validam prorsus opem impendebant; cum enim Elector accepta epistola oppido facunda, quam eidem Lutherus Augustam veniens scripserat, illum tueri decrevisset, hi Principis animum tanta dexteritate ad sua vota inclinabant, ut ipsemet Elector ad Legatum literas, quas Luthero prius exhibebat, mitteret, atque in illis hunc Monachum plus æquo commendaret.

Epist. Luth. ad Frid. Sax. tom. 1.

§. LXXXVII.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. LXXXVII.

Electoris responsum ad Cardinalem pro Luthero.

Hujus Epistolæ summa est: equidem inter causſas, quas a sacra Sede dijudicari oporteret, hæresis quoque recensetur, Romam tamen vocatos prius de hæresi convincere oporteret, misimus quidem ad preces Legati Lutherum Augustam, non eo tamen fine, ut juſſis duntaxat, ac præcepto, cum ejus causſa necdum examinata ac discuſſa esſet, compelleretur, maxime, cum plurium Universitatum viris longe celeberrimis Lutheri doctrina nec impia nec hæretica videatur, quamvis illius adversariis minus faveret; proin nec ego ditionem meam, nec Wittembergensem Scholam Viro tam erudito privare, minus vero eum inde pulsum Romam mittere valeo, nam gemino nomine meus est subditus, scilicet ex eo, quod in hoc solo sit natus, ac quadam officii prærogativa excellat, utpote ad Theologiam in Universitate Saxonica publice tradendam assumptus; proin eum tueri, mearum partium est, donec ex juris præscripto de erroribus, quos in suis scriptis docuisse accusatur, convinceretur.

Epist. Frid. Sax. ad Card. Cajet.

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI. A.C.1518.

§. LXXXVIII.

Lutheri libellus contra Legati Epistolam ad Electorem.

Sub idem tempus Lutherus Electori scriptam pro se apologiam adversus Legati Epistolam porrexit, ubi colloquii cum illo habiti seriem exponens, declaravit, quod Cardinalis petito plene satisfeciſſet, dummodo nonnisi de indulgentiis mentio fuiſſet interjecta, cum vero de fide ad Sacramentorum receptionem necessaria agere urgeretur, bona opera nequaquam utilia esse, asseruiſſet. His addebat, vel maxime, prosequitur Lutherus, peto, ut erroris convincar, me enim aliorum judicio subjicere, recusabo nunquam, quamprimum erroris convinci potero, imo consentio etiam, ut mea cauſsa tandem dirimenda ad quemcunque Germaniæ Episcopum remittatur; id vero si Romanæ Curiæ displicet, manifeste patebit, quod illa sibi sum̃um imperium arroget, eoquod illa, quæ Sedes Apostolica in meis libris carpit, scripto tradere, atque in Germaniam mittere, facilius sit, quam longi itineris labori atque expensis corpus, ac vitam quoque mortis periculo exponere. Ceterum tibi sereniſſime Elector pro clementi præsidio infinitas grates rependo; haud æquum tamen erit, ut

ut ob me Princeps adeo potens cum Papa in contentionem veniat, proin mallim ditionibus tuis excedere, atque voluntario me exilio mulctare, & quamvis nulla alia regio asylum adeo tutum contra hostium meorum insidias mihi polliceatur; nihilominus quocunque loco ero, semper mihi conducet ad gloriam, si pro veritatis defensione mortem oppetiero. Sæcul. XVI. A.C.1518.

§. LXXXIX.

Pontificis Decretum de Indulgentiarum virtute.

Interea Romæ adversus Lutherum causa instruebatur, ac Leo X. decretum de Indulgentiarum virtute die nona Decembris promulgavit, illudque Cajetano Cardinali transmisit hanc in sententiam conceptum: *Per præsentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam, quam reliquæ tanquam Matrem sequi tenentur, tradidisse, Romanum Pontificem Petri clavigerum, Successorem, & Jesu Christi in terris Vicarium potestate clavium, quarum est aperire Regnum Cœlorum, tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta, culpam scilicet, & pœnam pro actualibus peccatis debitam; culpam quidem mediante Sacramento Pœnitentiæ, pœnam vero temporalem pro actualibus peccatis secundum divinam justitiam debitam, mediante Ecclesiastica*

Sæcul. XVI. A C. 1518.

stica indulgentia, posse pro rationabilibus causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui charitate jungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in purgatorio indulgentias ex superabundantia meritorum Christi & Sanctorum, & tam pro vivis, quam pro defunctis Apostolica Auctoritate indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Jesu Christi, & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis indulgentiam ipsam conferre, vel per modum Suffragii illam transferre consuevisse, ac propterea omnes tam Vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali pœna secundum divinam Justitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessæ & acquisitæ indulgentiæ æquivalet; & ita ab omnibus teneri & prædicari debere, sub Excommunicationis latæ sententiæ pœna, a qua, illam incurrentes, ab alio, quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere, Auctoritate Apostolica earundem tenore præsentium decernimus.

Postea summus Pontifex Legato suo injunxit, ut hoc decretum ad omnes Archiepiscopos, & Germaniæ Antistites transmittat, illiusque executionem urgeat; prout etiam exacte ubique observatum fuit; Cajetanus enim præfatum decretum Lincii, quæ superioris Austriæ Metro-

Metropolis est, accepit, illudque typis imprimi, ac per omnes Parochias distribui, ac promulgari jussit. Sæcul XVI. A.C.1518.

§. XC.

Secunda Lutheri appellatio ad Concilium.

Hoc decretum adeo terruit Lutherum, ut fulmen capiti suo impendens præventurus, rursum a Papa appellare decerneret; cum enim se Pontificis sententia abs dubio damnari præsentiret, die vigesima octava Novembris scriptum edidit, quo declaravit, quod ab Ecclesiæ doctrina recedere, aut Pontificum auctoritatem, eorumque Constitutiones violare nolit, nec de sacræ Sedis primatu, ejusque potestate ullatenus dubitare, minus vero quicquam summi Pontificis bene edocti ac instructi auctoritati contrarium asserere velit. Ceterum ajebat, quod nec Leo a communi mortalium conditione eatenus exemptus sit, ut is, quamvis Pontificia fulgeat dignitate, errare non possit, cum etiam D. Petrus erraverit a Paulo reprehensus, quapropter illis, qui sese a Pontificia auctoritate læsi, ac injuste opprimi censerent, integrum esse inferebat, ut a vexatione appellationis perfugio se liberare valeant: hanc ob rem accepto nuncio, quod ad- *Appellat. Luth. ad Conc. 28. Nov. t. 1. p. 215.*

Secul. XVI A.C.1518.

versus eum Romæ judicii acta instruantur, atque a prætensis suis judicibus, insuperhabita submissione, suisque obtestationibus, damnationis sententia paretur, hinc eo compulsum se affirmabat, ut a Papa Leone male consulto provocet ad generale Concilium legitime congregatum, quod Ecclesiam universalem repræsentans in rebus fidem concernentibus Pontifice superius foret; igitur, prosequitur Lutherus, a cunctis adversus me attentandis, a judicii actis, anathemate, censuris, omnibusque inde sequentibus ac secuturis provoco, simulque protestor, me huic appellationi inhæsurum, ac quamdiu necessarium duxero, eam prosecuturum.

§. XCI.

Lutherus errores suos spargere pergit.

Hanc Lutheri provocationem Curia Romana eo iniquiori ferebat animo, quo acerbiori doloris sensu experiebatur, quod Indulgentiarum existimatio Leonis X. decreto adeo non crescceret, ut etiam non parum imminueretur; Germani enim, cum Lutheri causam omnino æquam censerent, Papam hoc Decretum nonnisi proprii quæstus studio promulgasse arbitrabantur; unde fideles Collectoribus nullas

nullas ferme eleemosynas elargiebantur. Ipse etiam Lutherus Saxonici Electoris præsidio elatus, omnes modestiæ terminos excedebat, suamque doctrinam Wittembergæ palam divulgabat, cunctosque hæreticæ pravitatis inquisitores scripto provocabat, ut cum eo in arenam descenderent; hanc in rem non modo publicæ securitatis literas a suo Principe eisdem dandas pollicebatur, sed etiam eos benevole excipiendos, sumptusque quamdiu Wittembergæ agerent, suppeditandos fore promittebat. Hanc Lutheri petulantiam ac temeritatem haud parum acuebant Electoris Amici, eidem suggerentes, Vaticani fulmina nunquam Alpes transitura, ac nonnisi in Italia auctoritatem Pontificis formidari, eoquod Principes ibidem agentes sacræ Sedi clientelari Sacramento obstricti essent, non ita Germaniæ Principes; cum hi ad mutuam defensionem semper uniti forent; præsentesque rerum vicissitudines Maximiliano Cæsari, ut Saxoniæ Electori adversaretur, haud permitterent, ac denique si Principum favores tamdiu durent, quamdiu propria eorum commoda, Lutherus de continuo Saxonici Electoris præsidio certus esse posset; præsertim cum nulla conciliatione reparandæ crederentur injuriæ, quas Princeps ille a Romana Curia se accepisse contende-

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Sæcul. XVI A.C. 1518.

ret, eoquod filio ipsius spurio pro quodam beneficio solitum illud *Gratis* denegatum fuisset.

§. XCII.

Melancton novus Lutheri assecla.

Florem. Rœmund. hist. de ortu hæres. l. 2. c. 9. Camerarius in vita Melancht. Sander. hæres. 188.

Luthero interea errores suos in Saxonia spargente, atque impotentibus furiis adversus Ecclesiam tumultuante, novus discipulus eidem accessit, qui Magistro suo addictissimus, ac individuus illius tam prosperæ, quam adversæ fortunæ comes fuit. Erat is Philippus Melancton anno millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo die decima sexta Februarii Bretæ, seu Bretini, inferioris Palatinatus oppido natus. Illius Pater erat Georgius Schwarzerd, in palatio Principum Palatinorum armamentarii custos, Mater vero ejusdem fuit Barbara Reuchlin percelebris illius Reuchlini, alias *Capnion* dicti soror. Philippus duodecimo ætatis suæ anno Patre orbatus, a Matre sua Phorcenum urbem in Suevia sitam studiorum caussa mittebatur, ubi *Melanchton* græce appellari voluit, quod idem ac patrio nomine *Schwarzerd* seu *terram nigram* significat. Anno Domini millesimo quingentesimo nono Heidelbergam venit, ubi anno ætatis suæ quarto decimo die decima Junii Anno Salutis millesimo quingen-

genteſimo undecimo in Theologia Bac- Sæcul. XVI.
calaurei honoribus decoratus Tubingam A.C.1518.
profectus eſt, quo in loco die vigeſima quinta Januarii Anno ſupra milleſimum quingenteſimo decimo quarto Doctoratus laurea donatus publice Theologiam tradidit, ac typographiam Anſelmi dirigens, Naucleri Chronicon correxit. Interea Reuchlinus ejusdem Avunculus Saxoniæ Electori auctor erat, ut juvenem hunc Wittembergam vocare, ac in Univerſitate Græcam linguam edocere juberet. Ergo illuc pervenit menſe Auguſto Anno a Chriſto nato milleſimo quingenteſimo decimo octavo nondum vigeſimum ſecundum ætatis annum eggreſſus. Aſt iniquiſſimo fato juvenis ille in Lutheri conſortium incidit, qui ejusdem docilitate, atque ingenii dotibus abutens, illum erroribus ſuis adeo infeliciter infecit, ut inter ejus diſcipulos longe ſtudioſiſſimus evaderet.

§. XCIII.

Carloſtadii initia.

Ad eundem quoque annum infauſta Carloſtadii initia revocantur. Hic patrio nomine Andreas Bodenſtein nuncupabatur, haud alio tamen, quam Carloſtadii nomine notus, eoquod natus eſſet Carloſtadii ſeu Caroloſtadii, quæ Germa-

Sander. hæreſ. 206. *Flor. loc. cit. l.* 1. *c.* 15. *l.* 2. *c.* 7. *Spond. ann.* 1518. *n.* 3. *Sleidan. in annal.*

Sæcul. XVI. A C. 1518

niæ urbs est in Franconia, sub annum circiter octingentesimum septuagesimum quintum a Carolo Calvo Rege condita. Carlostadius primo in Germania, postea in Italia studiorum curriculum emensus, demum Wittembergam redux, Canonicus atque Archidiaconus renunciatus est, atque ad tradendam in Universitate Theologiam nominabatur, cum vero Anno millesimo quingentesimo duodecimo Decani officio fungeretur, Lutherum ad Doctoratus honores promovit, eidemque singulari amicitia junctus erat, cum hic errores suos adversus Indulgentias sermonibus divulgare cœpisset.

Bouſſuet hiſt. var. l. 2. n. 11.

§. XCIV.

De Zwinglio ac Zwinglianis.

Sander. l. c. c. 209. Flor. l. c. l. 2. c. 8. l. 3. c. 3. Spond. ann. 1519. n. 8. Togemburg.

Lutheri Secta apud Germanos altiores radices agente, Huldricus, seu Ulricus Zwinglius novæ hæresis fundamenta in Helvetia jecit, ac Lutheri exemplo ex Indulgentiarum publicatione veneni sui evomendi occasionem arripuit. Natus is erat Wilhusii ex Comitatu Doggiorum in Helvetia die prima Januarii Anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo septimo. Annum ætatis agebat decimum, cum studiorum gratia Basileam mitteretur, inde vero Bernam, ubi Græcam atque Hebraicam linguam didi-

didicit, sub Henrici Lupuli Magisterio : Philosophiam vero Viennæ in Austria, ac Theologiam Basileæ coluit, ubi etiam Anno Domini millesimo quingentesimo quinto Doctoratus lauream emeruit, dein altero post anno sacris concionibus operam dedit non sine magno fructu. Anno salutis millesimo quingentesimo sexto Claronæ, magno Helvetiæ oppido in Pago Glaronensi, Parochialis Ecclesiæ Pastor electus, usque ad annum millesimum quingentesimum decimum sextum a doctrina Ecclesiæ nullatenus recessisse videtur; cum vero sermonibus suis ingentem sibi famam conciliasset, relicta Claronensi Ecclesia, ad aliam, quæ *Eremus B. V.* appellabatur, ac percelebris peregrinatio erat, administrandam vocabatur. Currebat annus Domini supra millesimum quingentesimus decimus septimus, in quo cum Cardinali Sedunensi, qui tum in Helvetia agebat, colloquium habuit, sermonemque instituit de corruptelis, quas in Ecclesiam irrepsisse credebat, necnon eidem indicavit abusus tollendi necessitatem, utilitatemque exonerandi Ecclesiam ab intollerabili numero vanorum rituum, quibus fideles opprimi conviciabatur. Demum Cardinali significavit, quod tam salutari operi manum admovere, illis præcipue incumberet, quibus Ecclesiæ clavum regendi

Sæcul. XVI. A.C. 1517.

Melchior Adam in vit. Theol. Ger.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

gendi cura demandata est, quos inter & ipse numeraretur. Anno sequenti Zwinglius ad Parochialem urbis Tigurinæ Ecclesiam ac Verbi divini prædicationem accersitus, mense Januario Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimo nono hujus Ecclesiæ possessionem adiit, ibique novos errores prædicare cæpit, necnon librorum Lutheri lectionem commendavit.

§. XCV.

Leonis X. Papæ consilia ad præcavendas Turcarum invasiones in Europam.

Mezer. Contin. de Chalcondil. hist. des Turcs l. 13. Victorel. addit. ad Giacon. Petr. Angl. ep. 607. Guicc. l. 13. Raynald. hoc ann. 78. & seq.

Quamvis interim Saxonia tam gravibus agitaretur tumultibus, ut haud exiguæ Germaniæ parti proximum amittendæ Religionis Christianæ periculum impendere videretur; nihilominus Leo Pontifex Pastoralem suam sollicitudinem continuato studio ad media extendit, quibus indicta adversus Turcas sacra militia, Christiani Principes junctis viribus Selimum Sultanum reprimere possent; hic enim palam jactitabat, quod arma sua contra Europæ Christianos convertere, summi Pontificis Monarchiam destruere, atque ex illius thesauris ditescere vellet, Leo X. hanc calamitatem re ipsa imminere veritus, publicas preces, solemnesque

que ſupplicationes ad avertendum hoc flagellum Romæ decrevit, ſimulque Maximilianum Cæſarem, ut ad hanc expeditionem ſuppetias ferret, impenſe hortatus eſt. Conabatur etiam Afros & Tartaros, atque Scythas, necnon Poloniæ, Angliæ, Daniæ & Franciæ Reges ad hanc militiam invitare: ceterum Selimus eo tempore Italiam haud invaſerat, ſed Damaſcum profectus, Aleppi hyberna egit. Equidem contra Rhodios validam omnino claſſem parabat, verum peſtilentiæ vi quam plurimos ſuorum militum abſumente, ipſe exercitu dimiſſo, Conſtantinopolim ſeſe recepit. Saecul. XVI. A. C. 1518.

§. XCVI.

Luſitaniæ Regis connubium cum Sorore Caroli Auſtriaci.

Dum hæc interea geruntur, Carolus Auſtriacus imperium ſuum in Hiſpania firmare intentus erat; cum enim rem haberet cum Natione ſuperba, atque exteri jugi impatiente, opus erat ingenti prorſus prudentia. Duxerat ſecum in Caſtellam Eleonoram de Auſtria ſuam Sororem, cujus nuptias Emanuel Luſitaniæ Rex, jam ſecunda conjuge orbatus, necnon Joannes ejusdem Filius expetebant. Hos inter competitores Rex Catholicus Patrem, quamvis ætate Sorori

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

ſuæ diſparem prætulit; cum enim Maximiliano mortuo imperii coronam ambiret, hujus amicitiam conſiliis ſuis magis proficuam cenſuit. Non eadem tamen Eleonoræ animo inſedit ſententia, nihilominus tamen fratris ſui, licet natu minoris, voluntati cedere compulſa eſt.

§. XCVII.

Diviſio Archiepiſcopatus Toletani nequidquam tentata.

Supplement. Marian. t. 5. ann. 1519.

Exeunte anno priori a Carolo Caſtellæ comitia agebantur, ſub primis vero hujus anni auſpiciis Archiepiſcopatum Toletanum ambitu ſuo ampliſſimum in Madritenſem & Tolaveranam Eccleſias dividendum eſſe, proponebatur. Annuit Pontifex, hancque in rem diplomate edito, totius rei cognitionem commiſit Adriano Cardinali Coſentino Epiſcopo, ſuo in Caſtella Nuncio Apoſtolico, necnon Alphonſo Marinquez Rodericopolitano Antiſtiti, dato eisdem negotio, ut commoda æque ac damna, quæ ex novorum horum Epiſcopatuum erectione oriri poſſent, accurrate denunciarent. Aſt tam graves intercedebant difficultates, ut a ſuſcepto conſilio deſiſtere, neceſſarium duceretur.

§. XCVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. XCVIII.

Arragonenſium Comitia Cæſarauguſtæ a Carolo Auſtriaco celebrata.

Eodem anno Carolus Cæſarauguſtæ Ordinum comitia habuit, in quibus duplex agitabatur controverſia. Prima erat, quod Deputati etiam Ferdinando Infanti, tanquam proximo Monarchiæ hæredi fidei Sacramentum exſolvi peterent. Altera in eo ſiſtebat, quod iidem Carolum non ut Regem, ſed nonniſi ut tutorem, ac bonorum Matris ſuæ, quamdiu mentis impos eſſet, adminiſtratorem agnoſcendum contenderent; verum ambas hasce difficultates Cheurienſis, qui Carolum comitabatur, dexteritate ſua adeo feliciter eluctabatur, ut cuncta ad Regis vota cederent, & Carolus honoribus omni expectatione amplioribus a cunctis exciperetur: Obviam enim ei proceſſerant præter innumeram ferme Nobilium turmam duodecim primi generis Proceres, Regem ſuum comitaturi; advenerat is unacum quam plurimis Nobilitatis Caſtellanæ viris, qui eum ingenti pompa ſequebantur, ipſeque Cardinalis ſemper ejus latera ſtipabat, ac Rex in omnibus urbibus, præcipue vero Cæſar-Auguſtæ, quæ Arragonici Regni Metropolis eſt, inſolita prorſus magnificentia ex-

Sæcul. XVI. A.C. 1518. excipiebatur. Post hæc ibidem in Regem salutatus, diademate, quod in regio thesauro asservari solet, coronatus est, regioque Paludamento, quod illi Joanna Mater ejus dono dederat, ornatus incessit, ubi rara hujus Principis benignitas omnium oculos, animosque in se rapuit, eoquod altera die, qua fidei Sacramentum receperat, plusquam mille hominibus, præter eos, quibus alias id juris competit, dexteram suam osculo venerandi copiam fecisset.

§. XCIX.

Cæsar Imperii Romani successionem in Ferdinandum suum Nepotem firmiter transferendi cupidus.

Tandem Ferdinandus Caroli Frater Viennam pervenit, tamque feliciter Maximiliani Cæsaris amicitiam sibi devincire novit, ut ejusdem animo eadem instillaret consilia, quibus olim Rex Catholicus optaverat, ut huic Principi Austriæ Patrimonium relinqueretur. Igitur Cæsar cunctas, quas Austriaca Domus in Germania possederat, ditiones Ferdinando cedere, eumque in Imperii Romani successione firmare, animo constituit, hancque in rem comitia, æstate prope transacta, Augustæ celebranda indixit. Ea re percepta Carolus Cardinalem

nalem Tridentinum, ut teſtantur Scriptores Hiſpani, vel juxta Belgas, Sedunenſem Cardinalem ſollicitat, urgetque, ut Cæſaris conſilia everteret. Cardinalis, vel cuicunque demum hoc negotium demandatum erat, validiſſimis rationibus Cæſari expoſuit, quod ad tuendam Auſtriacæ domus gloriam plurimum referret, ut Imperii corona ad Carolum transferretur. His rationum momentis ceſſit Maximilianus Imperator, qui celebratis hisce comitiis ſexto abhinc menſe mortalitatem exuit: eo tamen temporis intervallo Hiſpaniarum Rex ad ſibi concilianda S. R. I. Electorum ſuffragia non ſine ſucceſſu utebatur pecuniis hunc in finem non minus liberaliter, quam circumſpecte profuſis. Paulo poſt habito Equitum velleris aurei conventu nuptias conciliabat cum Germana Ferdinandi Catholici Regina vidua, & Ferdinando Arragonio Calabriæ Duce, qui ultimi Neapolitani Regis Filius neglectis quibuscunque aliis curis ſuæ duntaxat voluptati indulgebat. Saecul. XVI. A. C. 1518.

§. C.

Galliarum Regis molimina pro Tornaco recuperando.

Interea Volſæus Cardinalis, primusque Miniſter Angliæ Regis, apud quem pluri- *Polyd. Virg. hiſt. Angl. l. 27.*

Secul. XVI. A.C.1518

plurimum gratia valebat, cuncta Galliarum Regis consilia explorare, semper intentus erat; verebatur enim, ne Rex Christianissimus fœdere, quod nuper cum Henrico iniisset, in rem suam verso Tornacum recuperare tentaret. Interea etiam eundem Cardinalem Carolus Hispaniarum Rex ad suas partes pertrahere satagebat, ejus opera usurus, si forte bellum contra Gallos movere compelleretur, huncque in finem eidem hoc anno annuam trium millium librarum pensionem assignabat. Nihilominus hisce Caroli benevolentiis prævaluit Galliarum Regis solertia; hic enim, cum sibi probe perspectum haberet, hunc Angliæ Ministrum honorum, aurique percupidum esse, non solis blanditiis, sed muneribus quoque eundem lactabat; simulque Guilielmum Gouiffierum de Bonniveto Gallicæ classis Præfectum in Angliam decernebat, ut Cardinalem Francisco Regi devinciret. Hujus legationis successum magis expeditum reddebat nova Cardinalis dignitas, qua Eboracensis Ecclesiæ Archipræsul creatus, Tornacensis Episcopatus conservationem parum cordi habebat; quapropter faciles omnino aures Francisco Regi accommodabat, qui ei ampliffima offerebat munera, si Henricum Angliæ Regem, ac Dominum suum ad Tornacen-

censem urbem Franciæ reddendam inclinaturus esset. Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. CI.

Tornacum Volsei suasu ab Anglo Gallis restitutum.

Igitur Volseus blanditiis, promissis, ac Francisci I. Regis muneribus expugnatus, animum sententiamque mutavit, cumque paulo ante unice intentus esset, ut Regi suo persuaderet, quod ad Regis, Regnique amplitudinem nil utilius esset, quam urbem hanc tueri, utpote maximi momenti locum, ac perenne victoriarum, quas de Gallis retulisset, monumentum: mox tamen Gallici auri vis Volsei mentem, linguamque adeo mutavit, ut Henrico auctor esset, quod hæc ipsa urbs Regno inutilis foret, cum præsidii expensæ longe superarent cunctas futuri emolumenti spes, proin longe magis expediret, illam Galliarum Regi instanter supplicanti, quam Hispaniæ Regi forte eam armis vindicanti relinquere: hac occasione, inquiebat Volseus utendum censeo ad ingentem auri summam a Tornacensibus extorquendam; aliunde autem urbs utpote Caleto nimis distans, prima quavis dissensione inter utrumque Regem exorta, abs dubio in hostium manus veniet, cum tamen ex adverso hac liber-

Sæcul. XVI. A. C. 1518.

liberalitate Angliæ Rex sibi Galli potentissimi amici præsidium conciliare possit; eo potissimum nomine, quod ipsemet Franciæ Rex, ut Anglorum amicitiam sibi certam redderet, ac indissolubili vinculo firmaret, jam prior proposuisset nuptias Delphini filii sui cum Margarita unica Henrici Filia. Hæc rationum momenta prævalebant Tornacum servandi desiderio, unde Angliæ Rex cunctis sibi a Cardinale propositis suffragatus est, hancque ob rem nil reliquum erat, quam ut de restitutionis negotio tractaretur, quod idem nondum evoluta sexta hebdomoda plane perfectum erat.

§. CII.

Galliarum Regis Legatio ad Angliæ Regem.

Neufville Villeroy.

Ergo Rex Franciæ Stephanum Poncherum Parisiensem Episcopum, & Nicolaum Novavillam Villæregiæ Toparcham, Statusque Secretarium Londinum ablegavit, qui cum Bonniveto Admirale jam ibidem agente operam jungeret, & negotium ad exitum deduceret. Data est insuper ambobus plena auctoritas, qua non modo inter ambos Reges pristinæ amicitiæ fœdera innovare possent, sed etiam armorum societatem erigere valerent cum summo Pontifice, aliisque

que Principibus Christianis, siqui eidem accedere cuperent; præterea eisdem injunctum, ut agerent quoque de connubio Delphini cum Maria Regis Filia, necnon de reddendo Tornaco, unacum urbibus eidem adhærentibus, scilicet Mortania, & sancti Amandi oppido. Denique colloquium inter ambos Reges instituendum peterent. Insuper publicis Francisci I. literis muniti erant, quibus Rex Cardinali Volseo, quem chariſſimum suum Amicum appellabat, annuam duodecim millium librarum pensionem solvere pollicebatur, dummodo Tornacensis Episcopatus administrationem dimitteret. Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. CIII.

Fœdus inter Angliæ & Franciæ Reges.

Igitur Volseus confestim unacum Franciæ Legatis pacta perficere nitebatur, quorum primus articulus Mariæ nonnisi quinque annorum Principis nuptias cum Delphino unius anni infante spectabat, sancitumque, connubium inter utrumque perficiendum, quamprimum Delphinus decimum quartum ætatis annum attigisset, dotis vero nomine ab Anglo numeranda esse trecenta triginta tria millia nummum aureorum, quorum media pars ipsa nuptiarum die, altera autem *Raynald. an. 1518. n. 154.*

Sæcul. XVI A C. 1518.

elapso anno penderetur, fide utrinque data, quingenta aureorum millia solvendi, si alterutrius Regis culpa nuptiæ effectum non sortirentur.

Acrior erat disputatio circa articulum secundum de Tornaco reddendo, Anglis hanc urbem dotis loco Delphino cedendam esse contendentibus; id autem displicuit Gallis, eoquod longa nimis mora illos a civitatis possessione arceret. Res tandem ita composita est, ut Tornacum unacum urbibus annexis Galliarum Regi restitueretur, ea tamen lege, vi cujus præter quinquaginta librarum millia a civibus Anglo debita Gallus Henrico VIII. præter eos, quos hic in arce construenda ac annonæ, bellique apparatu munienda feciffet, sumptus, adhuc solveret sexcenta millia aureorum, ut vocant, coronarum, quarum quævis triginta quinque solidorum Turonensium valorem adæquat: ex hac vero utraque summa Franciscus I. Mariæ dotem detrahere valeret, mox tamen capta urbis possessione, prout quoad solutionis terminos constitutum est, daret quinquaginta librarum millia, dein vero quolibet semestri, donec tota summa expuncta esset, alia viginti quinque librarum millia penderet, in cujus fidem Rex Christianissimus octo ex prima Regni Noblilitate Viros, obsides daret:

ret: hi autem erant Franciscus Morentiacus, Rochepotii Princeps; Carolus Mouyus de Meilleraia; Antonius Despretius, Montpesati Toparcha; Carolus Solerius, Moretæ in Pedemontio Comes; Huguevilli filius natu major; Mortemarii filius secundo genitus; & denique Melunus, & Grimaltus. His Anglorum potestati traditis, Castellonius Marescallus Tornacensis urbis possessionem accepit. Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. CIV.

Tornacum Gallis redditum.

Post hæc ambo Reges Sundinfeldæ, quod oppidum est Ardrecio & Guinæ interjacens, conventum egerunt, ubi utrinque sancitum, quod Galliarum Rex Albaniæ Ducem revocaret, Scotiæ autem Rex fœderis initi pactis accederet. Die decima quarta Octobris omnes hi articuli subscribebantur, ac utriusque Regis consensu, solemnique Juramento tam Londini quam Parisiis firmabantur. His peractis Rex atque Regina Franciæ, qui Delphini Filii sui vices agebant, eidem desponsabant Mariam Principem, cujus partes procuratoris nomine Somerseti Comes gerebat. Celebrabantur hæc solemnia Parisiis die decima sexta Decembris: Equidem Franciscus I. fœderis fiducia fretus, Caleti quoque possessionem *Polyd. Virg. l. 27.*

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

sibi certam sperabat; ast Hispaniæ Rex ejus consilia dissipavit, ad suas partes Volseum pertrahens.

§. CV.

Æmulatio Lautrecum inter & Trivulcium Mediolani.

Tot felicitatum concursus Galliarum Regi firmam Mediolanensis Ducatus possessionem polliceri videbatur; innovata enim erat cum Rege Angliæ armorum societas; Cæsari vero, ut Ducatum invaderet, belli nervus deficiebat, ac denique amicitiam cum Gallis colere, Hispaniæ Regis intererat, Castellæ atque Arragoniæ solio nondum satis firmato: soli igitur pertimescendi erant illi, quos Rex Ducatus Regimini præfecerat; nec abs re; invidia enim, aut immoderato Lautreci studio factum, ut in Mediolanensi Statu civilis belli semina spargerentur; quippe Joannes Jacobus Trivultius ad Ducatus Metropolim secedens, sine luxu privatam agebat vitam; ceterum a majoribus suis ampliſſimis facultatibus auctus, virtutum quoque gloria omnium reverentiam sibi conciliabat; cum vero Guelforum factioni, cujus caput habebatur, nimium faveret, patria exulare compellebatur, quam tamen repetiit, stipendia merens sub Ferdinando Arragonio

nio hujus nominis primo Neapolis Rege; Sæcul. XVI.
poſtmodum vero Caroli VIII. Galliarum A.C.1518.
Regis, cum Neapolitanum Regnum ſibi
ſubjicere tentabat, vexilla ſequebatur.
Idem Anno milleſimo quadringenteſimo
nonageſimo quinto Capuam Gallis tradi- *Vid. Lib.*
dit, atque unacum Mareſcallo Gienſi in *CXVIII.*
prælio Fornovienſi primæ Gallici exerci- *§. XIX. &*
tus aciei imperavit. Anno Chriſti mil- *§. XLV.*
leſimo quadringenteſimo nonageſimo no-
no, ſub Ludovico XII. occupando Media-
lani Ducatui operam navabat, cujus eti-
am regimen Anno ſalutis milleſimo quin-
genteſimo præter Mareſcalli Franciæ di-
gnitatem ab eodem obtinuit. Tot animi
ac fortunæ dotes Trivultio in patria au-
ctoritatem, majorem tamen Lautreco,
qui Mediolani Gubernator erat, invidiam
creabant.

§. CVI.

Accuſationum capita adverſus Trivultium.

Hic ergo Trivultium apud Franciſcum Galliarum Regem inſimulabat, quod inter Helveticas Tribus civitatis jure donatus fuiſſet, eoquod hæc natio hunc favorem ejus meritis debitum cenſeret, id autem ei crimini dandum ajebat, quod neglecto Regis præſidio exteræ potentiæ protectionem quæſiiſſet. II. Trivultium accuſabat, quod ambos Nepotes ſuos

Secul. XVI. A.C. 1518.

Venetorum stipendia mereri jussisset, opemque tulisset liberando Pontifici, qui adhuc Cardinalis in Ravenatensi pugna captus fuisset. Harum accusationum iniquitas eo acerbiori vulnere Trivultium afflixit, quo firmius sibi persuasum habebat, quod heroicis semper facinoribus inviolabilis fidei suæ testimonia Gallis præbuisset. Equidem vehementer questus, duris admodum verbis Lautreco illatam sibi injuriam exprobrabat, ast prævalente hostium suorum potentia, ejusmodi calumnias ferendo impar, octogenarius licet, Alpes transcendit, coram ipso Rege innocentiam suam vindicaturus; accessit Castrum prope Montem-Letericum, ubi Rex agebat, nunquam tamen alloquii gratiam obtinere poterat, eoquod Comitissa de Castro-Brientii Lautreci Soror, cujus illicitis amplexibus Rex assueverat, ejus animum adversus Trivultium præveniisset. Nihilominus Trivultius Lectica ad quamdam porticum, quam Rex sacris interfuturus pertransire debebat, sese deferri jubet, magnoque clamore Regem affatur, rogans, benignas præberet aures Viro, qui pro Rege ejusque Prædecessoribus in duodevingti prælus vitam suam exposuisset. Ast Rex Trivultium quidem aspexit, percepitque, sed nil commotus pertransiit.

§. CVII.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. CVII.

Trivultii Mareſcalli obitus.

Hæc Regis inclementia tam immodico dolore Trivultii animum oppreſſit, ut lenta febri correptus, paucis poſt diebus ſpiritum redderet. Equidem Rex quosdam ablegavit, qui ægrotum inviſerent, Regisque aſperitatem excuſarent. Aſt tardum nimis erat hoc obſequii genus; jam enim die quinta Decembris Anno Salutis milleſimo quingenteſimo decimo octavo animam efflaverat. Delatum eſt corpus ejus Mediolanum, atque in Eccleſia S. Nazarii in magnifico tumulo repoſitum. *Guicc. l. 13.*

§. CVIII.

Stockolmia a Chriſtierno Daniæ Rege obſeſſa.

Jam ſupra memoravimus, diffidia inter Adminiſtratorem, & Archiepiſcopum in Sueciæ Regno exorta: horum occaſione fretus Chriſtiernus II. cognomento *Crudelis* Daniæ Rex, qui ſe itidem Sueciæ Regem appellabat, cum valido exercitu Regnum invaſit, opitulantibus etiam duobus millibus Gallorum, quos Franciæ Rex Chriſtierno ſuppetias miſerat. His copiis auctus Stokolmiam, Regni Metropolim cinxit: Aſt Adminiſtrator *Vid. ſupra §. XLVI. & XLVII.* *Joan. Mag. Hiſt. Suec. l. 24. c. 3. Loven. Hiſt. Suec. l. 5.*

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Stenon urbem tam ſtrenue tuebatur, ut Chriſtiernus obſidionem ſolvere compelleretur, factumque temporis iniquitate, ut ejus fuga haud levibus obnoxia eſſet periculis, cunctaque ipſi neceſſaria deficerent: hinc Stenon Regi, quamvis hoſti ſuo, annonam tamen, atque omnia ad trajectum requiſita generoſo animo ſuppeditavit. Hæc tanta adverſarii ſui magnanimitas Daniæ Regis animum frangere, pacisque conſilia inſpirare videbatur, unde Stenonem ad litus deſcendere rogabat, cum eo hac ſuper re collaturus. Jam jamque Stenon eo ſe conferre parabat, cum Sueciæ Proceres eum hortantur, urgentque, ne homini adeo crudeli, quem nec honor nec data fides in officio contineret, vitam ſuam committeret. Stenon horum monitis cedens nonniſi quosdam nobilitate conſpicuos ad Chriſtiernum ablegavit, qui aut pacem aut inducias cum eo paciſcerentur. Verum Chriſtiernus hos omnes in Daniam captivos abſtraxit.

Surius in Comment.

§. CIX.

Facultatis Theologicæ judicium de Indulgentiis.

Argentre collec. Judic. t. 1. p. 355.

Cum interim eorum, qui indulgentiis abutebantur, pravitas non raro quasdam propoſitiones doctrinæ fidei adverſas

sas effutiendi occasionem præberet; Facultas Theologica Parisiis apud S. Mathurinum die sexta Maji Anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo conventum habuit, ibique duas propositiones de sacri belli indulgentiis examini subjecit, earumque unam censura perstrinxit, alteram approbavit. Prima his concepta erat verbis: *Si quis Cruciatæ Gazophilaciis testonem* (*), *vel ejus valorem pro anima in purgatorio detenta imponit, illam protinus e flammis eripit, atque ejusmodi anima infallibiliter cælum ascendit. Hinc si quis decem testones pro decem, imo mille pro mille animabus elargitur, omnes confestim, & absque dubio gloriam consequuntur. Hæc propositio*, inquit Facultas, *est falsa, scandalosa, suffragiorum pro Defunctis subtractiva, tenorem Bullæ* Cruciatæ *excedens, & si fuit prædicata, fuit temerarie asserta, & pro conscientiarum quiete revocanda.*

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Ex Regist. Cens. Facul. fol. 171.

Altera propositio primæ omnino contraria, atque per Facultatem approbata, hujus erat tenoris: *Certum non est, quod passim omnes animæ purgantes, pro quibus ad Cruciatæ arculam decem Turonenses solidi reponuntur, protinus & abs dubio ad*

(*) *Est moneta Italica imperialis, quæ trium Juliorum, vel in nostra moneta medii floreni valorem adæquat.*

Sæcul. XVI. A.C. 1518

cælum evolent: id enim potius relinquendum est Deo, qui thesaurum Ecclesiæ ejusmodi animabus applicatum, prout ipse vult, acceptat. Hæc propositio (ita declarat eadem Facultas) *est vera, Doctoribus divini, & humani juris consona, pietatem fovens fidelium, & tenori Bullæ* Cruciatæ *non adversa.* „ Hac via, inquit Dupi-
Dupin. Bibl. Script. Eccl. t. 13. Sæcul. XVI. p. 211.
„ nus, Parisiensis Facultas Theologica
„ prudenti remedio obviabat Scandalo,
„ quod indulgentiarum abusus eo tempo-
„ re inducebant, quo Lutherus sub cor-
„ ruptelæ obtentu illas damnare, atque
„ adversus eas tumultuari ausus est. „

§. CX.

Infaustum Adriani Cornetani Cardinalis fatum.

Cardinalem Adrianum Cornetanum cum Petruccio in Leonis Papæ vitam conspirasse supra meminimus; hic quidem obtinuit delicti sui veniam a summo Pontifice, ea tamen lege, ut decem aureorum millia mulctæ nomine penderet: Adrianus autem veritus, ne Papa hac pœna haud contentus concessam vitæ gratiam revocaret, ineunte hoc anno aliena Messoris veste indutus noctu Roma excessit, qua tamen via, & ad quem locum sese receperit, ignoratur, nec illo abhinc tempore, quæ

fata

fata tulerit, unquam explorari poterat. Ecquidem Pierius Valerianus, qui sub annum Domini milleſimum quingenteſimum trigeſimum quartum ſuos commentarios conſcripſit, teſtatur, increbuiſſe famam, hunc Cardinalem a ſuo famulo fuiſſe trucidatum, ut is auro, quod ejus interiori tunicæ aſſutum noverat, potiretur. Pater Oldoinus tamen refert, *Adrianum, poſtquam a Leone Papa purpura ſuisque beneficiis ſpoliatus eſſet, necis metu perterritum in Traciam Conſtantinopolim usque fugiſſe, ibique obſcurum, ac latentem clauſiſſe diem extremum.* Primus omnium memoria noſtra fuit Adrianus, qui poſt Ciceronis ſæculum ſuis ſcriptis ad latini ſermonis puritatem mortales excitavit: cum enim Oratorum Principem crebro pervolveret, circa latinitatis perfectionem elegantiſſima quæque inde hauſerat, quæ poſtea in ſuo transalpino receſſu in unum tractatum congeſta in lucem edidit, atque *de ſermone latino* inſcriptum Carolo Archiduci adhucdum juveni nuncupavit. Hoc opus ut perficeret, latinam veteris Teſtamenti verſionem, quam inchoaverat, interrupit: Præterea ſcripſit librum *de vera Philoſophia* Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo Colonienſibus literis excuſum.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

Pier. Valer. de infelicit. Literator.

P. Oldoin. Athen. Rom.

Paul. Jov. in vita Leon. X.

Guicc. l. 13.

§. CXI.

Sæcul. XVI. A.C. 1518.

§. CXI.

Volseus Cardinalis ex Cornetani spoliis dives.

In defuncti Cardinalis spolia involavit Volseus Cardinalis; Cum enim Cornetanus ab Henrico VII, ad quem ab Innocentio VIII. Nuncius Apostolicus fuerat decretus, Regisque benevolentiam ac favores sibi conciliaverat, præter Erfordiensem Episcopatum insuper Batonensem, & Wellanam Ecclesias impetrasset, ambos hosce episcopatus Leo Papa Volseo concessit, ratus quod is, quamvis Eboracensis Archiepiscopus esset, ad sustinendam Cardinalis dignitatem ampliori reditu indigeret. Præterea Volseus tanta apud Henricum VIII. Angliæ Regem gratia atque auctoritate valebat, ut ipse totus a Cardinalis potestate penderet, cunctaque pro illius arbitrio administraret. Eidem quoque Leo Papa curam demandabat, ut in Regno decimas colligeret, cum vero idem Pontifex Cardinalem Laurentium Campegium in Angliam ablegaret, ut pro expeditione Turcica a Clero subsidia impetraret, necnon Henricum induceret, quatenus & ipse fœderi, quod ceteri Christiani Principes, pro tuenda

tuenda fide Catholica ſancire decreverant, nomen daret, Volſeus hanc legationem ſibi a Papa non fuiſſe delatam, injuriæ loco habebat; unde, cum Campegius adhuc iter Angliam verſus proſequeretur, Leoni ſignificari juſſit, merito ſe iniquo ferre animo, quod ipſe, cum tamen ſit Cardinalis, jamque in regno præſens exiſteret, primusque Regis Miniſter eſſet, flocci tamen haberetur, quapropter palam declaravit, quod per hunc contemptum ſibi adempta eſſet Sanctitati ſuæ inſerviendi poteſtas, eoquod ejus opera in iis, quæ Papa peteret, nullius prorſus momenti foret, utpote Viri, cui ipſamet Romana curia hanc Legationem demandare dubitaſſet; de cetero Pontificis plurimum intereſſe ajebat, ut ad conſequenda ſua vota ipſius præſidio uteretur, cum ipſe tanta apud Regem polleret auctoritate, ut Papa abs ejus auxilio certius ſpe ſua fruſtraretur.

Sæcul. XV. A.C. 1519.

§. CXII.

Volſeus unacum Campegio Legatus in Anglia.

Ex ejusmodi verbis Leo Papa haud obſcure intellexit, Volſeo cedendum eſſe; quapropter literis die decima ſeptima Maji datis in Legationis munere cum pari

Sander. l. 2. de ſchiſmat. Angl.

Sæcul. XVI. A. C. 1519.

pari auctoritatis amplitudine eundem Campegio adjunxit, „ Notum est nobis, „ (inquit Pontifex in epistola ad Volseum „ directa) quantum apud Regem valeas, „ tuoque arbitrio relictum esse, illum „ aut nobis propitium, aut adversum „ reddere. „ Jamjam Campegius Bononiam in Picardia venerat, nilque propius erat, quam ut mare trajiceret: nihilominus Volsei artibus tamdiu ibidem hærere compellebatur, donec Pontificis responsum in Angliam deferretur, quo accepto Volseus confestim Campegio nunciavit, ut conscensa navi iter accelleraret. Ergo Londinum appulsus, die vigesima nona Julii urbem ingressus est, cumque Campegii apparatus parum magnificus esset, Volseus eidem duodecim mulos pretiose ornatos obviam misit. Posthæc proferebatur quædam Leonis X. Bulla, qua indulgentiæ concedebantur omnibus illis, qui horum Legatorum alterutri sacrum præsente Rege atque Regina facienti interessent, aut saltem contriti ac confessi ab eis sacram benedictionem reciperent.

§. CXIII.

Remolini Cardinalis obitus.

Ciacon. in Alex. VI. p. 202.

Hoc anno die quinta Februarii, quæ erat feria sexta Romæ obiit Franciscus

cus Remolinus, Ilerdæ in Catalonia natus ex Patre infimæ plebis Viro, & Matre Carcaſſonenſi in Occidania. Is Juriſprudentiæ operam dabat Piſis, matrimonii nexu vinctus, uxore autem ejus ſeſe Religioſo inſtituto devovente, & ipſe Arragoniæ Regis ad Romanum Pontificem Oratoris munere functus, ſacræ militiæ nomen dedit, atque Archipresbyteratum Mazzarienſem obtinuit. Romæ poſtea Cæſari Borgiæ adhærens, mox Auditor Rotæ, poſtmodum Epiſcopus Surrentinus, Panormitanus, tractuque temporis Firmanus, Perusinus, & Ilerdenſis Antiſtes in Patria ſua renunciatus eſt. Præfuit etiam Panormi Archiepiſcopali Eccleſiæ, demum vero Neapolitanus Prorex ſalutatus, cum Raymundus Cardona depoſito hoc munere Ravennam profectus eſſet. Adfuit tribus comitiis, in quibus electi fuere Romani Pontifices, Pius III. Julius II, & Leo X; idem quoque cum ceteris nominatus eſt, ut Hieronymum Savonarolam. inſtructis judicii actis, de more a clericali militia amoveret, ac in laboris præmium die trigeſima prima Maji Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo tertio in tertia Cardinalium creatione ab Alexandro VI. purpura decoratus eſt: Ubi vero cum Julio II. in contentionem venit,

Sæcul. XVI. A. C. 1519

Guicc. l. 5. Aubery hiſt. Card.

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

nit, ad evitandam illius iram Neapolim se contulit, a Leone tamen revocatus etiam constitutus est Judex cum aliis in caussa eorum, qui in Pontificis vitam conspirabant. Multos post obitum ejus annos, cum reseratum fuisset illius sepulchrum, repertus est capiti suppositisse brachium, quare suspicioni datus est locus, deliquium animi duntaxat passum, haud vero penitus mortuum sepulturæ fuisse illatum.

§. CXIV.

Cardinalis Bendinelli extrema.

Ciacon. in Julio II. p. 298. Foglieta in elog. clar. Vir.

Die vigesima quarta, sive vigesima quinta Martii eodem anno humanis rebus ereptus est Bendinellus Saulius itidem Cardinalis. Is patria Genuensis ex nobilissima, & perantiqua Sauliorum familia natus, a Julio II. primo Diaconus, demum Presbyter Cardinalis creatus est, cui etiam summo Pontifici gratissimus fuit, imo ab ipso Leone X, ejus successore ob præclara ejus merita inter familiarissimos habebatur. Viros literatos summopere coluit, ac muneribus, stipendiisque auxit, quos inter præcipuos habuit Joannem Mariam Cataneum, & Paulum Jovium. Ast cum fortuna atque virtus in Bendinello indies magis ornando

do ambitiosa quadam æmulatione contendere viderentur, invidia virtutis comes destinatæ felicitatis cursum inhibuit: nam apud Leonem X. falsa delatione suspectus grave sui nominis ab irato Principe discrimen subiit: purpura igitur spoliatur, ac gradu suo dejicitur, velut conscius conspirationis in Pontificem. Ast cum Viri innocentia fuisset detecta, paulo post, ut nonnulli ajunt, judicio Pontificis liberatur, & cumulata benignitate pristinæ Leonis gratiæ, omnibusque honoribus restituitur: Nihilominus Guicciardinus Bendinellum reum damnat, nam Cardinali Petruccio morte mulctato Bendinellum pœna perpetui carceris castigatum affirmat, dein nummis persolutis ad purpuram revocatum. Alii referunt, restitutam quidem illi Senatoriam dignitatem, non tamen concessum, ut eligi vel eligere posset in Comitiis. Ceterum Cardinalium Senatus, ut Viro libertatem procuraret, percelebrem Thomam Cataneum ad Papam ablegabat, inanis tamen erat Legationis hujus successus; nam absumptis Romæ multis diebus, ut alloquii gratiam obtineret, re infecta Thomas domum redire compellebatur. Tandem Pontifex Bendinello, summis parentum ipsius precibus exoratus, libertatem restituit, ea tamen conditione, ut mulctæ nomine viginti quin-

Sæcul. XVI. A. C. 1519.

Petr. Bizz. in hist. Genuen. Guicc. hist. Ital. l. 13. *Victorel. addit. ad Ciac. Vide supr. §. VI. Jac. Naldi hist. Florent.*

Sæcul. XVI. A. C. 1519.

que nummum aureorum millia penderentur. Obiit non citra lenti veneni in carcere hausti suspicionem, ac sepultus est in Ecclesia S. Sabinæ.

§. CXV.

Mors Pandulphini Cardinalis.

Anton. Ammiratr. Famigl. Flor. Ughel Ital. sacra. Ciacon. in Leon. X. p. 349.

Eodem anno Sacrum Purpuratorum Collegium tertium luxit Cardinalem, Nicolaum Pandulphinum patria Florentinum: is anno millesimo quadringentesimo quadragesimo ex nobilissima Florentinorum prosapia ortus, ac a puero Bononiæ tam linguæ latinæ, quam juris peritiam edoctus in patriam deinde reversus est, ubi Canonicus primo constitutus demum ad Romanam Curiam sub Pio II. se contulit, a quo Apostolicæ Cameræ Clericus, & a Paulo II. Apostolicus Scriptor renunciatus est, quo munere functus tam præclara doctrinæ specimina edidit, ut Sixtus IV. eidem Juliani S. Petri ad vincula Cardinalis Nepotis sui institutionem committeret, eundemque nonnisi suffragante virtutum ac probitatis merito Pistorienſi Ecclesiæ præficeret, ac Beneventanæ urbis Gubernatorem nominaret. Post hæc ab Innocentio VIII. Pisis S. Zenonis Abbatiam in com-

commendam obtinuit, cumque Julianus Cardinalis S. Petri ad vincula demum ad Pontificatum sub nomine Julii II. Anno milleſimo quingenteſimo tertio evehere-tur, ac Pandulphini conſortium peropta-ret, illum a ſecretis habere voluit, nec-non Auditorem conſtituit, eumque in Fa-miliam Ruveream adſcivit. Referunt nonnulli, Pandulphinum ideo non fuiſſe purpura donatum, quia pertinacibus Julii conſiliis obſequi neglexiſſet. Nihilominus Menſe Julio Anno Chriſti milleſimo quin-genteſimo decimo ſeptimo a Leone X. Cardinalium Collegio adſcriptus eſt, haud diu tamen honori, quem in virtutis ac meriti ſui præmium obtinuerat, vita ſu-perſtes fuit; vix enim purpuram accepe-rat, quando Piſtorii in Diœceſi ſua a-nimam Deo reddidit, juxta quosdam Scri-ptores die quinta Julii, vel juxta alios die decima ſeptima Septembris Anno a Chriſti nativitate milleſimo quingenteſi-mo decimo octavo. Corpus ejus Flo-rentiam delatum in Abbatia quadam in ſepulchro Patrum ſuorum conditum fuit. Vir erat morum probitate, literarum ſcientia, ac vitæ ſanctitate conſpicuus: in pauperes liberalis, beneficus, parum-que de ſe ſollicitus, Eccleſiæ vero ſuæ Piſtorienſi, cui per annos quadraginta quatuor ſanctiſſime præerat, maxima

Saecul. XVI. A.C. 1519.

Sæcul. XVI A.C. 1519

contulit beneficia, nam Clericorum Seminarium ad piam juvenum institutionem condidit, mensamque Episcopalem auxit, & in Ecclesia sua Archidiaconatum erexit, demumque S. Nicolai Monialium monasterium a fundamentis exstruxit. Unde digniſſimi hujus Præsulis memoria adhucdum apud Pistorienses adeo recenter in Benedictione est, ut illum jure merito *Patrem spiritualem* appellent, ac quovis anno ex Senatus Pistorienſis consulto in die depositionis Anniversarium pro ejus anima celebrent.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXXVI.

LEO X. PONTIFEX.
MAXIMILIANUS I. CAROLUS V.
OCCIDENT. IMPERAT.

§. I.

Maximiliani I. obitus.

Ineunte anno milleſimo quingenteſimo decimo nono die duodecima Januarii Lincii in Auſtria extremum diem obiit Maximilianus I. Auguſtiſſimus Cæſar, annos natus ſexaginta tres. Jam aliquamdiu lenta febri correptus ægre animam trahebat, accedente vero alvi profluvio ex Medicorum conſilio utrique malo,

Sæcul. XVI. A. C. 1519.

Surius in Comm. ex P. Jovio l. 19 Sleidan. hoc anno. Guicc. l. 13.

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

malo, ne mortem inferret, quædam potio præscribebatur, quæ tamen tempore non satis commodo adhibita, aucta morbi vi, Cæsaris obitum accelerabat. Is Imperio præerat, defuncto Friderico ejus Patre, viginti quinque omnino annis cum quinque mensibus: Sepulturæ vero locum sibi elegit Neostadium, quo etiam corpus ejus delatum fuit. Binas habuit uxores, quarum prima erat Maria Caroli Burgundiæ Ducis filia, ex qua Philippum suscepit, qui ducta in conjugem Joanna IV. Carolum V. progenuit. Obiit illa Anno Salutis millesimo quadringentesimo octogesimo secundo. Altera fuit Blanca Galeatii Mariæ Mediolani Ducis Filia.

Cuspinian. in orat Funebr. Joan Ant. de Vera hist. Carol. V. p. 21 Pallavicin. hist. cap. 12.

§. II.

Imperatoris hujus indoles.

La Bizard. hist. gestorum in Eccles. memorabl. p. 18.

Maximilianus non modo ante adeptam supremam imperii dignitatem, sed etiam postea censebatur Princeps in consiliis vacillans, ac mobilis, novitatis amans, & ad magna feliciter constanterque exequenda ingenio imbecillis; unde non raro tantis implicabatur turbis, curisque, ut ejus conatibus nunquam secundus colluderet successus. Nihilominus tamen toto imperii sui tempore adversus aliquem ex suis hostibus bellum gerebat,

gerebat, tanta tamen animi levitate, ut exiguam nominis sui famam sibi conciliaret, præterea in sumptibus erat immoderatus, atque in benignitate usque ad immodicam profusionem liberalis. Fertur, Literatos impense foviſſe, atque ex ipsius calamo quædam poemata, ac vitæ suæ commentarios profluxiſſe (*). Sæcul. XVI. A. C. 1519.

§. III.

(*) Benevole Lector! quam insignibus corporis, animique dotibus Maximilianus Imperator memoria æterna dignus, fuerit præditus, passim non modo a Germanis, sed a Gallis quoque Scriptoribus discere potes. Omnes uno ore in eo deprædicant summam in Deum Religionem, in subditos amorem, mansuetudinem, & clementiam in hostes, in omnes justitiam, raram in Principe continentiam, singularem literarum cultum, atque eximiam in administrando imperio prudentiam; Primus ipse Cameram Imperialem, ut vocant, instituit, saluberrima edidit decreta, judicii formam emendavit, atque imperium in decem circulos divisit; ut taceam plura alia, quibus nominis sui famam in omnes temporum ætates commendavit. Hunc ergo tamque præclarum Principem a Continuatore non modo absque omni debitæ laudis memoria exhibitum, sed etiam indigno prorsus modo inconstantiæ notatum, abs dubio indignaberis Lector; nec

Sæcul. XVI A.C. 1519.

§. III.

Carolus Hiſpaniæ Rex imperii competitor.

Sleidan. in comm. lib. 1, p. 21. edit. ann. 1556.

Nonniſi ſeptima Februarii die Cæſaris obitus Carolo Hiſpaniarum Regi nunciabatur; cum enim indurata glacies ſemitam omnem operiret, tanta progrediendi difficultas nuncii celeritatem quantumvis maximam ita eludebat, ut Cæſarauguſtam, ubi tum Rex agebat, haud citius venire potuerit. Equidem hæc cunctatio permoleſta acciderat Carolo, ne tamen inutili luctu tempus falleret, S. R. I. Electorum ſuffragia ſibi conciliare, ſerio cogitavit.

§. IV.

---

tamen mireris; Continuator enim nondum æquo animo ferre poterat, quod Maximilianus ſaniora edoctus, mutato conſilio edicta de cogendo Piſano conciliabulo damnavetit, ſchismaticorum auſus improbaverit, Lateranenſi Concilio adhæſerit, ac relicto Gallorum Rege ad Pontificis obſequium redierit. En cauſſam! ob quam piiſſimus ac conſtantiſſimus Imperator levitatis nota a Continuatore perſtringitur; cujus tamen livor in Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam usque adeo omnibus notus eſt, ut ejus calumniæ, velut canis alligati latratus paſſim contemnantur.

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. IV.

Franciſcus I. imperium aucupari cupidus.

Jamjàm vivente Maximiliano, quo ſua vota tenderent, haud obſcure indicabat Carolus; ejus tamen conſilia certe non pauca, quæ intervenerant obſtacula retardabant; ſemper enim Franciſcus I. Galliarm Rex occultis artibus eidem adverſabatur. Nec tamen propterea Carolus animum deſpondit, ſpe fretus, mortuo Cæſare magis expeditam fore ſemitam ad imperii coronam, quam tamen adhuc difficiliorem experiri cogebatur; quippe Franciſcus I. jam aperte Caroli juribus obluctatus, ſe ejus æmulum declarabat, utque eligentium ſuffragia ad ſe pertraheret, Francofordiam, ubi electio fieret, Bonnivetum ablegabat, dato negotio, ut S. I. Electoribus quadringenta aureorum millia offerret.

Belcar. lib. 16 n. 9.
Raynald. ad ann. 1519. n. 7.

§. V.

Ratìones pro Galliarum Rege.

Eo tempore Carolus adhuc in Hiſpania hærebat, Franciſcus vero, cum magis vicinus eſſet, maturando negotio aptior erat, ejusque conſiliis multæ rerum viciſſitudines favere videbantur: Præclara enim fortitudinis ſuæ

Secul. XVI. A. C. 1519

ſpecimina edidit, ac explorata erat ejus in bellis gerendis prudentia, ac fortuna cunctis ejus conatibus ſemper ſecunda. Accedebat inſuper ſpes potentis auxilii, quod Germania adverſus exteros Turcarum inſultus, atque inteſtinos Hæreticorum tumultus ſibi a Rege polliceri poſſet. Equidem, qui Gallis favebant, ejusmodi rationum momenta tota ingenii acie exaggerare conabantur, ut Galliarum Regi imperii curam deferri ſuaderent. Verum ipſimet hi prætextus futuræ ejus electioni obſtacula creabant: Verebantur enim S. R. I. Electores, ne Galliarum Rex aucta potentia Germaniæ Principes opprimeret, cum ex adverſo talia a Carolo pertimeſcendi locus non eſſet; fuit enim Princeps ingenii non admodum ſingularis, ac exiguæ inſuper fortitudinis, (*) proin minus formidabilis. Præterea Franciſci Regis electioni obſtabat, quod ex gente Germana oriundus

Extat tom. 3 rer. Germ. ex edit. Freher p. 138.

(*) Palatius in vita Caroli V. fol. 328. Carolum appellat, *excelſæ ſpei, fortunæque adoleſcentem, Principem uti ingenio, ita animi magnitudine nemini ſecundum.* An igitur æqua ſit Continuatoris cenſura ex hoc Scriptore, cunctisque, qui Caroli vitam elucubrarunt, ac præcipue ex geſtis, quæ ipſe Continuator in ſucceſſu Hiſtoriæ ſuæ enarrat, Lector dijudicabit.

dus non esset. His tamen insuperhabitis Bonnivetus Electoribus suggerebat, quod Hispani, si Carolus eligeretur, adeo diuturnam Regis sui absentiam a regno ægerrime laturi essent, ejus vero ditiones ab imperio nimium distarent, proin assiduis tumultibus exponerentur, aliunde Carolus rei militaris inexpertus esset, ac Cæsar, a quo educatus in omnibus semper dependisset, suum eidem genium, ac præcepta instillasset. Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. VI.

Poloniæ, Hungariæ & Bohemiæ Reges a Gallo sollicitati.

Ut vero hisce rationibus majus auctoritatis pondus accresceret, Bonnivetus S. R. I. Electoribus ampliſſima elargiebatur munera, saltem auro illorum suffragia coempturus. Post hæc Franciscus I. his necdum contentus, Lagardum de Gaignes Alverniæ Nobilem in Poloniam, Hungariam, & Bohemiam ablegabat, ut horum Regnorum Reges induceret, ne suæ ad Imperium electioni adversarentur. Verum Gallus surdas pulsabat aures; objectabant enim hi Principes pacta, quæ Ludovicus junior Hungariæ ac Bohemiæ Rex cum Domo Austriaca olim inierat, vi quorum se Regiæ

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

giæ Caroli Hiſpaniarum Regis familiæ ſuffragaturum fidem dediſſet.

§. VI.

Helvetii a Galliarum Rege ad conciliandos ipſi Electores rogati.

Præterea Franciſcus Galliarum Rex ad Helveticas Tribus Antonium de Lamet ſupplicatum miſit, ut ejus electioni faverent, datumque fuit Lameto negotium, ut in Badenſibus comitiis Helvetis proponeret, quod tanta foret Turcarum potentia, ut vel eis cedendum, vel pugnandum eſſet; cum autem a nullo niſi ab eo, qui Galliæ, Germaniæ ac Italiæ vires unitas haberet, eorum auſus frangi poſſent, ac conciliandæ ejusmodi unioni Helvetii, eoquod inter tres hoſce ſtatus juſto ſitus ſpatio interponerentur, oppido idonei forent; hinc Rex Chriſtianiſſimus, ajebat legatus, eos rogat, atque obteſtatur, ut ejus votis ſuffragarentur; viciſſim vero ille pollicetur, ſe imperio potitum arma ſua usque ad Thraciæ fines circumlaturum. Attamen ad hæc Helvetii reſpondebant: obſtant pacta nuper cum Gallis inita, vi quorum polliciti ſumus, quod nec Sacræ Sedis, nec Romani Imperii negotiis ullo pacto nos ingerere velimus, proin relinquimus plenam

plenam Electoribus libertatem. His dictis Lametum, comiter licet, re tamen infecta valere jubebant. Verum haud diu Helvetii a neutrius partis ſtudio alienos ſeſe ſervabant ; vix enim Lametus diſceſſerat, cum illi datis ad ſacrum Electorum Collegium literis ſupplicarent, ut Gallum, ſi Germaniæ libertatem ſalvam conſervare velint, penitus excluderent (*). Ceterum in hac epiſtola neque etiam Carolo Regi Catholico patrocinabantur.

Sæc. XVI. A.C. 1519.

§. VIII.

Nec Carolus nec Franciſcus Pontifici acceptus.

Ex altera vero parte Leo Papa nil intentatum reliquit, ut Electores nec Carolum nec Franciſcum in Cæſarem nominarent; cum enim hic Mediolani Ducatum, ille autem Neapolis Regnum poſſideret, verebatur Pontifex, ne alterutrius Monarchæ electio aliquando Italiæ quietem perturbaret, ac præcipue ſummorum Pontificum potentiam reſtringeret.

(*) *Has imperium venandi artes a Continuatore ſilentio preſſas fuiſſe, Gallorum quamplurimi peroptabant. Aſi nempe alienæ gloriæ nimium invidus, non raro propriæ inimicus evadit.*

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

ret. Nihilominus clam rem agebat, ne eorum invidiam sibi accerseret, quapropter Robertum Ursinum Reggiensem Episcopum Sedis Apostolicæ Nuncium specialiter deputatum Francofordiam ablegavit, dato negotio, ut Electoralis Collegii consiliis & ipse suffragaretur, quemque potiora eligentium suffragia petere cognosceret, eidem quoque accederet, nisi forte Galli in favorem cujusdam Germani Principis de prætenso suo jure remitterent. Omnia hæc ambientium studia integrum Mensem Junium tenebant.

§. IX.

Carolus Miltiz a Pontifice ad Electorem Saxoniæ missus.

Cochlæus in actis & scrip. Lutheri ann. 1519.

Interea temporis Papa Lutheri Hæretici sectatores numero ac potentia augeri justo dolore deplorabat; quocirca nil non agebat, ut ulteriores mali progressus sisteret, hancque in rem Saxoniæ Electorem ad suas partes pertrahere statuit: ut vero secundus conatibus aspiraret successus, eidem Rosam auream, quam summi Pontifices quotannis quarta jejunii verni Dominica sacrare solent, dono dare decrevit, huncque in finem quemdam nobilem Saxonem, quem a cubiculis habebat, Electori satis notum nomine Caro-

Carolum Miltiz ablegavit, præcepitque, ut Friderico exponeret, quod nulla re magis, quam hæretici hujus Monachi præsidio existimationem suam in discrimen adduceret, eoquod Lutherus in hæresin prolapsus patriæ suæ juribus excidisset; quapropter potius ab eo rebellionis suæ pœnas poscceret; cum imperii leges nequaquam Sacræ Sedis juribus adversarentur, inter quæ præcipuum esset, ut summo Pontifici libera causarum majorum, ac præprimis ipsius hæresis cognitio plene relinqueretur. Secul. XVI. A.C. 1519.

§. X.

Epistola Pontificis ad duos præcipuos Consiliarios adversus Lutherum.

Hisce monitis idem Papa binas adjunxit epistolas, quas Mense Januario Anno supra millesimum quingentesimo decimo nono datas ad duos primarios aulæ Saxonicæ Ministros direxit, nimirum ad Pfeffingerum & Georgium Spalatinum, quorum prior Electori ab arcanis erat consiliis, alteri vero publica status negotia gerendi cura incumbebat. Hos ergo ambos exorabat Pontifex, ut ad Lutherum ditione expellendum toto studio Electorem inclinarent, hancque in rem Papa eisdem Religionis Christianæ.

ac

Secul. XVI. A. C. 1519.

ac proprii honoris curam variis rationum momentis ingerere ſtudebat. Exeunte Februario Miltizius in Saxoniam venit, remiſſe admodum exceptus, imo Elector Roſam auream nec privatim nec publice acceptare voluit, nec magis benevolas aures iis, quæ Legatus adverſus Lutherum propoſuerat, accommodavit. Equidem Pfeffingerus, & Spalatinus Miltizio magis affecti videbantur: verum Germaniæ negotia tum horum ſtudia adeo abſorbebant, ut Papæ votis plene ſatisfacere haud potuerint.

§. XI.

Miltizii Papæ Nuncii colloquium cum Luthero.

Acta Luth. cum Miltiz t. 1. Cochl. l. cit.

Igitur Miltizius prævalente eorum, qui Luthero favebant, potentia de proſpero Legationis ſuæ ſucceſſu deſperans, non jam auctoritate, ſed mitiori via rem aggredi ſtatuit, cumque Lutheri arrogantiam Electoris præſidio indies augeri, probe cognoſceret, ac Cajetanum Legatum nimiæ ſeveritatis Romæ poſtulatum fuiſſe perpenderet, contrariam agendi rationem tenere, ac lenitate pertinaciam frangere conſultius fore judicavit. Verum id conſilii tanta abjectione, tamque inſulſa aſſentatione executus eſt Miltitius, ut omnes ferme Hiſtorici eidem hunc modum

modum suo munere ac dignitate tantopere indignum objicerent: nam primo hunc hæresiarcham elogiis celebrabat, mox colloquio habito adversus Tetzelium Dominicanum, qui primus adversus Lutherum insurrexerat, vehementer declamabat, dicere ausus, eum seductionis, cui populus implicitus esset, primam extitisse causam; cum is ab Archiepiscopo Moguntino aurum cumulandi percupido ad tantam severitatem fuisset concitatus, ac demandatæ facultatis limites excessisset. Postea conversо ad Lutherum sermone eum adhortabatur, ut ad reparandum, quod intulisset malum, ex Ecclesiæ sententia de indulgentiis ad populum diceret. Huic reposuit Lutherus; haud levioris culpæ reum se fecit Pontifex, eoquod Moguntiæ Archipræsuli duos Episcopatus possidere indulsit, quorum tamen reditibus nonnisi ad saturandam suam ambitionem atque avaritiam abutitur. Præterea idem a sua sanctitate ad vendendas indulgentias fuit compulsus, ut pecuniis inde collectis factæ gratiæ literas, *Palliumque* redimere valeret; aliunde Leo X. Florentinis, quorum avaritia cunctis explorata est, penitus se addictum ostendit. Ejusmodi responsum Miltizio Lutherus scripto dedit. Sæcul. XVI. A.C. 1519.

Sæcul. XVI. A. C. 1519.

§. XII.

Lutheri epistola ad Papam submissione plena.

Ulemburg de script. Lutheri cap. 2.

Cum vero Pfeffingerus & Spalatinus Saxoniæ Electorem vehementer urgerent, ut Hæresiarchæ patrocinium dimitteret, Lutherus ab eo derelinqui veritus, die vigesima prima Martii ad Papam dedit epistolam humillimis verbis conceptam, in qua hæc significavit: permolestum mihi accidit, quod Sanctitatis suæ indignationem incurrerim; idque in præsenti rerum statu iniquius fero, quod non modo caussam, qua tam potentis adversarii iram in me concitaverim, sed etiam eum placandi medium ignorem, equidem ad revocanda, quæ scripsi, ac docui, continuo urgeor, nec id recuso, dummodo prius erroris convincar, sique meam caussam a viris ingenio ac eruditione claris, quibus Germania abundat, examinari, Sanctitas sua jubebit, facile manifestum erit, quod minus ego, plus vero Indulgentiarum Prædicatores Sanctitatem vestram offenderint; hi enim insipidis ac ridiculis sermonibus suis veluti ex tuo instinctu prolatis suæ duntaxat avaritiæ inservierunt, ac singulis diebus Ministerii ipsis concrediti sanctitatem profanarunt, hæc denique est eorum, qui me

me insimularunt indoles; unde Sanctitas vestra, nisi prævenita esset, ex ipsis horum accusationibus innocentiæ meæ testimonium depromere posset. Ceterum, prosequitur Lutherus, *Deum testor, & omnes creaturas, me nunquam id egisse serio, ut potestatem Ecclesiæ Romanæ, summique Pontificis labefactarem, vel illius auctoritati per fraudem quicquam detraherem, imo libere fateor, hujus Ecclesiæ potestatem eminere super omnia, nec illi quicquam in cœlo vel in terra præferendum præter solum Christum; quin & scripto in lucem edito populum monebo, ut omnes in honore habeant Romanam Ecclesiam, nec mihi temeritatem quorumdam blateronum adscribant, neve meam imitentur acerbitatem, qua contra eandem Ecclesiam usus, imo potius abusus sum, eaque de re me graviter deliquisse fateor.* Porro necesse erat Saxones ab opinione retrahere, per quam in impietatem prolapsi fuerunt; nec propterea ullam objurgationem promereor, eoquod præpedire conatus sim, ne avaritiæ suspicione labes quædam Romanæ Ecclesiæ puritati inuratur, nec populus indulgentias charitati præferendo seducatur; ultimo tandem coram Sanctitate sua protestor, nolle me ob ullius momenti res Ecclesiæ pacem perturbare, sed potius me cunctis, quæ pro bono pacis sit postulatura, subjiciam. Verum

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

omnibus hisce speciosis contestationibus Lutherus nonnisi fucum faciebat; quapropter Miltizius hanc epistolam utpote nonnisi generalibus verbis conceptam haud sufficere existimavit, ac Luthero proposuit, quod totum hoc negotium Archiepiscopi Trevirensis judicio committeret, proin Confluentiam contenderet, cum ibidem colloquium esset habendum.

§. XIII.

Lutherus Erasmum ad suas partes pertrahere conatus.

In vita Erasmi partim ab ipsomet, partim ab amicis script. Lugd. Bat. an. 1642

Huic quidem consilio annuit Lutherus; cum vero Cajetanum quoque huic colloquio interfuturum postea intelligeret, atque aliunde Papa caussam ad Trevirensis Archiepiscopi tribunal evocari, ratum non haberet, Miltizii consilia successu caruerunt, Luthero interim unice intento, ut Sectatorum suorum numerum sparsis ubique erroribus augeret. Jam supra meminimus, Philippum Melanchtonem ad Lutheri signa transfugisse; hoc autem anno idem hæresiarcha ad suas quoque partes pertrahere conabatur Erasmum Virum percelebrem, cujus paulo ante mentionem ingessimus, nunc Historiam vitæ suæ altius repetendam suscipimus.

Eras-

Eraſmus, quamvis invitus, ut adverſantis fortunæ invidiam effugeret, Ordinem S. Auguſtini ingreſſus eſſet, nihilominus vitam ſuam ad inſtituti normam accurate dirigebat, ſolius rationis inſtinctu ea operans, quæ ſi ex Religionis ſtudio feciſſet, Sanctitatis merito claruiſſet. Cum autem literarum ardore mire teneretur, ſacro clauſtri otio nequaquam abuſus, externam, qua fruebatur, quietem ad rerum naturalium cognitionem, majoremque in ſcientiis profectum impendit, ibique quosdam compoſuit pios libellos, ac inter eos tractatum *de contemptu mundi;* tandem, cum Sacerdotio dignus haberetur, die Sancto Marco ſacra Menſe Aprili Anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo ab Epiſcopo Ultrajectenſi ſacrum Presbyteratus Ordinem ſuſcepit. Poſthæc Henricus a Bergis Cameracenſis Epiſcopus, cum Eraſmum ſingulari ingenii acie præditum noſſet, ipſusque ejus ſcientia proficere cuperet, eundem accerſivit, ſecumque accedente Superiorum permiſſu Romam ducere ſtatuit; verum Eraſmus iter aggredi præpeditus, Pariſios contendit, ibidem literarum ſtudia proſecuturus, ubi aliquamdiu in Montis acuti Collegio moratus, ob cibos inſalubres morbum contraxit, & ad Epiſcopum redire compulſus eſt. Necdum tamen eo tem-

Sæcul. XVI. A. C. 1519.

Secul. XVI. A. C. 1519.

pore habitum Regularem exuit. Paulo post Parisios rediit, Theologiæ operam daturus, ad quod tamen studium, cum eo tempore hæc scientia methodo mere scholastica traderetur, minus propensum sentiebat animum, ibidem tamen integro ferme quadriennio morabatur, dempto eo tempore, quo circa Annum Christi millesimum quadringentesimum nonagesimum nonum iter in Angliam suscepit. Cum autem sub idem tempus Lutetiæ Parisiorum pestilentia grassaretur, inde recedere, atque Aureliam sese recipere cogebatur, ubi cum ingenti profectu Jurisprudentiæ studio operam navabat, cumque aliquamdiu huic scientiæ incumberet, rursus in Angliam concessit, inde vero tertia jam vice Parisios repetiit, ibidemque longo tempore permansit, tandemque in Italiam, cujus miro desiderio semper arserat, Anno salutis millesimo quingentesimo septimo profectus est, ac primum Bononiæ integrum ferme annum diversatus, ibidem Theologiæ Doctor renunciabatur. Accidit quadam die, ut Erasmus linteum album ex humeris pendens gestaret, cumque eodem ferme habitu illi, qui peste laborantes curant, pro more Parisiensis urbis incedant, Erasmus a quibusdam nebulonibus infausto errore pestis curator credebatur; quapropter Erasmum lapidibus oppetere, imo

&

& eductis gladiis invadere parabant, indignantes, quod eos prius, ut illius occursum declinarent, non admonuisset. Hoc item vitæ periculum Erasmo occasionem suppeditabat, ut Lambertum Brunium, quem Julius II. ab epistolis habebat, datis literis rogaret, quatenus summo Pontifici exponeret, se a Tutoribus suis ad amplectendum vitæ Religiosæ statum fuisse compulsum, cum tamen ab eo vitæ genere tum animo tum corpore alienus esset. *Nihilominus* subjungit Erasmus, *ex meo sodalitio non excessi, nisi permissu Præpositi tum domestici tum generalis, & quamvis habeam liberam conscientiam, gratum tamen mihi foret, si Pontificis auctoritate in totum omni scrupulo sublato meæ libertati restituar, ne toties ponenda, sumendaque veste gravius etiam scandalum pariam male loquentibus, ac in capitis periculum denuo incidam, ut nuper mihi factum.* Postea Brunio casum supra relatum recenset. Perlecta fuit hæc Epistola coram summo Pontifice, qui Viri hujus stylo adeo delectabatur, ut diploma quantocius expediri juberet, quo eidem petita gratia concederetur (*) Post hæc

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

ep Erasm. lib 24. ep. 5.

(*) Melchior Adamus in vita Erasmi fol. 42. scribit: *Erasmus ne simile periculum deinceps incurreret, a Julio II. Pontifice impetravit, ut ornatu Religioso pro bonorum Ratione*

Sæcul. XVI. A. C. 1519.

hæc Erasmus Bononia Venetias contendit, ubi in Aldi Manutii officina typis recognoscendis operam dederat, eum vero Alexander Princeps Jacobi IV. Scotorum Regis filius nothus ac S. Andreæ Archiepiscopus primo Patavium, inde vero Ferrariam, ac demum Senas venire jussit; igitur in hac urbe aliquamdiu commoratus a suis amicis rogabatur, ut Romam adiret. Ibi summo Pontifici a suis exhibitus, non modo a Julio II. perbenigne excipiebatur, sed etiam a Cardinalibus, ac præprimis a Joanne Medicæo, qui postea Julio II. suffectus Leonis X. nomen assumpserat, magnis benevolentiæ signis honorabatur. Postquam vero in alma hac urbe aliquo tempore perstiterat, Senas ad Archiepiscopum S. Andreæ venit, quocum denuo Romam rediit, ibidemque viam ad altiora ascendendi sibi abs dubio pararet, nisi eum illius amici, quos in Anglia habebat, ut in hanc Regionem reverteretur, rogassent, eidemque amplam spem feciissent, fore, ut ab Henrico VIII. Rege, qui Virum maximi habebat, insignibus prorsus favoribus cumularetur. Hac pollicitatione pellectus Anno Christi millesimo quingentesimo nono in Angliam venit,

uteretur, modo vestem haberet Sacerdotalem, quod Leo X. confirmavit, & Erasmus deinde tum in Italia tum alibi observavit.

venit, ibidemque in ædibus Thomæ Mori, qui ſupremus hujus Regni Cancellarius erat, diverſatus librum compoſuit, cui titulus: *Moriæ encomium*, præterea eidem Guilielmus Waramus Cantuarienſis Archiepiſcopus quamdam Parochialem Eccleſiam intra ſuam Diœceſin offerebat, quam tamen acceptare recuſans, Lutetiam rediit. Exiguo autem poſt tempore in Angliam reverſus, publice in Univerſitate Oxonienſi Græcas literas tradidit: cum vero in hoc Regno ſuæ ſuſtentationi providere haud poſſet, inde recedens Baſileæ ſedem figere conſtituit, ut pro elucubrandis libris ſuis Frobenianæ officinæ opportunitate uti valeret; ex hac tamen ipſa urbe ſæpius in Belgium, atque iteratis itineribus in Angliam ſeceſſit, quin tamen frequens hæc locorum mutatio ſtudii ſui aſſiduitatem interturbaret, aut illum præpediret, quominus quam plurimos libros elucubraret, jurisque publici faceret. Sæcul. XVI. A. C. 1519.

§. XIV.

Eraſmi epiſtola ad Leonem X. Papam.

Cum eo tempore Leo X. ſupremum in Eccleſia Pontificatum gereret, Erasmus eidem adhuc Cardinali probe cognitus datis literis adepti Solii gloriam gratulabatur, ſimulque rogabat, ut gratam,

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

& acceptam haberet fiduciam, qua eidem Græcam juxta ac latinam novi Testamenti editionem nuncupare præsumeret. Ad hæc Leo respondit verbis oppido benevolis, eidemque laboris sui præmium promisit, novique Testamenti editionem approbavit.

Epist 30. *Erasmi l.* 1. *& l.*2.*ep.*10. *in edit. Lond.*

§. XV.

Apologia versionis.

Nihilominus tamen hoc opus quamplurimos adversarios habebat, imo non deerant ipsi quoque Catholici, qui auctorem impugnabant, librumque censuris perstringebant, simulque Erasmum, ut ipsus ingenii sui partum supprimeret, inducere conabantur, ea ducti ratione, quod absque generalis Concilii auctoritate nova Sacræ Paginæ versio edi haud posset: Cum autem ejusmodi ratio non modo infirma, sed prorsus insulsa esset, hinc eam quoque Erasmus nullo ferme negotio refellebat. *Fas esse negant*, inquit ipse, *tentare quicquam hujusmodi, nisi ex auctoritate Concilii Generalis. Ast isthoc quid iniquius? Ipsi quotidie depravant sacros Codices, sola inscitia & temeritate in consilium adhibita: nobis non licebit ex veterum sententia restituere, quod corruptum est, nisi totius Orbis Christiani convocato Concilio? Adeo pejorem volunt esse conditionem mendum submoventis, quam invehentis, bene merentis sua industria,*

duſtria, quam male merentis ſua ignorantia. Sæc. XVI.
Poſtremo quam ob rem magis trepidamus, A. C. 1519.
ſi quid ſecus lectum fuerit in divinis libris, quam ſi quid ſecus enarratum? certe utrobique par diſcrimen: atqui videmus, interpretes non modo diverſa, verum etiam pugnantia dicere ſæpenumero. Ergo vel permiſſum eſt aliquid novare in ſacris libris, vel omnino nihil? ſi quicquam permittunt, cur non excutiunt potius, an recte mutatum ſit, necne? Si minus, quid facient illis locis, in quibus mendum ineſſe, manifeſte apparet. Nos novam non prodimus editionem, ſed veterem pro viribus reſtituimus, ita, ut hanc novam non labefactemus.

Poſtea recenſet exempla eorum, qui Sacri Codicis libros nova paraphraſi explanarunt, aut verſiones ediderunt. *Laudem,* inquit Eraſmus, *promeruit Juvencus, qui Evangelicam hiſtoriam auſus eſt verſibus includere, quis in jus vocat Ægidium Delphum, qui totum ferme divinæ Scripturæ corpus carmine complexus eſt: nuper etiam Felix Pratenſis Pſalterii totius novam edidit interpretationem; Jacobus quoque Faber Stapulenſis dudum id fecit in epiſtolas D. Pauli, quod ego in totum novum teſtamentum.* Poſthæc proſequitur Eraſmus, *oſtendo locis aliquot lapſum eſſe Auguſtinum, Hilarium, & Thomam, idque facio ſicut oportet, reverenter, citraque contumeliam: adeo ut ſi viverent ipſi, mihi qualicunque*

Secul. XVI. A.C. 1519.

licunque sic admonenti gratiam habituri sint. Sed indignum se judicant hostes nostri, ad istas Grammaticorum minutias descendere; sic enim vocare solent eos, qui bonas didicere literas, quasi vero laudi Theologo vertendum sit, si Grammaticem nesciat. Certe conducit ad Theologiæ cognitionem hujus disciplinæ peritia, officit imperitia. Neque negari potest, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, quorum auctoritate potissimum res Theologica nititur, ex hoc Gramaticorum ordine fuisse. His dictis subjungit, *equidem cautum est in Synodo Lateranensi, ut liber edatur ab Ordinario comprobatus, aut ab iis, quibus ille suas vices delegarit. At opus nostrum & scriptum & editum est, teste & approbante ejus loci Episcopo, ejus judicio etiam subscripsere Ludovicus Berus Parisiensis Doctor, ac Fabritius Capito Basileensis Theologus. Referre possem innumeras epistolas insignium Virorum, quibus mihi gratias agunt, quod ex meis lucubrationibus in novum Testamentum meliores, & eruditiores evaserint, sed ut de aliis taceam sufficit Roffensis Præsulis testimonium. Et non pudet istos tenebriones suo arbitratu lacerare, quod ipse summus approbat Pontifex?*

Tandem in fine hujus Epistolæ ostendere nititur, quantam utilitatem ejus versio afferre poterit, atque hucusque attulerit, præcipue cum ea inducat Theologos,

logos, ut majori cum sedulitate sacri Codicis studio incumbant. Sæc. XVI. A.C. 1519.

§. XVI.

Erasmi versio a pluribus Theologis impugnata.

Verum hæc Erasmi Apologia haud præpedire poterat, quominus plures Theologi versionem ejus denuo carpere molirentur. Hos inter Eduardus Leeus natione Anglus se in illa plusquam trecentos errores notasse jactitabat. Erasmus cum hoc viro hac super re conferre voluit, promisitque, se cuncta fidei aut probis moribus adversa correcturum; ast Leeus ejusmodi cum Erasmo commercium respuebat, paulo post tamen animadversiones suas publici juris fecit, quas Erasmus confutare nitebatur. Pariter Jacobus Latomus Lovanienſis Theologus, & Lopez Stunica Erasmi versionem impugnabant, Aleusius quoque & Dorpius eandem adjectis notis castigabant, quas tamen Erasmus ita explicabat, ut Aleusius plene acquiesceret. Verbi tamen Divini Præcones, ac Theologi in Sacri Codicis versionem, factasque ab Erasmo in novum Testamentum notas invehi non cessabant, ejusque hostes occulti nullam eum objurgandi occasionem prætermisere. Insuperhabitis tamen hisce

Sæcul. XVI. A. C. 1519.

sce oppositionibus secundam adornavit editionem operis sui, in quo Sacræ Paginæ textum cum novem manu exaratis Codicibus contulit, atque novæ lucubrationis approbationem a Leone X. Papa impetravit. Postea Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo eandem suam versionem tertio prælo edidit, textumque juxta editionem Venetam, versionem vero juxta alios tres manu scriptos Codices recognovit: successu autem temporis plures adhuc aliæ editiones hujus versionis prodierunt, quæ nunquam ab Ecclesia interdictæ censebantur, nec etiam ullo unquam tempore prohibitæ fuerunt.

§. XVII.

Erasmus inter Caroli Austriaci Belgii Principis Consiliarios receptus.

Hucusque Erasmi labor suo caruit præmio; tandem vero Carolus Austriæ Archidux, Hispaniæ Rex, ac supremus Belgii Princeps, qui hoc eodem anno Imperator est salutatus, Erasmum ab arcanis status sui consiliis esse voluit, eique ducentorum florenorum pensionem adjecit, quæ ipsi quoque usque ad annum salutis millesimum quingentesimum vigesimum quintum accurate numerata fuit.

Post

Post hæc Franciscus I. Galliarum Rex bi- Sæcul. XVI.
na vice eum, ut in Francia Sedem figeret, A.C. 1519.
rogari fecit, eundemque promissorum amplitudine sollicitavit tam beneficia quam pensiones offerens: Verum eo proficisci noluit Erasmus absque consensu Principis sui, cujus imperio obnoxius erat, a quo cum abeundi licentiam ægre sperare posset, Consiliarii dignitatem, quæ eum Caroli Austriaci obsequio adstrictum tenebat, dimisit. Porro eidem creditum est regimen Collegii Lovaniensis, quod Franciscus Basleidem Bisuntinus Archiepiscopus condidit, anno millesimo quingentesimo secundo vigesima tertia Julii Toleti fatis functus: Cum igitur in præfato Collegio trium linguarum studium floreret, Erasmus pro lingua Hebraica quemdam Medicum nomine Adrianum, Religione Judæum, pro Græco autem idiomate Agathiam, ac denique pro latino Gerardum Coclenium nominabat.

§. XVIII.

Lutheri epistola ad Erasmum.

Hac ratione Erasmus sibi præter muneris sui dignitatem tantam quoque nominis famam conciliabat, ut Lutherus suam factionem plurimum auctoritate augeri crederet, si tantæ existimationis Virum omni laude dignissimum ad suas partes pertrahere posset. Hinc præprimis Melanch-

Sæc XVI. A.C. 1519. Melanchtonem induxit, ut ipsum datis ad Erasmum literis commendaret; quod ipsum etiam præstitit Melanchton Mense Januario Anni supra millesimum quingentesimi decimi noni: cum autem hæc epistola successu careret, ipse Lutherus sequentem ad Erasmum epistolam dedit.

epist. 4. l. 6. *Salutem tibi, toties ego tecum fabulor, & tu mecum Erasme decus nostrum, & spes nostra, necdum mutuo nos cognoscimus, si tamen ita tibi visum fuerit, agnosce & hunc fraterculum in Christo tui certe & studiosissimum & amantissimum, qui de cetero pro insciția sua nihil meretur, quam ut in angulo sepultus, communi & cælo & soli ignotus esset.*

§. XIX.

Responsum Erasmi ad Lutherum.

l. 6. ep. 4. Huic epistolæ Erasmus humanis admodum verbis respondit, atque huic Hæresiarchæ saluberrima juxta ac prudentissima dedit consilia, dummodo ea sequi voluisset; inter alia eundem hisce verbis admonuit: *Mihi videtur plus profici civili modestia, quam impetu. Sic Christus Orbem in suam ditionem perduxit, magis expedit clamare in eos, qui Pontificum auctoritate abutuntur, quam in ipsos Pontifices. Idem de Regibus faciendum censeo, ubique cavendum, ne quid arroganter, aut factiose loquamur, faciamusque. Interea servandus animus, ne vel ira, vel odio vel gloria corrumpatur;*

patur ; nam hæc in medio pietatis ſtudio ſolet inſidiari, denique Lutherum hortatur, ut Chriſtum prædicet, atque ejusdem cognitionem populo ingerat, cultumque atque adorationem ipſi debitam cunctis inculcet, non autem illis ævi ſui Prædicatoribus ſe conformet, qui aut ex ignorantia, aut ex præconceptis opinionibus (*), *vel hominum fabulas vel ſuum quæſtum prædicant.* Sæcul. XVI. A.C.1519.

§. XX.

(*) Hæc Continuator ex ſuo ſupplevit, cum tamen Eraſmus hæc tantum dixerit: *Deguſtavi commentarios tuos in Pſalmos ; vehementer arrident & ſpero magnam utilitatem allaturos. Eſt Antwerpiæ vir pure Chriſtianus, qui te unice adamat tuus olim diſcipulus. Is omnium pene ſolus Chriſtum prædicat, ceteri fere aut hominum fabulas, aut ſuum quæſtum prædicant.* Quid de fidei integritate in ejusmodi viro cenſendum, qui publici cujusdam damnati hæretici libros & doctrinam deprædicat, atque ad ulterius ſpargendum virus incitat? quid de eo, qui ejusmodi actionem ac epiſtolam velut *ſumme Chriſtianam* venditat? Immodica, qua Continuator hallucinantem etiam Eraſmum commendat, encomia eum jam dudum viris prudentibus valde ſuſpectum reddiderunt.

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. XX.

Apologia Erasmi contra turbas ex hac Epistola suscitatas.

Quamvis Epistola adeo Christiana ingentem Erasmo laudem conciliare debuisset, ex adverso tamen eadem plurium Doctorum invidiam suo Auctori comparabat, nam hi accusabant eum, quod cum Luthero conspiraret, junctisque cum eo viribus Ecclesiam invaderet. *Prodiit*, queritur Erasmus in epistola ad Cardinalem Campegium, *nescio quibus avibus, opus Martini Lutheri, auctor mihi tam ignotus est, quam qui omnium ignotissimus, librum nondum perlegi, & tamen initio meum esse dictitabant. Si favi Lutheri, bonis illius favi, quæ in illo vel videbam, vel esse credebam, imo non illi favi, sed gloriæ Christi, & tamen in eodem videbam, quæ mihi nonnullam sollicitudinem ac suspicionem incuterent. Et qua fronte*, subjungit Erasmus, *ego primum ignotus, deinde nulla præditus auctoritate, dein nimis quam tenuiter doctus sumpsissem in Lutherum supercilium censorium, aut quæ spes fuisset illum laturum me, aut qui fructus expectari poterant, nisi ut hominis stylum in me acuerem objurgando. Nec eram ignarus, quanto plus soleamus proficere civili blandaque admonitione, quam objurgatione sæva, hinc admo-*

Epist. l. 12. ep. 1. l. 14. ep. 1.

admonui eum, ut ad exemplum Christi & Apostolorum cum omni mansuetudine doceret ea, quæ ad veram pietatem attinent. Utinam, scribit idem ad Petrum Barbirium, *tam immunis essem ab omnibus vitiis, quam sum ab hoc Lutheri negotio alienus, non dubitarem vel citra confessionem emori.* Sæcul. XVI. A C. 1519. *L. 1, ep. 2.*

§. XXI.

Epistola Saxoniæ Electoris Erasmum ad Lutheri Sectam sollicitantis.

Quantumvis Erasmus ejusmodi verbis atque obtestationibus se a Lutheri hæresi alienum tam aperte professus sit, nihilominus plurium studia eo erant intenta, ut hunc virum ad suas partes pertraherent; hos inter præcipuus erat Saxoniæ Elector, qui datis ad eum literis, quid de Lutheri doctrina sentiret, sollicite explorabat, eumque efflictim, ut mentem hac super re aperiret, rogabat, atque eodem tempore Erasmo significabat, quod ipsi gratissimum foret, si non modo hunc Novatorem, ejusque doctrinam commendaret, sed etiam sua ei studia addiceret. Attamen Erasmus utpote vir prudentissimus, cum opiniones, quas maturo nondum examine discussisset, amplecti nollet, atque aliunde doctrinæ & unionis Ecclesiæ studiosissimus esset, hæc duntaxat Electori rescripsit:

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

„ Media equidem, quibus, ut fertur, „ Catholici Luthero invidiam creare nituntur, haud approbo, cetera tamen, „ cum hic vir mihi sit incognitus, ejus „ scripta nec laudare nec vituperare valeo; non enim ea hucusque perlegi; „ mea tamen opinio est, minime consultum esse, quod tanta vi in eum insurgatur, præcipue, postquam se illorum, „ quibus rem decidere competit, judicio „ submisit, præterea nullus hucusque eidem veritatem perspicue demonstravit, „ ac nonnulli potius hujus viri exitium, „ quam salutem quærere videntur, cum „ tamen non omnis error possit hæresis „ appellari, quippe in veterum, & recentiorum Scriptorum libris errores „ reperiuntur; non raro enim circa quasdam opiniones diversi diversa sentiebant, denique magis expedit viam „ lenitatis quam severitatis adhibere, „ ex ipsa etiam Leonis X. summi Pontificis sententia, de cetero, si Lutherus „ innocens esse comprobatur, tuarum „ partium est, Princeps sereniſſime, illum etiam contra ejus adversarios tueri. „

§. XXII.

Alia Epistola Erasmi ad Lutherum.

L. 6. ep. 4. Hoc item anno Erasmus epistolam ad Lutherum perscripsit hanc in sen-

ten-

tentiam: *Nullo sermone consequi possum, quas tragœdias hic Lovanii excitarint tui libelli: ne adhuc quidem ex animis istorum revelli potest falsissima suspicio, tuas lucubrationes meis auxiliis esse scriptas: tantum te admonitum volo, quod immanes feræ mansuescant officiis, mihique videtur plus proficiat civili modestia quam impetu.* Nihilominus tamen videtur: „ Quod Erasmus „ Lutheri calamum timuerit; cum enim „ effictim rogaretur, ut ejusdem erro- „ res scripto refelleret, in quadam epi- „ stola hæc respondit: non mea interest „ litem ab aliis excitatam sopire, potius „ illi, qui hanc telam exorsi sunt, ean- „ dem etiam finire studeant, nec ulla „ etiam occurrit ratio, ob quam mihi „ præ ceteris illius errores confutare „ magis incumbat, cum potius illi, qui „ primi eundem in suis sermonibus la- „ cessiverunt, adversus eum calamos „ suos acuant. Insuper indignum mihi „ videtur, quod contra virum jam con- „ demnatum, necnon contra libros pub- „ lice combustos scribam, nec etiam ex- „ pedit, ut magis magisque concitetur „ mordax illa lingua, quæ unice inten- „ ta est, ut dicteria in suos adversarios „ evomat, minus etiam consultum est „ virum, qui plurium Germaniæ Princi- „ pum præsidio suffultus est exacerbare, „ nec abs ratione fors mihi objectari pos- „ set,

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

„ set, quod de Leone jam occiso ac pro-
„ strato triumphum reportare voluerim;
„ denique Lutheri scripta confutari ne-
„ queunt, ni saltem una vel altera vice fue-
„ rint relecta; id vero temporis angustiæ
„ mihi haud permittunt, cum ægre pro-
„ prios meos ingenii partus secundis cu-
„ ris elaborandi spatium supersit. „

Ceterum Erasmus, quamvis adeo indulgenter cum Luthero egerit, nihilominus illius errores, furoremque detestabatur, quamprimum de insana illius rabie certior factus fuerat.

§. XXIII.

Quidam Religiosi Lutherum confutant, ejus apologia.

Non eadem moderatione, qua Erasmus, quidam Religiosi ex Ordine FF. Minorum erga Lutherum utebantur; cum enim Ecclesiæ fidem ab eo impugnari cernerent, vehementiori stylo illum insectabantur, atque editis libellis præcipue hunc hæreticum accusabant in eo, quod Ecclesiam universalem in generalibus Conciliis repræsentari negasset, simulque docuisset, quod nec Papa Christi Vicarius, nec D. Petrus Apostolorum Princeps esset. Eidem etiam exprobrabant, quod tradidisset, Canones nonnisi ad satiandam summorum Pontificum, ac cete-

ceterorum Antistitum avaritiam fuisse conditos, nec ulla dari consilia Evangelica, cunctaque in Evangelio contenta esse præcepta. Præterea Lutherum arguebant, quod nec confessionem de jure divino requiri, nec liberum arbitrium dari, nec bona opera esse necessaria affirmasset, ac tradidisset, quod Deus impossibilia hominibus præceperit, & potius rudi agricolæ, qui sacras literas allegat, credendum sit, quam Pontifici & Conciliis, quæ in sacræ Paginæ testimonio non fundantur: denique Lutherus accusabatur, asseruisse, quod Christus nil pro se, sed duntaxat pro nobis meruerit, ac Bohemi hæretici meliores sint Christianis. Ad hæc Lutherus respondit: I. Deus homini quædam præcepit, quæ abs gratia adimpleri nequeunt. II. Nunquam consilia idem esse ac præcepta affirmavi. III. Fateor, quod Canones & Decretales in quibusdam locis superbiam & suorum Authorum avaritiam prodant. IV. Nec diffiteor, quod homo non sit liber, quia absque gratia nil nisi malum operari potest. V. Affirmo, quod Laicus sacri Codicis auctoritate suffultus majorem fidem mereatur, quam Papa, Concilia, imo & ipsa Ecclesia, prout Canonum Doctores post D. Augustinum tradunt. VI. Verum est, quod nec S. Petrus, nec Papa sit superior Apostolis & Episcopis de

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

Sæcul. XVI A.C. 1519

jure divino, quia juxta S. Hieronymum Sacerdotes in prima eorum institutione ab Episcopis non distinquuntur.

§. XXIV.

Disputatio Lipsiensis Eckium inter & Lutherum ac Carolstadium.

Cochl. de act. Luth. ann. 1519 Act. Disp. Lips apud Luth. tom. 1. Ep. Phil. Melanct. ep. Eck. ib. ad Oecolamp. Melancht. lib test. præf. ad Frid. Myron.

Sleidan. in comm. l. 1. p. 35.

Cum Carolstadius Doctor, ac Wirtembergensis Archidiaconus facili negotio sese ad Lutheri partes pertrahi pateretur, is eundem quoque frequenter defendendum suscepit, præcipue ubi hic hæresiarcha theses quasdam publicavit adversus Eckium, qui ejus doctrinam acerrime impugnabat. Postquam ergo propositiones discutiebantur, Carolstadius ad publicam admitti petiit disputationem, in qua doctrinæ capita Eckium inter & Lutherum controversa examinarentur. Eckius, cum ipsus ejusmodi colloquium percuperet, haud invitus annuit, quocirca Lipsiensis urbs, publici certaminis locus designatur. Equidem Merseburgensis Diœceseis Episcopus, nec non Lipsienses Theologi hujus disputationis exitum Carolstadio funestum verebantur, unde nil intentatum relinquebant, ut hanc disceptationem in præfata urbe haberi præpedirent. Attamen Georgius Saxoniæ Princeps, Electoris Friderici Patruus, cui ea urbs tum parebat,

rebat, ibi petitum colloquium fieri jussit. Id & effectui datum. Sæcul. XVI. A.C. 1519.

Lutherus ultro sese huic certamini immiscuit, idque fors ab eo ideo factum, quod Carolstadium Eckio, quem in disputando acerrimum noverat, longe imparem crederet, ac de ejus scientia diffideret, aut forte ipsemet honoris proprii cupiditate accensus in publicum prodire gestiret. Utut res se habuerit, id certum est, quod Gregorius Saxonicus, cum virorum adeo fama celebrium disceptationes percipere gauderet, castrum suum velut prælii campum obtulerit, omnesque sumptus suppeditare spoponderit. Ergo utrinque designantur Secretarii, ac dies vigesima septima Junii præfigitur; comparent Lutherus, Carolstadius, & Melanchton cum quibusdam Theologis Wittembergensibus, adducunt secum libros ad disceptationis argumenta necessarios. Eckius quoque Ingolstadio profectus, præstituta die Lipsiam venit, ubi omnes hi Doctores a Principe, Senatu, atque Universitate perbenigne excipiebantur.

Sæcul. XVI. A C. 1519.

§. XXV.

Primum Lipsiense colloquium inter Eckium & Carolstadium.

Pallavicin. hist. Concil. Trid. lib. 1. c. 15. Cochlæus de act. Luth. ann. 1519.

Priusquam disputationi daretur initium, utrinque conventum est, nullatenus ab Ecclesiæ Catholicæ doctrina recedendum, cum eidem inviolata fide adhærere omnino deliberatum haberetur. Facta hac declaratione die decima quarta Junii prima instituebatur consultatio, quam quinque aliæ excipiebant. Agitabatur præprimis quæstio de libero arbitrio, quod, ut Echius adversus Carolstadium vindicaret, sacras paginas allegabat, ac præcipue caput XV. Ecclesiastici v. 14. & seq. ubi habetur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui ..... apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam.* Ad hunc sacri Codicis locum respondit Carolstadius, quod intelligendus esset de homine in statu innocentiæ, non vero in statu naturæ lapsæ; mox tamen reposuit Eckius, utrumque hominis statum hoc textu comprehendi, post peccatum equidem liberum arbitrium fuisse *debilitatum*, non tamen penitus *amissum*, uti Carolstadius in suis Scriptis perperam asseruisset, propugnans, quod *liberum arbitrium ad bona opera*

ra mere passive se haberet. Postea examini datum, utrum voluntas per gratiam excitata, ex seipsa huic motioni consentiat; id negabat Carolstadius, ex D. Pauli testimonio inferens, quod Deus operetur in nobis & velle, & agere (*). Sæcul. XVI. A. C. 1519.

Nec

(*) Ad hæc Eckio linguam & aquam hæsisse, haud arbitreris, amice Lector, hinc quæ Continuator suppressit, ex Pallavicino hist. Trid. lib. 1. c 15. percipe: *Protulit*, narrat ille, *rationes suas adversus Eckium: sed hæ nonnisi in aliquibus Scripturæ, & Patrum assertis nitebantur, quibus affirmatur: Non esse me, qui honeste operor, sed gratiam Dei mecum; absque divino adjutorio nos nihil posse; totum opus honestum, Dei esse. Prima retorsit Eckius, argumentatus, si gratia mecum operatur, ergo non ipsa sola operatur: si a Deo adjuvor, ergo simul operor pro mea parte; quicunque enim adjuvatur, oportet aliquid de suo conferat. Postremis respondit: Quamquam totum opus Dei sit, non tamen, uti dicunt,* totaliter *a Deo esse, sicut totum pomum efficitur a sole, sed non a sole* totaliter *& sine plantæ efficientia.* Hæc respondit Eckius Carolstadio in præsenti disputatione, *in qua*, inquit Ulemburgius cap. 4. *Eckius tandem adversarium suum eo adduxit, atque adegit, ut contra, quam in Thesibus asseruerat, libero arbitrio per Dei gratiam excitato partes suas in operibus bonis exequendis concederet.*

Sæcul XVI. A C. 1519.

Nec alia in primo hoc colloquio agitata; postera vero die ambo Pugiles ad idem, quod exorsi erant argumentum revertebantur, præcipue hanc quæstionem examinantes: *An sola gratia sit effectiva boni operis caussa.* Affirmabat Eckius, quod voluntas solis naturæ viribus ex seipsa bonum operari haud posset, sed gratia vires suppeditaret; quærenti autem Carolstadio, an omne bonum, quod est in nobis, a Deo provenire crederet, reposuit Eckius, quod equidem a Deo proveniret, non autem ex toto, cum ipsa quoque voluntas bono assentiretur, ac cooperaretur, primo, inquit, movet Deus, ipsamque excitat voluntatem; in libero autem ejusdem voluntatis arbitrio positum est, divinæ huic motioni consentire, vel dissentire. Cui Carolstadius præfatum S. Pauli testimonium, ac nonnulla S. Augustini loca opposuit: semper tamen Eckius, utpote suo adversario doctrina longe superior triumphum reportabat, adeo, ut Carolstadius die quarta Julii e certaminis loco excedens haud amplius compareret. Interea vero Lutherus festo die SS. Petri & Pauli in arcis Sacello sermonem habuit, ubi livori suo tantum imperare haud poterat, quin adversus summi Pontificis auctoritatem declamaret: eundem tamen Eckius mox con-

Melancht. in epist. ad Oecolamp.

confutabat, oratione die secunda Julii ad populum habita. Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. XXVI.

Disputatio Eckii cum Luthero.

Quarta ejusdem mensis die rursum in in arenam descenditur, Luthero Carolstadii vices agente (*). Priusquam vero disputationi initium daretur, Eckius judices, qui de eorum controversiis deciderent, assignari postulabat; Lutherus nonnisi certamini præsentes seligebat, Eckius vero, cum in tanti momenti quæstionibus illos, qui promiscue concurrunt, certo judicio ferendo impares probe cognosceret, petiit, ut nonnullis (excepta tamen Wittembergensi) universitatibus judicium relinqueretur, atque inter eas præcipue nominabat Erfordiensem ac Parisinam. Lubens annuit Lutherus, vana spe delusus, has Scholas erroribus ejus haud fore contrarias, eoquod apud eas in literis educatus esset, atque ambas opinioni, quæ Synodorum auctoritatem Pon-

Pallavic. hist. lib. 1. c. 16. In 1. tom. oper. Luth.

(*) *Ex actis disputationis eo tempore vulgatis ab amicis Lutheri, in cujus operibus inserta sunt, Cochlæus hanc in rem ait:* Diu reluctabatur Lutherus, se certis submittere judicibus, magis enim appetebat judicium vulgi, & multitudinis confusæ, quam Doctorum.

Secul. XVI. A. C. 1591.

Pontifice ſuperiorem adſtruit, favere noſſet (*). Rebus ergo ita provide utrinque diſpoſitis, inchoatur diſputatio, in qua præprimis agebatur de Lutheri propoſitionibus ad tredecim contractis, quæ materias de pœnitentia, purgatorio, libero arbitrio, indulgentiis, ac denique de Primatu Pontificis ſpectabant. His Eckius totidem alias doctrinæ Eccleſiæ conſonas opponebat, inter quas poſtrema ante ceteras diſcutienda aſſumebatur, quæ primatum, ac ſupremam ſummi Pontificis auctoritatem concernebat. Priusquam vero Lutherus diſputationis periculum faceret, aſſeruit, quod hanc difficultatem declinare conſultius foret, partim cum hæc quæſtio invidioſa, partim vero ad ſalutem, ac fidelium ſanctitatem haud neceſſaria ſit; ſi tamen hujus quæſtionis dilucidatio ſuis adverſariis utilis videretur, etiam ſe optaturum ajebat, ut cuncti præſentes adeſſent.

§. XXVII.

(*) *Ergone hæreſiarcha cauſſam eviciſſe, atque Eccleſiam expugnaſſe arbitrabatur, ſi Papam Synodi auctoritati ſubjiceret, atque hujus opinionis Patronos haberet Pariſienſem, atque Erfordienſem Scholam? adeo egregie Baſileenſes Hæreticis per ſua decreta præluſerunt.*

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. XXVII.

Disceptatio Eckii cum Luthero circa Primatum Pontificis.

Ad hæc non immerito reposuit Eckius, errasti ergo Luthere, dum prior hanc quæstionem resuscitasti, atque in Thesibus tuis Sedis Apostolicæ primatum ad Sylvestri Papæ tempora revocasti, necnon in nupera tua cum Cardinale Cajetano disputatione viva voce asseruisti, quod Pelagius Papa sacri Codicis textus gehennæ pœnis excruciasset, ut illos ad Monarchicæ auctoritatis sensum detorqueret. Id utrumque fatebatur Lutherus, hæc tamen subjunxit: cum adversus Indulgentias declamabam, Tetzelius mihi exprobrabat, quod Sedis Apostolicæ auctoritatem evertere fuerim molitus, hac quidem criminatione ad publicandam meam thesin adactus fui, præcipue cum contra perversum sensum, quem Cajetanus circa Pelagii fidem sacris paginis affingebat, haud alia via me defendere potuerim, quam ut sacri Codicis textum a Papa fuisse adulteratum affirmarem. Acrius autem instabat Eckius, Lutherum vehementer urgens, ut disertis verbis, quid de Pontificis auctoritate sentiret, exponeret. Respondit Lutherus,

Secul. XVI. A.C. 1519.

therus, profiteri se militantis Ecclesiæ Monarchiam, atque illius quoddam existere caput, illud vero non esse hominem, sed ipsum Christum Dominum, quod ipsum ex D. Apostolo Paulo cap. 4. ad Ephesios, atque epistola prima ad Corinthios cap. 3. comprobare conatus est. Cum autem Eckius Luthero S. Cypriani ac D. Hieronymi auctoritatem objiceret, reposuit ille, quod fortius testimonium infirmiori prævaleat, nec sanctus Hieronymus D. Paulo præferendus sit, idem quoque respondit ad S. Bernardi textum, qui ad comprobandam Episcoporum subordinationem proferebatur (*).

In tertio colloquio quinta Julii habito Echius hæc allegabat verba Christi Domini ad S. Petrum dicentis: *Tu es Petrus,*

(*) Quomodo hæc conciliari valent cum dictis Ulemburgii, qui asserit cep. 4. *Lutherus Ecclesiæ Romanæ primatum asserebat non divino, sed humano jure tacita populorum consensione inductum: Echius vero eundem Primatum ad* JUS DIVINUM, *&* IPSIUS CHRISTI ORDINATIONEM referebat. Addere debuisset Continuator ex Cochlæo, quod Lutherus *ira victus, proruperit in apertam confessionem secreti sui pessimi, ac dixisse: Non propter Deum hæc res cœpta est, neque propter Deum finietur.*

trus, & ſuper hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. cap. 16. *v.* 18. Atque his verbis ſancti Petri Primatum ſtabiliri docebat, adducta etiam ſanctorum Patrum interpretatione, qui eadem verba de Petri perſona intelligenda tradiderunt. Reſpondit Lutherus, nomine *Petræ* intelligendam eſſe vel *poteſtatem*, vel *fidem*. In primo illius ſenſu, inquit Lutherus, fruſtra Chriſtus Dominus poſtea v. 19. addidiſſet: *Tibi dabo claves Regni cœlorum*. Et aliunde cum Filius Dei generatim dixerit: „ Quod ſuper „ hanc Petram Eccleſiam ſuam ſit ædi„ ficaturus, non vero ſolam Eccleſiam „ Romanam, omnibus Eccleſiis eadem „ communis erit poteſtas: ſi vero, ſub„ junxit idem, intelligatur de fide, ut „ omnino intelligi debet, æque etiam „ omnibus Eccleſiis communis eſt. „ Hæc diſputatio totum illius diei tempus pomeridianum tenuit, atque altera die ſexta Julii horis tam matutinis, quam veſpertinis de eodem rurſus argumento diſceptatum, eademque quæſtio de Pontificis primatu die ſeptima ejusdem menſis denuo in contentionem revocata fuit. Luthero pertinaciter affirmante, quod Pontificis Primatus ſolum ex humano jure, non item divino deſcendat, ac Papa a ceteris Epiſcopis duntaxat ex inſtitutione mere humana diſtinquatur; *& ſi*

Sæcul. XVI. A. C. 1519.

Sæcul. XVI. A.C. 1519

Augustinus etiam, asseruit Lutherus, *omnesque Patres per Petram in textu allegato intellexerint Petrum, ego iis solus obsistam cum auctoritate Apostoli* D. Pauli, & etiam S. Petri, qui dicunt, quod solus Christus Dominus sit fundamentum, atque angularis Ecclesiæ lapis.

Cochlæus de act & script. Lutheri an. 1519. p. 16.

Verum Eckius hanc opinionem inter Wiclefi & Joannis Huffi errores a Concilio generali Constantiensi fuisse damnatam Luthero oppositit, hujusque Synodi verba in medium protulit, immerito a Luthero impetrari posse confisus, quod, qui adeo petulanter sanctos Patres spernebat, saltem majorem reverentiam Oecumenicis Conciliis, utpote universalem Ecclesiam repræsentantibus delaturus esset; enimvero Lutherus ad tam venerandam auctoritatem haud magis submissum ostendens animum, hæc reposuit: *Non omnia Joannis Hussi effata indiscriminatim hæresis fuerunt damnata*, illa vero opinio,

„ quam Hussus ennunciavit, sive demum
„ ipsius, sive alterius Auctoris esset,
„ nullatenus hæretica est censenda; con-
„ stat enim, in potissimis Provinciis Ro-
„ mano imperio subjectis dari Ecclesias,
„ quæ viginti omnino annis ante Roma-
„ næ Ecclesiæ erectionem conditæ fue-
„ runt; ceterum ego nunquam probavi
„ Bohemorum schisma, eorum tamen

„ con-

„ condemnationi nondum evolutis centum annis factæ possum opponere traditionem, usumque Ecclesiæ Græcæ, „ quæ per mille quadringentos annos „ summam in Pontifice eminentiam non „ credidit (*); nihilominus ob reverentiam erga Constantiense Concilium credo, quod articulus allegatus aliique „ similes ab hoc Concilio forte non fuerint damnati, sed potius illius actis a „ quodam impostore intrusi, his addidit: „ Summus Pontifex, & Concilia nonnisi homines sunt, probandi ergo sunt, „ non vero ab illa S. Pauli Apostoli regula eximendi: „ *Omnia probate, quod bonum est tenete. Thessalon.* 1. *c.* 5. *v.* 21. Tam injuriosa Lutheri convitia Princeps Georgius ultra ferendo impar, Ecclesiam ac Concilia tam indigno modo haberi, verbisque adeo contumeliosis Patrum Sanctitatem offendi prohibuit. Verum Lutherum, quem a conviciandi libertate nec Patrum nec Conciliorum reverentia cohibuit, minus Principis mandato obtemperandi sollicitudo anxium reddidit; quinimo in colloquio septima Julii habito

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

(*) Hoc exemplo Lutherus proprii oris testimonio docuit, quod sicut ea ex ratione Græcorum Ecclesia est schismatica, ita etiam sua quoque reformatio nil nisi schismaticorum factio fuerit.

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

bito in hæc verba palam prorupit, nihili habeo Constantiense Concilium, pace mea Eckius probet, quantum velit, Concilia errare non posse, non errasse, nec errare, teneo tamen, quod hæresis damnari non possint ea, quæ juri divino adversantur; Concilium enim de se non est juris divini, unde nec jus divinum inducere valet.

§. XXVIII.

Eckii colloquium cum Luthero de Purgatorio.

Cochlæus l. c. anno 1519.

In septimo colloquio Eckius quæstionem de Purgatorio movens, ex SS. Hieronymi & Augustini testimoniis demonstrabat, post mortem nullum merendi locum esse. Ad hæc Lutherus dixit: *Credo firmiter, imo ausim dicere, scio, purgatorium esse, unde facile persuadeor, in scripturis de eo fieri mentionem.* Fatetur etiam, hanc veritatem in libris Dialogorum, qui S. Gregorio adscribuntur, ex S. Matthæi verbis comprobatam esse, dari nimirum peccata, quæ nec *in hoc, nec in futuro sæculo remittuntur;* unde inferendum, quædam esse peccata, quæ post mortem remittuntur, id vero non alibi quam in Purgatorio fieri posse. His subjunxit, se cuncta in libris Machabæorum contenta velut canonica venerari; mox vero *contradictionis spiritu*, qui omnes passim

paſſim hæreticos animat, agitatus ingeſſit, quod allata Ekii argumenta non convincant, cum primum facile eludi poſſit; eoquod Machabæorum libri, quibus ſecunda ratio innititur, olim Canonicis Scripturis non fuerint annumerati. Repoſuit Eckius, illos vero nunc tanquam Canonicos eſſe receptos, atque ad comprobandam fidei veritatem idoneos. Poſtea retulit Concilii Florentini teſtimonium, necnon ex S. Auguſtino demonſtravit, animas in purgantibus flammis nil amplius mereri, ſimulque Luthero oſtendit, easdem de ſua ſalute certas eſſe. Ea contentio usque ad matutinum tempus diei undecimæ Julii perduravit, ac Luthero perſæpe eandem cramben recoquente, nihil deciſum eſt. Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. XXIX.

Diſputatio de Indulgentiis.

Eadem die undecima Julii horis meridianis agitabatur quæſtio de indulgentiis, ubi Lutherus omnem hasce gratias concedendi poteſtatem Eccleſiæ abnuere non audebat: earum vero utilitatem Eckius demonſtrabat ex Viennenſi, Lateranenſi, & Conſtantienſi Conciliis, necnon ex facto S. Gregorii, qui plusquam nongentis abhinc annis indulgentias conceſſerat, hancque veritatem inſuper

Secul. XVI A. C. 1519.

super comprobabat ex unanimi Ecclesiæ universalis consensu, ac communi omnium Christi fidelium usu, qui jubilæi gratiam recipiendo indulgentiarum vim agnoscunt. Ad hæc Lutherus Echii moderationem commendans, dixit, fateor, quod merito a Constantiensi Synodo indulgentiarum abusus, & contemptus fuerint damnati, ego autem nullatenus eas contemno, nec unquam propterea tumultus in Ecclesia fuissent suscitati, si semper hoc moderamen fuisset adhibitum; nec etiam vel unquam indulgentiarum utilitatem negavi, credo tamen, quod fervidis fidelibus, qui opera *satisfactoria* explere non detrectant, inutiles sint, nec firmo satis argumento a S. Gregorio ejusmodi indulgentias fuisse concessas comprobetur, imo etsi verum id esset, inde tamen haud sequitur, quod per eas Christiani a piis operibus, eleemosyna, oratione, ac jejuniis eximantur. His reposuit Eckius; re ipsa quidem opera, ut vocant, satisfactoria compensantur, nullatenus tamen propterea pietatis studia negligi oportet: de cetero falsum est, quod satisfactio duntaxat per virtutum exercitia fiat, sed etiam suffragia requiruntur, quinimo plurium etiam Doctorum sententia eo abiit, ut contenderent, pœnitentem ad acceptandam satisfactionem adstringi non posse, si ad purgatorii pœnas

pœnas ultro sese offerret; his subjunxit, Pontifices ea tantum remittunt, quæ spectato pœnitentiæ rigore injungi deberent, si vero indulgentias elargiuntur, tunc pœnitentibus subministrant, unde ex alterius bonis satisfacere queant, sicque eorum noxæ nequaquam impunitæ permanent, quia hi ex *superabundantia* meritorum Christi satisfaciunt. Equidem Lutherus plures ex hisce Eckii propositionibus solido responso confutare, ac quidquam contra eas opponere potuisset, qualis fuit ea, qua Eckius asseruit, quosdam Theologos docuisse, quod pœnitentes, qui ad subeundas purgatorii pœnas sese offerrent, ad legitimam satisfactionem adstringi non possent; nam huic objicere potuisset, quod piacularis flammæ purgatio eis duntaxat conveniret, qui, ut noxas suas satisfactionibus earum gravitati congruis eluerent, in hac vita, quidquid poterant, fecerunt, nihilominus quasdam adhuc (*) *maculas* residuas habent, quas nondum ante mortem suam pœnitentia deleverunt (**); Saecul. XVI. A.C. 1519.

(*) In Gallica editione habetur: *imperfectiones.*

(**) Forte Theologi hanc descriptionem, velut imperfectam notabunt, docentes, purgatorii pœnas pro iis etiam esse, qui culpis jam remissis cum reatu pœnæ decedunt.

Sæcul. XVI. A. C. 1519.

aſt Lutherus adhæc adeo non, ut Theologum decuiſſet, reſpondit, ut potius non niſi in injurias, ac convitia effuſus, eos, qui indulgentiarum theſauro abutuntur, tota rabie infectaretur; perinde ac ſi Eccleſia ejusmodi abuſus approbaret, quæ tamen nonniſi pœnitentiæ ſtudium inculcat, ac omni cura filios ſuos hortatur, ut divinæ juſtitiæ ſerio conatu ſatisfacientes, Dei miſericordiam ſibi concilient.

§. XXX.

Diſputatio de Pœnitentia.

In colloquio die duodecima Julii inſtituto agitabatur quæſtio de pœnitentia. Docebat Ekius, Pœnitentiam a metu pœnæ initium ducere, idque quamplurimis ſacri Codicis, ſanctorumque Patrum teſtimoniis comprobare nitebatur, nullatenus tamen negabat, pœnitentiam, quæ ab amore juſtitiæ incipit, multo perfectiorem eſſe, a noſtra tamen infirmitate oriri, quod timore, veluti gradu ad juſtitiæ amorem conducente utamur. Lutherus cuncta hæc teſtimonia in ſuam contorquebat ſententiam, qua non aliam dari pœnitentiam contendebat, niſi illam, quæ a charitate inciperet, quippe *opera quæcunque ante charitatem peccata & damnabilia* eſſe affirmabat. Hanc in rem Staupitii

pitii Vicarii sui generalis auctoritatem, addito etiam Aristotelis textu allegabat, (*) ast Eckius utrumque merito rejecit. Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. XXXI.

Disputatio Eckium inter & Carolstadium de bonis operibus.

Postera die agitabatur quæstio, an per absolutionem pœna ac culpa remittantur; demonstrabat Eckius, pœnam temporalem per illam non remitti; fatebatur quoque Lutherus, quod noxæ, quantumvis condonatæ essent, subjacerent pœnis, quascunque imponere Deus vellet, negabat tamen pœnas divinæ justitiæ debitas virtute clavium remitti. Eadem lis in colloquio die decima quarta Julii celebrato restaurata est; tandem vero Lutherus cum Eckio ulterioris certaminis discrimen experiri cessabat.

Rursum vero Carolstadius die decima quinta Julii in arenam progredi audebat; præcipuum ibi litis punctum spectabat argumentum de libero arbitrio, piisque actionibus, de quibus quærebatur, *utrum justus in omni opere bono peccet?* Ekius hanc propositionem omnino a veritate alienam esse asserebat, idque nullo negotio demonstrabat. „ Si enim, inquiebat, vera esset

(*) En! quam infirma allegat testimonia ille, qui suam doctrinam nonnisi sacræ Paginæ auctoritatibus inniti jactitabat.

Secul. XVI. A.C. 1519

Ulemb. c. 5. Cochl. ann. 1519. Surius in comment. Raynald. an. 1519. n. 38 Pallavic hist. Conc. Trid. l. 1. cap. 17.

„ hæc propositio, tunc sacras paginas „ penitus supprimere oporteret; ubi„ que enim hæ bonum operantibus mer„ cedem pollicentur, illud igitur una„ cum Dei gratia perfici posse supponunt, „ ac passim etiam adhortantur, suadent, „ atque etiam minantur, & denunciant „ supplicia, non alio ex fine, quam ut „ justum in virtutis studio confirment, „ & peccatorem ad deserendam iniqui„ tatis semitam excitent; non ergo fa„ cer Codex eum, qui improbus est, cum „ homine virtutis studioso pari ratione „ reputat, proin non omnia justi opera „ peccata sunt. „ Ad hæc Carolstadio lingua & aqua hærebat, nihilque promptum erat, neque quod ageret, neque quod solidi responderet.

His denique absolvebantur colloquia illa ubique nominatissima, ipsaque acta Lipsiensia haud dissimulanter fatentur, quod Eckius fatente ipso Luthero victoriam reportasset, sive quod eruditionis præstantia, sive argumentorum robore ac vigore adversariis suis longe superior esset. Id quoque exploratum est, quod Georgius Saxoniæ Dux, absoluta hac disputatione, firmius quam unquam in orthodoxa fide perstiterit, atque in majorum suorum Religione immota constantia perseveraverit, cum tamen antea, quid crederet, incertus fluctuaret.

Luthe-

Lutherus de hac Lipſienſi diſputatione libellos divulgavit, atque inter alios opus edidit, cui titulus: *Reſolutio propoſitionum Lipſiæ diſputatarum*, quamvis utrinque cautum eſſet, ne quid de illa diſputatione juris publici fieret, antequam Pariſienſis, Erfordienſis, ac Lipſienſis Scholæ, ad quarum arbitrium controverſiæ deciſio referebatur, decretoriam tuliſſent ſententiam. Nihilominus in hoc libello Lutherus ſubdole ea omnia, quæ in ejus ignominiam cedebant, ſuppreſſit, cunctasque propoſitiones ultro citroque agitatas repetens, eas omnes explicavit, atque in ſenſum erroribus ſuis faventem contorſit. Secul. XVI. A. C. 1519.

Hoc opuſculum Lutherus ad Spalatinum, quem Fridericus Saxoniæ Elector a ſecretis habuit, transmiſit, in hæc prorumpens verba: *Hiſtoriam famoſæ diſputationis, quam Lipſiæ habuimus, optime Spalatine, cupis noſſe; fuit illa perditio temporis, non inquiſitio veritatis. Et quantum in Eckio fuit, nullum fere ſcopum tetigit, aut ſi tetigit, non niſi notiſſimis, & vulgo proculcatis argumentis certavit:* Melanchton de hujus diſputationis ſucceſſu cum majori quidem ſinceritate, ac moderatione quam Lutherus, ad Oecolampadium perſcripſit, terminis tamen uſus eſt, qui in Magiſtri ſui laudem plus æquo

Sæcul. XVI A.C. 1519.

quo cedebant, hac autem epistola intenderat, ut Eckium ad respondendum hisce literis provocaret, illumque induceret, ut datis ad Hochstratum literis Lutheri errores, quos de Primatu Pontificis, indulgentiis ac de Purgatorio exposuisset, eidem significaret; hanc in rem disputationis apographum illi transmisit, supplicans, quatenus data epistola Parisiensem Universitatem moneret, ut quamprimum a Principe Georgio disputationis acta recepisset, sententiam in hoc negotio ferre non cunctaretur. Interea cum rumor spargeretur, Lutherum in hisce Colloquiis Bohemorum partes sustinuisse, Hieronymus Emser hac super re ad Joannem Zachium Pragensis Ecclesiæ administratorem epistolam dedit, significans, quod Lutherus adeo non Bohemorum doctrinam approbasset, ut etiam palam illam condemnaret; hanc epistolam mox excepit Lutheri responsum, cui titulus: *Capricornus Emseri;* hoc enim insigne pro armis a majoribus suis habebat Emserus: erat autem hoc scriptum tot convitiis exuberans, totque calumniis acerbum, ut inter ambos ad contentionem ventum, ac libellis ultro citroque editis certatum esset (*).

Cochl. in act. & script. Luth. anno 1519. p. 17.

Luth. in Ep. II. ad Leon. X.

§. XXXII.

(*) *Qualiter autem Emserus Lutherum de falsitate con-*

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. XXXII.

Lutherus a Colonienſi, & Lovanienſi Univerſitatibus damnatus.

Interea totius Orbis expectationem ſuſpenſam habebat ſententia, quam Univerſitates, quarum judicium utrinque imploratum, tandem pronunciarent. Aſt Schola Pariſienſis non niſi poſt biennium oraculum fudit, Erfordienſis omnino tacuit, Colonienſis tamen ac Lovanienſis Univerſitates, quamvis in diſputationis Judices non fuiſſent ſelectæ, nihilominus merito cenſebant, quod ipſis cum ceteris Scholis judicium ferendi jus competeret, quapropter eodem adhuc anno milleſimo quingenteſimo decimo nono die trigeſima Auguſti Colonienſis Univerſitas doctrinali cenſura Lutheri libros damnavit, aſſerens, *quod illi continerent varios in fide, & moribus errores, ſpeciatim contra opera vitæ æternæ meritoria, contra Pœnitentiæ Sacramentum, confeſſionem, ſatisfactionem, indulgentias, purgatorium, ac denique adverſus Romanæ Eccleſiæ Primatum, quocirca* concluſit Univerſitas, *præmiſſa matura deliberatione doctrinaliter judi-*

Ulemb. c. 5. Rayn. ann. 1519. n. 48. Sleid. hiſt. l. 2. Argent. t. 1. p. 358. Cochl. l. c. an. 1520. p. 24.

convicerit, eumque, quamvis alias ſatis verboſum prorſus obmuteſcere coegerit, narrat Cochlæus auctor coævus loc. cit.

Sæcul. XVI A.C.1519.

judicavimus, præfatum librum tantis ſcandalis, erroribus, hæreſibusque refertum, jure ſupprimendum, igni publice cremandum, ejusque auctorem Lutherum merito ad revocationem publicam compellendum. Itidem Lovanienſis Univerſitas explorato Adriani Cardinalis, qui illius membrum erat, conſilio eundem Auctorem die ſeptima Novembris ejusdem anni cenſoria virga caſtigavit, condemnans viginti duas propoſitiones ex illius libris *excerptas, tanquam falſas, ſcandaloſas, hæreticas, ac hæreſim ſapientes*, declaravitque, omnes hosce libros tanquam communitati fidelium nocivos, veræ & ſanæ doctrinæ adverſos, omnino e medio tollendos, igniique cremandos eſſe. Præcipuæ autem, quas Univerſitas damnavit, propoſitiones erant ſequentes: *I. Bonum optime factum eſt peccatum veniale. II. Merita Sanctorum nulla ſunt, quæ nobis poſſent communicari. III. Indulgentiæ nil aliud ſunt, quam relaxatio pœnæ arbitrio Sacerdotis, vel Canonum pœnitentialium impoſitæ. IV. Fides, qua creditur verbum Chriſti verum*: Quodcunque ſolveritis &c. *magis requiritur in abſolutione Sacramentali, quam contritio. V. Non ſunt confitenda omnia mortalia. VI. Nullam pœnam exigit Deus, remiſſa culpa. VII. Deus ligat hominem ad impoſſibile. VIII. Quia fomitem peccati habemus, & in hac vita carere*

non

non possumus, semper peccamus. IX. Virtutes morales sunt peccata, & errores in peccatoribus. X. Animæ in Purgatorio sine intermissione peccant. Præter has Lovanienſis Univerſitas alias adhuc numero viginti duas damnavit. Lutherus mox contra hasce cenſuras calamum ſtrinxit, ac ſtylo vere acerrimo eas confutavit, utrique Univerſitati temeritatis notam inurens, eoquod ipſæ præprimis non exſpectato Papæ judicio, ad quem tamen totum negotium eſſet devolutum, illius ſcripta damnare præſumpſiſſent. Sæcul. XVI. A. C. 1519.

§. XXXIII.

Canoniſatio S. Franciſci de Paula.

Jam bimeſtre & amplius effluxerat, ex quo Leo X. Papa B. Franciſcum de Paula FF. Minimorum Inſtitutorem inter Beatos ritu ſolemni adnumeravit; cum enim per ejus merita Deus quam plurima operatus eſſet miracula, ac indies eorum plurima, eaque admodum inſignia patraret, vox populi jam dudum, priusquam publico Eccleſiæ oraculo Sanctorum honores Franciſco decernerentur, eundem Sanctis aggregatum proclamabat. Hinc anno milleſimo quingenteſimo decimo tertio in Beatorum numerum referebatur, hoc autem anno Leo X. conſecratæ immortalitatis honores perfecturus,

Sæcul. XVI A. C. 1519.

rus, eundem Sanctorum albo inseruit, ejusque festivitatem secunda Aprilis, quæ obitus sui dies erat, celebrandam indixit. Agebantur ingenti prorsus pompa Canonisationis solemnia hoc anno die prima Maji.

§. XXXIV.

Electio Cæsaris Francofordiæ facta.

Guicc. l. 13. Bellefor. l. 5. c. 29. Apud Schar. oper. hist. t. 2. & 3. Rer. Germ. Freh.

Interea S. R. I. Electores diuturniorem, quam Francofordiæ re infecta trahebant, moram pertæsi animo constituebant, quod in electionis negotio neutrius ad Imperii coronam adspirantis rationibus aurem amplius accommodare, sed ambos Carolum Hispaniæ, & Franciscum I. Galliarum Reges, utpote extraneos inde excludere velint.

§. XXXV.

Imperium Electori Saxonico oblatum, atque ab eo recusatum.

Schleid. in comm. de statu Relig. & Rep. l. 1. p. 29.

Communi igitur suffragio ex natione Germanica, atque Electorali Collegio Principem eligere decernebant; quapropter Friderico Saxoniæ Electori, qui ob præclara merita, prudentiam, ceterasque animi dotes *Sapiens* cognominabatur, Cæsaream coronam offerebant. Hic tantam dignitatem haud temere recusan-

cusandam ratus, bidui spacium ad deliberandum sibi indulgeri petiit, tertia demum die ea, qua erat modestia, oblatum diadema deprecatus est, illudque uni Carolo deferendum contendit, Septemviros his verbis allocutus: „ Haud „ satis mirari valeo, cur non omnes unanimi suffragio in Caroli electionem „ conspiremus; Princeps enim hic tot „ præclaris ornatus est dotibus, ut præ „ ceteris longe dignissimus habeatur. Natus insuper est in Flandria, „ quæ Germaniæ Provincia est, educatus fuit ab Avo celeberrimo, scilicet „ Maximiliano Cæsare, a quo certe saluberrima hausit præcepta pro prospero Imperii regimine, ad quod is aliunde „ ex primævo naturæ beneficio, ut omnibus perspectum est, aptissimus erat, „ unde merito ab illius Nepote omne „ prosperitatum genus nobis polliceri „ possumus. His accedit, quod Princeps „ sit ætate juvenis, animo nonnisi ad generosa & heroica facinora nato præditus, corporis forma elegans, ac viribus ad quoscunque labores infractis „ dotatus. Calet insuper optime exteras linguas, & præcipue idioma Germanicum, eminet etiam in bellicæ artis peritia, agitque ætatem, quæ non „ modo ad tuendum, sed etiam augendum Imperium, necnon ad colligen-

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

Raynald. ad ann. 1519. n. 23. Ex lib. 1. collect. lit. priv. p. 67.

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

„ dos uberes gloriæ fructus vel maxime „ idonea est; præterea ad exequenda „ magna ejusmodi consilia ipsi adeo op- „ portuna media præsto sunt, ut nostram „ gentem oneribus gravare minime com- „ pellatur, cum ipsius tot Regnorum, ac „ ditionum omni abundantia celeberri- „ marum Princeps existat. Ut igitur „ verbo rem absolvam, nunquam occa- „ sio, qua in eligendo Cæsare suum pro „ Imperii salute studium demonstrare pos- „ sunt, S. R. I. Electoribus magis oppor- „ tuna fuit oblata, quam hodie, ubi agi- „ tur de eligendo Carolo Maximiliani „ Nepote. „

„ Nihilominus tamen, prosequeba- „ tur Elector, non desunt, qui media „ excogitant, quibus hunc Principem „ ab Imperii diademate excludere nitun- „ tur, & quidem unice ea ex ratione, „ ut Franciscum I. eidem subrogent. „ Verum cuinam rationi hi innitantur, „ plane ignoro; haud equidem diffiteor, „ quod Galliarum Rex ob merita sua dig- „ nus sit, perpendendum tamen, quod „ hic Princeps nec in Germania educa- „ tus sit, nec unquam Germaniam vel „ in limine salutaverit, atque adeo „ linguæ nostræ ignarus sit, ut vix duo „ hujus idiomatis verba intelligat. Cum „ igitur in Galliis ortum suum habuerit,

„ haud

„ haud dubium est, quin non etiam Gal- Sæcul XVI.
„ lorum indolem nostro genio tantopere A.C.1519.
„ adversam cum lacte hauserit: quin-
„ imo pauca hæc sunt, quæ dixi, nam
„ præcipue prudentia, sanaque agendi
„ ratio pro imperii salute nos obstringit,
„ ut non sine timore ac diffidentia con-
„ sideremus, quod idem Princeps pri-
„ mam lucem aspexerit in ejusmodi
„ Regno, in quo perfectum dominatur
„ regimen Monarchium, quæ res tanti
„ est momenti, ut oculos nostros aperi-
„ re, ac nobis, nostræque secu-
„ ritati provide præcavere teneamur; nam quis denique sponsor esse
„ poterit, ne talis Princeps suo tempo-
„ re ad ea prorumpat molimina, quibus
„ Imperii libertatem evertere nitatur,
„ ac S. R. I. Electores ad eandem, quæ
„ hodiedum Duces & Franciæ Pares af-
„ fligit, Status conditionem reducat.
„ Id sane tanquam res, quæ fieri nequit,
„ non est reputanda; sufficit hanc in rem
„ præteritæ ætatis gesta & historias in
„ memoriam revocare. Insuper quem
„ latet, quam copiose effusi sanguinis
„ pretio nostri Prædecessores suam liber-
„ tatem redimere compulsi fuerint, eo
„ duntaxat fine, ut tandem Imperii sce-
„ ptrum e Gallorum manibus extorque-
„ rent, simulque illud nationis nostræ
„ Principibus afferere possent? Ergone

Secul. XVI. A.C. 1519.

„ ad eam prolabamur ignaviam, ut Imperii sceptrum, quod hodiedum in manibus nostris est, a nobis abjiciamus, „ illudque rursus Gallis vindicemus. „

Hæc Friderici oratio adeo non Electorum animos ab arrepto consilio amovit, ut repetitis etiam precibus eundem ad acceptandum Imperium urgerent; nihilominus Fridericus illud constanti animo respuit. Hac illius modestia animique sinceritate capti eundem, ut saltem eum, quem ipse Imperio digniorem bona fide censeret, nominaret, obtestabantur Electores, polliciti, se illius judicio adhæsuros. Ast ne id quidem muneris in se suscepit Fridericus, eorum, quos excluderet, indignationem veritus.

§. XXXVI.

Carolus Hispaniarum Rex ad Cæsaream dignitatem a Friderico Saxoniæ Electore designatus.

Cum vero rursum instarent Electores, Fridericus palam exponebat, meum, si expetitis judicium, fides ac conscientia mea mihi testis sit, quod præter Regem Catholicum neminem alium Imperii solio digniorem reputarem. Mox una omnes in eandem descenderunt sententiam.

Pallavicin. hist. Concil. Trid. l. 1. c. 21.

§. XXXVII.

Sæcul XVI. A.C. 1519.

§. XXXVII.

Trevirensis Elector huic nominationi obluctatus.

Solus obstabat Trevirensis Elector, Richardus de Greiffenclau, seu Greiffencloe, qui Franciſci partes propugnans contendit: *Si externum*, inquit, *præ indigena probamus Imperatorem; nihil est, cur Hispanum Gallo præferamus? Etenim si Carolo ad legis nostræ, qua obstringimur indigenis, integritatem sufficit, earum possessorem Provinciarum esse, quæ nostri censentur imperii: Franciscus & Insubriæ, & Regni Arelatensis, Reipublicæ nostræ membrorum Dominus, pari juris suffragatione contendat: quare autem ita metuimus Belgio, nil ad Imperium, Germaniamque præter aliquam linguæ communionem adferenti*, nullo cum Belgis fœdere junctí sumus, nec ipsi Imperii legibus, Majorumque nostrorum institutis, ac moribus vivunt. *Faciemus nunc Carolum Imperatorem esse, Deum immortalem! quales, quantosque in Italia motus concitabimus? Mediolano ille ante omnia possidendo, & animum, & manus adhibebit, Neapolim adversus Gallorum impetus tuebitur, bellis, & diuturnis & cruentis pulcherrima Europæ pars jactabitur, Turcis in Panoniam, atque ipsa adeo Imperii viscera patebit aditus.* Elector

Sæcul XVI. A.C.1519.

ctor hanc suam oppositionem verbis declarasse haud contentus, in Electorali quoque collegio eandem contra nominationem a Friderico nuper factam scripto interposuit. Ast flocci habebatur illius repugnantia.

§. XXXVIII.

Electio Caroli in Cæsarem.

Spond. ad an. 1519. n. 2. Platin. de vit. PP. in Clement. IV. Nord. hist. Flor. lib 6. Joan. Ant. Vera hist. Carol. V. p. 23. Rayna'd. n. 29.

Ergo Carolus Hispaniarum Rex nondum vigesimum ætatis annum emensus in Cæsarem eligitur die vigesima octava Junii anno millesimo quingentesimo decimo nono, ac paucis post diebus Trevirensis quoque Elector Carolo accesserat, sive quod Franciscum I. aucupandi Imperii spe dejectum cerneret, sive quod novi Cæsaris indignationem pertimesceret. Eodem tempore Cajetanus Cardinalis, qui tum præsens aderat, Neoelecto Cæsari commentitiæ (*) illius legis gra-

(*) *An aliquis Princeps directus cujusdam Regni Dominus diplomati, quo in alium Principem ejusmodi Regnum jure fiduciario transfert, conditiones apponendi jure careat, atque talis conditio lex chimærica, atque commentitia dici queat, nullum certe, qui id cum Continuatore asserere audeat, reperire erit; id exploratum habemus Carolum I. Siciliæ Regem ex*

gratiam fecit, qua ſummi Pontifices Neapolis Regibus inhibebant, *ne Imperium Romanum etiam ultro oblatum acciperent.* Igitur electione peracta Caroli Cæſaris Legati Francfordiæ agentes Electori Saxoniæ triginta florenorum millia offerebant; hujus enim ſtudio Carolum eorum Dominum adepti diadematis felicitatem potiſſimum debere ſat ſibi perſuaſum habebant. Aſt Friderico donum aſpernante, illi eundem impenſe rogabant, ut ſaltem decem millia florenorum in ſuos famulos diſtribui permitteret, quibus reſpondit Elector: munera diſpenſare vobis integrum eſt, ſi vero meorum quisquam vel unicum aureum accipiet, hodie adhuc ſe a me dimiſſum ſciat. Sæcul. XVI. A.C.1519.

§. XXXIX.

Electorum Legatio in Hiſpaniam ad novum Cæſarem.

Vix peracta erat Caroli electio, cum Guilielmus Bavariæ Dux, qui aliquot ante menſes defuncto Alberto Patre ſuo *Tom. 3. Rer. Germ. apud Schard. & Goldaſt. in Conſt. Imp. edit. Freher.*

ex ſtirpe Gallorum Siculum ſceptrum cum hac conditione acceptaſſe, ac juramento illam firmaſſe. Vide Platinam loc. cit. & Raynald O. doric. ad ann. 1274. num. 11. Jus Papæ in utriusque Siciliæ regna commentitium eſſe, Lutherus docuit. Lege hoc libro §. LXVI.

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

suo Ducatum adiit, altera die se in Arragoniam profecturum offerret, ut Carolo felix hoc, faustumque nuncium deferens ejusdem quoque consensum impetraret; placuit summopere Electoribus promptum Ducis obsequium, unde eidem conceptis verbis injunxere, quod Regem summis precibus urgeret, ut protinus pro accipienda Imperii corona in Germaniam venire festinaret. Ergo Dux e Zeelandiæ portu solvit; cum vero ventorum injuria expeditum triremis cursum præpediret, nonnisi trigesima navigationis die Cæsarauguſtam appulsus est, ubi summis honoribus, ac ingenti benevolentiæ significatione excipiebatur. Paucis post diebus Elector quoque Palatinus, ut iter Caroli augustiori pompa decoraret, & ipse in Hispaniam abiit, secum deferens electionis factæ literas, quæ fide publica firmatæ a plusquam trecentis Principibus, Comitibus, aliisque Imperii Optimatibus subscriptæ erant, qui omnes etiam atque etiam neo-electum Cæsarem rogabant, ut iter suum ea, qua posset, celeritate aggrederetur, eoquod imperii negotia ejus præsentiam omnino expeterent.

Sleid. hist. l. 1 p. 30.

§. XL.

Sæcul. XVI. A.C. 1519

§. XL.

Nuncius de recens detecto, occupatoque Mexico ad Carolum delatus.

Sub idem ferme tempus raro felicitatis concurſu Rex denuo nuncium non minus fauſtum quam gratum accepit; ſignificabatur enim illi, quod Ferdinandus Corteſius Mexicanam Inſulam occupaſſet. Sita eſt hæc regio in America Septentrionali, tamque amplo protenditur ſpatio, ut a Chiagra flumine, quod Panamæ Iſthmum alluit, usque ad fluvium Borealem, ubi ſeſe in mare purpureum devolvit, longitudinem ſuam ad ſexcentas circiter leucas porrigat. Vela fecit Corteſius Sant-Jagi die decima octava Novembris Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo decimo quinto, quo Havanam appulſus, exercitum ſuum prorſus exiguum in undecim centurias diſtribuit, earumque unam ſingulis ſuis navibus impoſuit; inde vero die decima Februarii anno quingenteſimo decimo nono ſupra milleſimum profectus, Tabuſcum, quod Mexici Provincia eſt, pervenit, ibidemque die vigeſima quinta Martii inſignem plane victoriam de Indis reportavit, ac continuato fortunæ curſu usque ad Quiabiſtanum procurrens, eo-

Anton. Vera hiſt. Car. V. p. 24.
Ant. de Solis hiſt. nov. Hiſpan.
Diego de Ciſnero de Ser. de la Ciud de Mex.
Pet. Martyr. decad. 5 c. 1. in vit. Corteſ.
Raynald. an. 1519. n. 69. ann. 1520. n. 96.

Sæcul. XVI. A. C. 1519.

dem loco urbem condidit, quæ *Vera Crux* appellata est. Aſt Corteſius poſt nonnullas expeditiones feliciter confectas, cum ejus cor in ampliores ſpes aſſurgeret, ipſum Mexicum, imperii hujus caput, armis invadere, ſtupendo prorſus conſilio conſtituit, ac octava Novembris die ſecundo vento illuc profectus eſt: adventantem Imperator, Motezuma nomine, extra urbis ſuæ mænia obviam procurrens excepit; ambo aliquamdiu conjunctiſſime vivebant; verum Corteſius comprobata Regis hujus perfidia, eundem in vincula conjici juſſit, eumque celebratis Ordinum comitiis compulit, ut regnum ſuum Carolo Hiſpaniarum Regi ſubjiceret, confecto hanc in rem inſtrumento publico, quod per totum denique Regnum ſolemni pompa promulgatum eſt.

Hoc facto Corteſius Aloyſium Fernandez, Portocarerum, & Franciſcum Montejum in Hiſpanias ablegabat, qui Regi prima novæ hujus felicitatis auſpicia nunciarent, ſimulque ſexcenta aureorum millia tributi nomine exacta deferrent. Quinta hujus ſummæ pars Hiſpaniarum Regi reſervabatur, totidemque pecuniæ pro Corteſio, publicisque neceſſitatibus expendebantur, reſiduum vero inter Duces, militesque Hiſpanos diſtribuebatur, detractis tamen iis, quæ pro

pro instruenda classe, æreque alieno penitus solvendo destinabantur. Cum vero invidia perpetuo sit mærori obnoxia, ita Didacus Velasquez Insulæ Cubæ gubernator de aliena, quam Cortesius sibi acquisierat, gloria tristis, eundem iniquis consiliis perdere animo constituit; quin imo adversus illum copias in aciem eduxit, eisque Pamphilum de Narbaes præfecit; vicit tamen Cortesii fortitudo; quippe Pamphilus capitur, omnesque ejus milites ad Cortesii vexilla transeunt. Ast Hispani viribus aucti secundis hucusque rebus modum imponere, brevi negligebant, in tantas crudelitates effusi, ut non levem nomini suo labem inferentes, ab ipsis nationis suæ Viris probitate ac genere conspicuis veluti humanitatem exuisse, merito redarguerentur. Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. XLI.

Fretum Magellanicum apertum.

Post tam amplam detecti Mexici prosperitatem, rerum series nos ad terras Polo Antarctico magis propinquas deducit, quas sub feliciſſimis Caroli Cæsaris auspiciis Ferdinandus Magellanus seu Magelhaëns Lusitanorum Bellidux detexerat. Is, cum a Lusitaniæ Rege suum sibi stipendium medio nummi aurei pretio singulos in menses augeri peteret, *Anton. Vera hist Carol. V. p. 25. Ferdin. Fizarro illust. de nuevo Mundo collect. rer. Indic. c. 3. Osor. l. 11. Maff. l. 8.*

Sæcul. XVI. A. C. 1519.

ret, repulsam passus, a Rege suo descivit, ac continuo se ad Carolum contulit, a quo perbenigne exceptus, Anno millesimo quingentesimo decimo nono Hispali cum quinque navigiis optime instructis in pelagus procurrit, diversamque ab illa, quam Lusitani sequebantur, semitam aggreditur, navigationis compendio multo proficuo. Ergo vastissimis maris adhuc-dum incogniti undis sese committit, atque ab æquinoctiali plaga viginti quinque graduum iter conficit, quo in itinere minus glaciei, ac tempestatum injuria fessus, quam militum suorum dissidiis fractus est. Ast omnibus hisce obstaculis superior Fretum detexit, quod ab ipsius nomine *Magellanum* nuncupabatur; inde vero vela faciens, per mare pacificum usque ad insulas Los Sadrons (*) progressus est, ubi tamen propinato veneno obiit; referunt alii, eum, postquam Insulam Cebu subegisset, in prælio ad Insulam Matan commisso, sub annum a Christo nato millesimum quingentesimum vigesimum octavum occubuisse.

Raynald. ad ann. 1520. n. 98. & 99.

§. XLII.

(*) Forte designantur Insulæ Latronum, quæ in Archipelago S. Lazari inter Oceanum Orientalem, & mare Pacificum sitæ sunt.

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. XLII.

Caroli lex de ſuprema regnorum Hiſpaniæ auctoritate.

Carolus jam de fortuna ſibi undique adſpirante ſecurus, iter aggredi parabat, cum vero pertimeſceret, ne ab Hiſpanis alienæ, præſertim ſuperioris auctoritatis impatientibus crederetur, quod ipſe ad Cæſareos apices erectus Hiſpaniæ gloriam deprimere, novamque imperio excellentiam tribuere velit: hinc Carolus priusquam in Germaniam proficiſceretur, legem promulgabat, qua Caſtellæ atque Arragoniæ Regna ſumma potiri poteſtate, nullove pacto ab imperio dependere declaravit. Præterea Hiſpanorum ambitioni (*) plenius ſatisfacere intentus, Caſtellæ atque Arragoniæ Regem, pari jure cum Franciæ ac Angliæ Regibus, *Majeſtatis* titulo impoſterum honorandum eſſe, nova Lege ſancivit; quamvis avito Caſtellanorum uſu eorum Reges non niſi *Sereniſſimi* Principes appellarentur. Id Hiſpanorum genio pergratum accidit. Inſuper ſupremum rei veredariæ Magiſtrum nominavit, illoque munere

Anton. de Solis hiſt. nov. Hiſp.

(*) Modeſtius de integra tamque celebri Natione loqui, prudentem Hiſtoricum deceret.

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

munere sat amplo Comitem de Villa de Miano ex illustrissima Familia de Taxis oriundum auxit, in eumque hoc officium hæreditario jure transfudit, eo consilio, ut potentissima hæc domus Hispanos in Regis absentis obsequio firmiter contineret. Eodem ex fine Procerum quam plurimos velleris aurei Equites creavit, atque inter eos Austuricæ Marchionem, Viziniani Principem, Cardonnæ Ducem, & Fridericum Henriquez Castellanæ classis Præfectum, præter alios nonnullos hoc honore auxit.

§. XLIII.

Antonii Bohieri Cardinalis obitus.

Gui Bretonneau hist. de la Maison de Briconet.
Jean. Chenu hist. archiep. Bituric.
Aubery hist. des Cardinaux
Gaguin. l. 11

Hoc anno Sacrum Purpuratorum Collegium quatuor Cardinalium jacturam planxit; hos inter primus erat Antonius Bohierus Bituricensis Archiepiscopus. Is primam lucem aspexit Issiodori in Alvernia ac filius fuit Austremontii Baronis de Saint-Cierque, & Annæ de Prato, quæ Cardinalis Antonii de Prato Franciæ Cancellarii amita erat. Primis adolescentiæ suæ annis Ordinem S. Benedicti in Abbatia Fescani in Normannia professus, ibidem, nec non Rothomagi ad S. Ovanum Abbas evasit; referunt nonnulli, illum quoque Cancellarium,

rium, alii vero eum Parlamenti Normanni Præsidem fuisse creatum, demum Anno millesimo quingentesimo decimo quinto Bituricensi Archiepiscopatu auctum. Biennio post Antonius ad Francisci I. Galliarum Regis preces, suffragante etiam Prati Cancellarii auctoritate a Leone X. Papa Cardinalium numero adscriptus est, cui tamen dignitati haud diu vita superstes exstitit, sed die vigesima septima Novembris Anno Christi millesimo quingentesimo decimo nono Blesi, ubi tum Rex agebat, rebus humanis valedixit. Corpus ejus translatum ac sepultum fuit in Ecclesia Metropolitana Bituricensi, quam pluribus donis locupletavit, atque inter alia aulæis pretiosis, quibus ejus symbolum ac insignia intexta hodiedum visuntur. Saecul. XVI. A C. 1519.

§. XLIV.

Philippi Lucemburgii Cardinalis extrema.

Alter ex Cardinalibus, quem mors hoc anno sustulit, erat Philippus Lucemburgius. Fuit is primo Atrebati, postea Anno Salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo Terouanæ Episcopus, in qua Ecclesia Theobaldo Patri suo successit; hic enim mortua conjuge sua sacræ Clericorum militiæ nomen *Nicol. Vignier hist. de Luxemb. Ciacon. in Alex. VI. p. 184. San Marth. Gall. Christ.*

Sæcul. XVI. A C. 1516.

nomen dedit, sedemque Terouanensem obtinuit. Mira Philippus Lucemburgius pollebat gratia, ac singulari in rebus gerendis dexteritate; unde in publicis Regni negotiis non raro ejus consilia expetebantur, atque ab Alexandro VI. Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto Cardinalis, necnon Legatus a latere in Galliis creabatur, quo etiam munere sub Julii II. Pontificatu functus est. Ejus quoque opera usus est Alexander, ubi de matrimonio solvendo inter Ludovicum XII. & Joannam de Francia agebatur. Paulopost Philippus solitudinis amore captus, Episcopatum suum Francisco Lucemburgio Nepoti suo relinquere statuit, atque etiam id effecit; defuncto autem Nepote suo rursum ad eandem Ecclesiam redire compellebatur, quam Pastorali prorsus sollicitudine rexit, auxitque: Tandem vero anno ætatis suæ septuagesimo quarto vitæ finem fecit, merito celeberrimis ævi sui Prælatis accensendus. Corpus ejus sepultum fuit in sua Cathedrali Ecclesia, cujus tamen ossa fervente intestino bello a Calviniſtis inhumana rabie effossa igni cremata fuere. Idem etiam Parisiis fundavit Cenomanense Collegium, quod hodie Jesuitarum Gymnasio unitum est, præter eam aliud adhuc collegium in Cenomanensi urbe condidisse dicitur.

Panvin de Rom Pontif. Aubery vit. Card.

§. XLV.

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. XLV.

Ludovici de Arragonia Cardinalis fata.

Tertius eodem anno mortalitatem exuit Ludovicus de Arragonia spurius Ferdinandi I. Neapolis Regis Filius. Hic licet matrimonium contraxisset cum Joanna Baptistina Cybo, ea tamen defuncta, ab Innocentio VIII. clericali militiæ adscriptus Protonotarii Apostolici munere insignitus est; demum vero, ut habetur in Diario Burchardi, ab Alexandro VI. Anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo primum renunciabatur Cardinalis tit. S. Mariæ in Aquiro, postea titulum S. Mariæ in Cosmedin selegit. Rexit Ecclesiam Aversanam, inde vero ad Legionensem in Hispania translatus fuit. Interfuit etiam tribus comitiis Pontificiis, in quibus in Romanos Pontifices Pius III. Julius II. & Leo X. electi sunt. Reginam quoque Neapolitanam Ferdinandi Regis viduam in Hispaniam reduxit, quo itinere confecto in Italiam per Gallias rediit, ac sub Leonis X. Pontificatu in Germaniam se contulit. Vitam cum morte commutavit Romæ anno ætatis suæ quadragesimo quinto, ac sepultus est in Æde S. Mariæ supra Minervam. Petrus Martyr de *Ciac. l. c. p. 187.*

Sæcul. XVI A.C. 1519.

Angleria eidem *Oceaneæ Decadis* librum quintum & sextum, necnon carmen in obitu Regis Catholici a se compositum nuncupavit.

§. XLVI.

Mors Cardinalis Rossii, seu de Rubeis.

Ciacon. in Leon. X. p. 389 Garimb. l. 7.

Quartus denique ac postremus erat Aloysius Rossius, seu de Rubeis, Florentinus ex Patre Leonecto equite nobili & clarissimo cive, ac ex Leonis X. Pontificis maximi Sorore natus Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto. A puero sub Leonis Papæ cura educatus, in literarum studiis a celebribus omnino Magistris eruditus est; ac summo Pontifici apprime carus fuit ob singularem ejus in rebus gerendis dexteritatem: unde etiam Rossius ex gratitudinis debito tam in adversis quam in prosperis fidissimus Papæ comes exstitit; horumque meritorum suffragio ab eodem Leone ad supremos Ecclesiæ apices evecto sub annum Christi millesimum quingentesimum decimum septimum Cardinalis tit. S. Clementis renunciatus est. Exiguo post adeptam purpuram tempore vixit; extremum enim diem clausit Romæ in Apostolico Palatio die vigesima Julii Anno Incarnationis

tionis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimo nono, cum annum ageret nonniſi quadrageſimum quintum. Ferunt, ipſummet mortis ſuæ cauſſam exſtitiſſe, cum quodam remedio podagræ dolores depellere tentaret. Sepultus eſt ſine ullo funebri pompa in Baſilica S. Petri cum quadam inſcriptione ab ipſo Pontifice poſita: Demum vero corpus ejus Florentiam translatum, & in Eccleſia S. Felicis in magnifico tumulo marmoreo conditum eſt. Hic Cardinalis ad vitia proclivis, imo etiam impudicitiæ immortuus a nonnullis dicitur (*). Sæcul. XV A.C. 1519.

§. XLVII.

(*) Ita Garimbertus, *cui & ſummos Pontifices & Cardinales ſæpe injuſtis maledictis onerare*, ſatis ſolemne eſſe, optime notavit P. Oldoinus in Ciacon. tom. 3. fol. 345, additque fol. 389. in vita Cardinalis Roſſii: *In hunc alioqui virum præſtantiſſimum, ſatyrico potius ſtylo & ſine cauſſa invectus eſt Garimbertus, eundemque uti ad vitia plura proclivem atque impudicitia notatum usque ad obitum vulgavit, quem tamen virum ingenii perſpicacitate, acuti judicii, & in omnibus liberalem Florentina monumenta teſtantur.*

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. XLVII.

Initia Zwinglii.

Vide Lib. CXXV §. XLIV. Bossuet Hist de variat. t. 1. p. 72. Sander. hæres 209. Adam in vita theol ferm. Florim. Raim. l. 4. de de orig. hæres c. 8. & lib. 3. c. 3.

Cum interea Lutherus errores suos in Germania divulgaret, multosque Sectatores sibi conciliaret, Zwinglius quoque aut proprii quæstus studio, aut indignationis furore agitatus adversus Ecclesiam arma procudit. Erat is in Pago Tigurino Pastor seu Parochus, Vir animi ferocia, ac dicendi vehementia magis quam scientiæ fama insignis; is ergo, cum indulgentiarum abusu pecunias corradi posse cerneret, simulque ipsus divitias, quarum auxilio sibi ad dignitates aditum pararet, immodica cupiditate appeteret, ejusmodi indulgentias promulgandi occasionem studiose captabat, aut Pontifex ad hoc munus pro Tigurina Tribu jamjam quemdam ex FF. Minoribus patria Mediolanensem nominabat. Hic quæstus, honorisque aviditate Zwinglio haud inferior, aut ignorantiæ vitio, aut avaritiæ studio seductus, ad ravim usque clamabat, plenam noxarum remissionem omnibus illis concedi, qui indulgentias hasce susciperent, stipemque erogarent, certoque hoc medio animas e piacular carcere liberari affirmabat. Populus falsa hac persuasione delusus, huic Monacho identidem pecunias offerebat,

bat, ex quibus ille haud modicam auri summam colligebat. Sæcul. XVI. A.C. 1519.

§. XLVIII.

Zwinglius more Lutheri contra indulgentias declamans.

Zwinglius, quod tam ampli lucri spe dejectus esset, gravi indignatione commovebatur, cumque abjectus, ac venalis ejus animus haud ipsi permitteret, ut iram suam moderaretur, maluit in convitia contra indulgentias erumpere, quam tacere, quamvis religioso silentio longe magis suo honori consuluisset. Re percepta præfatus Monachus adversus Zwinglium prædicare cæpit; unde veritatis cathedra non sine populi offensione altercationibus, ac ejusmodi sermonibus profanabatur, in quibus Præcones gregem instruere haud solliciti nonnisi suos utrinque adversarios convitiis proscindere certabant. Paulo post Zwinglius ab indulgentiis, quas deridebat, continuato errore transiit ad impugnandam Papæ auctoritatem, ad ipsam Sacramenti Pœnitentiæ naturam, ad meritum fidei, ac piorum actuum effectus, cunctosque hosce articulos aggrediebatur, non veritatis dilucidandæ studio, sed privatas suas opiniones, erroresque venditandi, ac tuendi pruritu. Hugo Constantiensis

Raynal. ad ann. 1520. n. 13. *Pallavic. hist. Trid. l.* 1 *c.* 19

Sæcul. XVI. A.C. 1519.

Episcopus Zwinglium nonnisi abusus perstringere, ab initio ratus, declamationibus illius adeo non restitit, ut eum etiam ad prosequendum zelum animaret, suumque illi præsidium promitteret. Tanti Viri patrocinium Zwinglii audaciam non modo firmavit, sed longe acrius incendit, erroresque suos totidem Evangelii veritates vocare omnino non erubuit, tandem vero Episcopus, ubi Zwinglium adversus ipsam fidem declamare cognovit, nimiam datæ facultatis facilitatem suam damnavit, ille autem Præsuli perfricta fronte declaravit, quod invito licet Episcopo, ac Pontificis Legato, nihilominus prædicaturus sit. Ergo ineunte jamjam anno Domini millesimo quingentesimo decimo quinto sermonibus suis invehi cæpit non modo in indulgentias, sed etiam in Sanctorum invocationem, Missæ sacrificium, leges Ecclesiasticas, vota, Sacerdotum cælibatum, & abstinentiam a carnibus: illo tamen tempore nondum externum ac publicum Religionis cultum immutavit.

Ulemburg. in vit. & gest. Luther, 5. Raynald. an. 1520. n. 1.

Non minus Lutherus nominis sui fama elatus, audacia crescebat: Exeunte enim hoc anno sermonem de communione vulgavit, in quo affirmabat, quod ille, qui Sacramentum nonnisi sub una specie recipit, integrum non recipiat, ac inde optandum, ut communio sub utraque

que ſpecie in quodam Generali Concilio ab Eccleſia denuo inſtitueretur, ne fideles Sacramenti integritate fruſtrarentur. Vix libellus iſte lucem aſpexerat, cum illico Miſniæ Epiſcopus illum proſcriberet velut Concilii Lateranenſis definitioni contrarium, atque compoſitum ad dubia ſuſcitanda fidelibus, qui communionem ſub una ſpecie ſuſcipiunt. Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. XLIX.

Lutherus a Miſnienſi Epiſcopo proſcriptus.

Lata eſt hæc cenſura die vigeſima quarta Januarii Anno Salutis milleſimo quingenteſimo vigeſimo, cui mox Lutherus alium oppoſuit libellum, in quo equidem fatebatur, Chriſtum Dominum ſub qualibet ſpecie integrum contineri, necnon a fidelibus Lateranenſi Concilio obtemperandum, atque uſum ab eo ſtabilitum eſſe tenendum: declaravit tamen, quod ipſius propoſitio velut ſchiſmatica aut ſcandaloſa nullatenus damnari poſſet, cum ipſe tantum exoptaſſet, ut Eccleſia in quodam Generali Concilio communionem ſub utraque ſpecie reſtitueret; „ nam „ ſi, inquiebat, meam damnas propoſitio„ nem, illam ex conditionali in abſolu„ tam tranſmutas, negasque Concilio

Sæcul. XVI A.C. 1520.

„ generali ejusmodi ineſſe poteſtatem, „ quod tamen admitti non poſſet.„

§. L.

Epiſtola Lutheri ad Carolum V. Imperatorem.

Cochl. de ſcript. Luth. 1520. Inter eviſt. Luth. ad Car. V. tom. 2. proteſt Luth. ad Car. V. t. 2. p. 144. Ulemb. c. 3. Rayn. ad an. 1519. n. 54. Sleid. in comm. l. 2. p. 47.

Dato hoc reſponſo paulo poſt Lutherus ad Carolum Neo-electum Cæſarem ſcripſit, eo conſilio, ut illum ad ſuas pertraheret partes. Dabat hanc epiſtolam Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo die decima quinta Januarii, in qua primis veniam petiit temeritatis, qua, cum nonniſi vilis eſſet homuncio, Cæſarem literis interpellare præſumeret, dein illum rogat, ut ſeſe adipſum inclinare velit ad imitationem Divini Numinis, cujus providentia ſuam ſollicitudinem etiam ad minima quævis extendit; demum Cæſarem orat, & obſecrat, ut eum in fidem ſuam recipiat, eo modo, quo Conſtantinus in pari vexatione, quam ipſe patitur, Sanctum Athanaſium fovit; his præmiſſis ita proſequitur; *editi ſunt a me nonnulli libelli, quibus multorum & magnorum mihi conflavi invidiam, & indignationem, ubi debui duplici præſidio tutus eſſe. Primum, quod invitus in publicum veni, nec niſi aliorum vi & inſidiis proditus, ſcripſi, quicquid ſcripſi: deinde quod, teſte mea conſcientia, ac optimorum virorum*

rum judicio, nonniſi Evangelicam veritatem ſtudui evulgare, adverſus ſuperſtitioſas humanæ traditionis opiniones. Propter quas tertius jam finitur ferme annus, ex quo patior ſine fine iras, contumelias, pericula, & quicquid mali poteſt excogitari. Fruſtra veniam peto, fruſtra ſilentium offero, fruſtra pacis conditiones propono, fruſtra erudiri meliora poſtulo: unum in me paratur, tantum ut extinquar cum univerſo Evangelio. Cum autem omnia fruſtra tentarim, viſum eſt tandem exemplo S. Athanaſii Imperatoriam Majeſtatem invocare, ſi forte Dominus dignetur per eam meæ cauſſæ adeſſe. Poſtea ſubjungit proteſtationem, qua ſe, ſi hæreſis convinceretur, omnis præſidii indignum fore profitetur, *ſed ne hoc quidem promovi*, inquit, *quod me ſæpe numero, & multifariam obtulerim (ut filius ſupplex & obediens S. Eccleſiæ Catholicæ) taciturum ſi per meos adverſarios liceat, omnium Univerſitatum non ſuſpectarum cognitionem, & ſententiam paſſurum, coram non ſuſpectis judicibus, ſacris & profanis, ſub fide publica humiliter compariturum, eorumque cognitionem, & ſententiam accepturum.* Verum hiſce Literis Cæſar nullum dedit reſponſum, rem, ubi in Germaniam venerit, diſcuſſurus.

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

Sæc. XVI. A.C 1518.

§. LI.

Alia Lutheri epistola ad Archiepiscopum Moguntinum.

Sleidan. in comm. lib. I. p. 48.

Die quarta Februarii Lutherus ad Moguntiæ Archiepiscopum, alias quoque dedit literas, in quibus ea, quæ in suis libris de communione sub utraque specie, & de Primatu Pontificis asseruerat, excusat, simulque hunc Præsulem rogat, ne ejus hostibus faciles aures præberet, nec illum indicta caussa damnaret. Postea declarat, quod duntaxat ab illis errorum redarguatur, qui illius libros vel non perlegissent, vel præjudiciis decepti evolvissent: hos ergo obtestatur, ut eum si erraverit, saniora docerent, cum semper docilem se ostendere velit, si convinci posset. Hisce literis respondit Archiepiscopus, hancque animi propensionem commendat, hortaturque, ut veritates in sacris literis contentas edocere pergeret, dummodo id debita moderatione, absque rancore, nec ex quodam seditionem contra Ecclesiæ auctoritatem fovendi studio faceret, dein significat, quod negotiorum frequentia ipsi quidem ejus libros perlegendi spacium præripuisset, de cetero tamen eorum censuram ac judicium Superioribus relinquat, ardenter vero tam eum quam omnes, qui de rebus fidei tractant,

stant, obsecret, ut id muneris modeste, absque injuriis, ac tumultu exerceant; additque, se permoleste ferre, quod hæ disputandi regulæ ignorarentur, pluresque Theologi nonnisi verborum asperitatibus dimicent, suasque opiniones haud tolerando fastu atque arrogantia tueantur, ac denique populum ejusmodi erroribus inficiant, quibus ad inobedientiam & Ecclesiasticæ auctoritatis contemptum pertrahuntur. Alia adhuc exstat Lutheri epistola sub idem ferme tempus ad Episcopum Merseburgensem data, unacum Præsulis responso, in quo de tumultu per Lutheri librum de communione sub utraque specie inter fideles suscitato queritur. Sæcul. XVI. A. C. 1520.

§. LII.

Romæ contra Lutherum agi cæptum.

Interea cum Romæ in reprimendis Lutheri progressibus longior mora traheretur, non pauci hanc cunctationem in re tanti momenti incusabant; quare Augustiniani, FF. Prædicatores, aliique datis ad Papam literis significabant, quod etiamsi in rebus levioris momenti cunctatio profanæ prudentiæ defectus sit, in materia fidei minima mutatio tolerari nequeat, ac harum turbarum progressibus *Sleid. l. c. l. 2. p. 50. Pallavicin. hist. Conc. Trid. l. 1. c. 20 Cochl. l. c.*

Sæcul. XVI A.C. 1520.

sibus ea, quæ in civili societate adhiberi solet, promptitudine sese non opponere certe crimen esset: Ariana hæresis, inquiebant ipsi, in suo exordio nonnisi scintilla fuit, quæ cum facile utpote extra Alexandriæ urbem nondum progressa, extinqui potuisset, neglecta tamen totum Christianum orbem incendio suo involvit, nec minori furore a Joanne Husso, & Hieronymo Pragensi Ecclesia fuisset prosciissa, si ea, qua cæperant, audacia prosequi permissi fuissent; proin Constantiensis Concilii severitas nullo unquam encomio satis laudari poterit. Hæc illi præscribebant; ast jam antea Eckius, & Joannes Ulricus eo fine Romam petebant, ut errores passim in Germania sparsos damnari urgerent. Horum primus tractatum de auctoritate D. Petri elucubrabat, illumque Leoni X. porrigebat, qui hoc donum perbenigne acceptabat, imo etiam Eckio significabat, quod hic liber Cardinalibus acceptissimus, ad instruendam censuram plurimum deserviret, ejus vero iter ad Romanam urbem eo potissimum nomine perutile foret, eoquod ex ceteris Theologis nemini vera Lutheri mens magis perspecta esset, cum ipse solus toties cum eo in arenam descendisset.

§. LIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. LIII.

Saxoniæ Elector præsidium Luthero a se præstitum excusat.

Tam crebræ, quibus Lutherus petebatur, accusationes tandem etiam Romæ ejus fidem suspectam reddebant, indeque omnes, qui eum protegere credebantur, offensionem incurrebant. Hos inter, cum præcipuus esset Elector Saxoniæ, qui aliunde Romani Pontificis gratia indigebat, impensum Luthero patrocinium, cujus postulatus est, excusare cogebatur. Ergo die prima Aprilis Valentino Deitleben Procuratori suo datis literis negotium dabat, ut summo Pontifici hæc significaret, quod nunquam Lutherum defendisset, nec doctrinæ ac librorum ejus patrocinium in se suscepisset, cum ejusmodi causæ ipsius fori non essent: equidem prosequitur Elector, hic Monachus cum applausu Doctorum prædicavit, ac palam docuit, comparuit etiam coram Papæ Deputatis, necnon revocationem scripto promisit, si ex S. Literis errorum convinci posset; præter hanc submissionem ab eo quid amplius jure exigi possit, haud video, nihilominus ex Saxonia excedere paratus fuisset, nisi illum Miltizius Nuncius Apostolicus detinuisset: hinc spero, quod ex his coram Sancti-

Sleidan. in comm. l. 2. p. 51. & 60.

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

Sanctitate sua impactum patrocinii crimen satis superque diluerim, proin obstacula, quæ Romanam causſæ meæ decisionem retardabant, submoverim: de cetero jamjam datis ad Gregorium Cardinalem literis contestatus sum, quantum alienus sim ab illis erroribus, quorum liberam in ditione mea prædicationem indulsisse accusor, Lutherus autem ab Eckio, aliisque vehementius, quam par erat, exagitatus fuit, unde timendum, ne ejusmodi altercationes graviora provocent mala, nullum vero superſit remedium, quam ut ejus doctrina per valida argumenta, ac claros Sacri Codicis textus erroris convinceretur, non vero tempus fallendum esse puto censuris; eas enim nonnisi graves in Germania tumultus non sine Pontificis dispendio susciturus prævideo.

§. LIV.

Lutherus ab Augustinianorum capitulo sese submittere jussus.

Pallavicin. hist Conc. Trid. l. 1 c. 14

Cum interea Elector ita pro Luthero peroraret, Miltizius Sedis Apostolicus Nuncius FF. Eremitarum S. Augustini comitia, quæ tum in Saxonia celebrabantur, accessit, rogans, ut congregati Patres Lutherum ad obedientiam auctoritate sua compellerent. Ergo illi quantocius

tocius ad Lutherum duos ablegant, qui rationum momentis, precibus ac monitis deviam ejus mentem reducerent, atque ad meliorem frugem revocarent. Aſt Lutherus benigna hac agendi ratione nonniſi ferocior factus eſt, nihilominus ob Capituli reverentiam audaciæ ſuæ ardorem demittere ſimulabat, pollicitus, ſe Superiorum ſuorum voluntati morem gerendi ſtudio conaturum, ut Pontificem datis literis placaret; verum iis uſus erat verbis, quæ magis ad exulcerandum quam ad ſanandum vulnus apta erant.

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

Cochlæus an. 1520. Rayn. ib. n. 51. Ulemb. cap. 5 Sleid. in comm. lib. 2. 37.

§. LV.

Epiſtola Lutheri ad Leonem Papam.

In hiſce literis ita alloquitur Papam: „ Etſi ad Concilium a Sanctitate veſtra provocaverim, interea tamen preces ad Deum pro veſtra ſalute effudi: „ magno mihi datur crimini, quod nomen tuum, dignitatemque læſiſſe dicar: ea criminatio admodum mihi acerbe accidit: fateor quidem, quod in reprehendendis erroribus atque vitiis acer fuerim, de Sanctitate tamen veſtra ſemper præclare ſcripſi, quod & libris meis demonſtrari poteſt: Aulam quidem Romanam redargui, ſed ilia magis quam olim aut Babylon aut Sodoma

Inter epiſt. Luth. ad Leon. X. t. 2. fol. 83. 6. April. 1520 Micrælius ſintagm. hiſt. p. 80. Sleid. in com. l. 2. p. 38. & 39.

Sæcul.XVI. A.C.1520.

„ doma, corrupta atque scelerata est, & „ ad illius impietatem nihil adjici potest, „ vehementer itaque doleo, quod San- „ ctitas vestra, velut Agnus inter Lupos, „ ibi versetur; indigna est Roma, cui vel „ Sanctitas tua, vel tibi consimiles boni „ Viri præsideant: multa quidem scri- „ psi, quæ ad doctrinæ pertinent emen- „ dationem atque vitæ, non quod Ro- „ mam sanari posse credam, verum ut „ saltem aliquos ab illo vitiorum erga- „ stulo liberem: hinc Bernardus deplo- „ ravit Eugenii Pontificis conditionem, „ cum adhuc Roma esset aliquanto pu- „ rior, nunc vero, quando est omnium „ malorum sentina, potiori jure Pontifi- „ cem, qui ibi præsidet, deplorare pos- „ sum.„ Postea de Cardinale Cajeta- no mentionem ingerit, dicitque, „ in il- „ lius potestate fuit caussam componere, „ si voluisset silentium adversariis meis „ imponere, sub ea enim lege & ipsus „ spopondi, quod nil ultra movere ve- „ lim. Denique cum Miltitio Nuntio „ duplex habui colloquium, re tamen „ semper infecta, eoquod hostes mei tam „ aspere contra me tumultuati sint„ his subjungit „ Lipsiensis disputatio unice ad „ augendos tumultus deserviit. Deni- „ que epistolam suam absolvit his verbis „ Papam allocutus, omnis contentio mi- „ hi vehementer displicet, neminem ego „ lacessere

„ lacessere volo, nec ab aliis lacessiri pa- Sæcul. XVI.
„ tior, si tamen convitiis & injuriis pe- A. C. 1520.
„ tar, non defuturus sum caussæ: ut
„ autem palinodiam canam, nemo a me
„ præstoletur, de cetero, in potestate
„ Sanctitatis vestræ jam est, ut litem com-
„ ponat uno verbo, scilicet, si ejus co-
„ gnitionem in se recipiat, & utrique
„ parti silentium imponat. „

Data est hæc epistola die sexta Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo, ad quam tamen nullum dedit responsum Pontifex.

§. LVI.

Liber de Christiana libertate a Luthero Pontifici nuncupatus.

Sub idem tempus Lutherus librum, quem *de libertate Christiana* composuit, erroribus, ac calumniis plenum summo Pontifici nuncupavit. In eo docet, quod justificatio per solam fidem fiat, eaque omnia præstet, necnon per illam nos liberemur ac salvemur absque bonis operibus, cum ea inutilia reputaret: addit nihilominus, se illa non rejicere, imo ad eorum exercitium adhortari, condemnat vero eos, qui per ea justitiam consequi posse sperant, certus sum enim, inquit, illa non reddere hominem justum, sed supponere hominem jam justificatum

Cochl. ann. 1520. *Ulemb. cap.* 5 *Sleid. l.* 2. *p.* 39.

Saecul. XVI A. C. 1520.

per fidem, nec ab ullo fideli actionem vere, sed duntaxat specietenus bonam exerceri posse. Denique ad finem libri sui inquit. ritus Ecclesiæ non contemno, nonnisi superstitiones damno: cum vero Lovanienſis & Colonienſis Universitates hunc librum proscriberent, Lutherus hac super re conquestus ait. „ Quid mali fe-
„ cit Sanctissimus Pater hisce Scholis,
„ ut librum ejus nomini dicatum atque
„ ad ejus pedes, ut illius judicium præ-
„ stolaretur, provolutum ex ipsius mani-
„ bus eriperent. „

§. LVII.

Lutheri tractatus de confessione.

Luth. oper. tom. 1. Sleidan. in com. l. 2. p. 39.

Lutherus, ut Saxoniæ Electorem adversa valetudine pressum firmaret, eidem duos inscripsit libellos, unum pro consolatione afflictorum, (*) alterum de ratione confitendi. In primo differit de prosperis & adversis, necnon de recto eorum usu, ac de rationibus ac cautis gaudii vel mœroris; in secundo autem admisit confessionis usum in verbis Christi Domini fundatum, qui confitentibus veniam pollicitus esset. Dein probandum assumit, quod verum Christianum non securum

(*) *Hic libellus a Luthero vocatur* Tessaradecas consolatoria.

rum reddat exacta omnium peccatorum suorum discussio, sed certa Christi promissio, qui dicit ea esse remissa; hinc ajebat Lutherus: ante omnia oportet coram Deo peccata confiteri ac demum ex intimo corde præteritæ offensæ odium concipere, illud autem unice ad sinceram vitæ emendationem tendere dicebat. Præterea affirmabat, quod accurata peccatorum particularium explicatio nec requiratur, nec fieri possit tum ob immensam malitiam, tum ob extremam, cui cor humanum post peccatum originale obnoxium est, infirmitatem; præcipue vero asserebat discrimen esse faciendum inter peccata commissa contra Dei præcepta, & contra leges humanas, cum hæ in conscientia obligandi vi carerent. Redarguit quoque illos Theologos, qui audacter definiunt, hanc venialem, illam lethalem esse noxam, cum tamen omnes actiones nostræ, inquit ille, absque Dei misericordia, mortales ac damnatione dignæ essent. Illud etiam adoptat Gersonii consilium, ubi dicit, quod intrepide absque confessione Sacra Synaxis recipi possit, etiamsi quis vel anxietate mentis laboret, vel cujusdam peccati venialis reum se agnoscat. Insuper dubitat, an quædam peccata reservari potuerint, docetque, a conscientiarum arbitris absque

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

Secul. XVI. A.C. 1520. anxietate a cenſuris abſolutionem eſſe impertiendam.

§. LVIII.

Lutheri ſcriptum adverſus vota.

Eodem etiam tempore libro edito votorum frequentiam vituperat, ſævitiamque parentum ac tutorum deplorat, eo magis barbaram, quo ferventius eam ex pietatis obtentu explerent; his ſubjunxit, quod votorum uſum in Eccleſiam introduxerit ignorantia, & avaritia, necnon inæqualis parentum in ſuos liberos affectus ac denique magnum proles e parentum domo ac cura extrahendi deſiderium, cum tamen non aliud veniret negotium, majori attentione ac ſcrupulo diſcutiendum, quam ipſa ſtatus perpetui electio, quapropter Epiſcopos, ac Verbi divini Præcones adhortatur, ut illam, qua potiſſimi moventur, vota emittendi propenſionem e fidelium cordibus evellere conarentur; ad eundem quoque cenſum revocat peregrinationes ſacras, quin imo effutire haud erubeſcit, optandum fore ut nulla alia præter Baptiſmi votum fierent, ac denique contendit, quod ea, quæ Deo fuiſſent facta, vota ſolvendi poteſtas Pontifici haud competat, nec votum caſtitatis ante pubertatis annos valeat, hinc a ſe optari ajebat, ut Religioſa profeſſio

feſſio a pueris nonniſi decimo octavo vel vigeſimo, a virginibus vero decimo quinto vel decimo ſexto ætatis anno fieret. Ceterum Lutherus, priusquam a Leone X. ſolemni damnationis nota perſtrictus fuerat, alia præter recenſita opuscula conſcripſiſſe haud videtur. Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. LIX.

Cæſar Lutherum cuſtodiæ dare, a Papa ſollicitatus.

Interea Lutherum Elector Saxoniæ, Seguingus celebris Bellidux, Huttenus, ac alii nobiles, eoquod terras a Majoribus ſuis Eccleſiæ donatas vindicare cupidi eſſent, conſtanti potentique favore tuebantur: Igitur ſummus Pontifex Lutherum horum præſidio fretum comperiens, ad ſuum in Hiſpania Nuntium literas dedit, eidem injungens, ut Carolo Religionis diſcrimen, quod Imperii Status ſubiret, exponeret, rogaretque, ut Lutherum comprehendi juberet. Nuncio repoſuit Cæſar, huic Monacho patria talis eſt, in qua non ea, ac in Italia facilitate de hominum libertate decernitur; priusquam igitur Francofordiæ coronatus ero, Sanctitatis veſtræ voto ſatisfacere non valeo; quippe ante hæc ſolemnia mihi haud licet, jurisdictionem in imperio exercere; peracta tamen in-

Sæcul. XV. A.C. 1520.

auguratione Wormatiæ generalia convocabo comitia, atque jubebo, ut Lutherus compareat, ac coram Principibus doctrinæ suæ rationem reddat, quem haud repugnanter, si reus inveniatur, Sanctitatis suæ Ministris tradam. Cum vero hoc medium longiori moræ expositum, atque aliunde Lutheri causa jamjam ad Pontificis tribunal devoluta esset, illam in Germaniæ comitiis decidere, minus decebat, atque ipse Imperator spiritualem jurisdictionem labefactare videbatur: quapropter quid denique hac in re decernendum esset, summus Pontifex Cardinalium, Prælatorum, Theologiæ, jurisque Doctorum congregationem instituit.

§. LX.

De Bulla adversus Lutheri errores promulganda Romæ actum.

Sleidan. in com. l. 2. p. 53. Cochl. ann. 1520. p. 53.

Primo inter Theologos circa judicii normam nonnulla movebantur dubia, utrum nempe Lutherus secunda vice citandus esset; nam speciatim de illius doctrina, libris nec non & de ejus persona agitatum; & quantum ad primum articulum censebant Patres, quod Lutherum audire, haud ulla necessitas suaderet, cum publicum ac evidens esset, illum ejusmodi

di doctrinam sparsisse; quod vero ejusdem libros spectaret, decretum, eos per Constitutionem Apostolicam damnandos, ignique tradendos esse; denique circa ejus personam conventum est, quod omnino expediret, ut Auctor tempore ipsi præfigendo comparere juberetur. His ita conclusis Anconitanus Cardinalis de modo hanc Bullam condendi agere cæpit, ac quamdam illius formam exhibuit in Congregatione prælectam; verum Laurentius Puccius Cardinalis Datarius aliam a semetipso confectam porrexit; unde inter ambos hosce Cardinales vehementior exorta est contentio, quovis laboris sui partum a ceteris acceptari gestiente. Ast Pontificis auctoritate brevi lis extincta est, & Papa Anconitani Cardinalis formulam præferens, illam Theologis prudentia & eruditione longe clarissimis discutiendam tradidit, qui subinde nonnulla mutanda censebant: Tandem vero satis elimata in quadam Congregatione prælecta, unanimi consensu approbata, atque ad illius normam condita fuit celebris illa Leonis X. Constitutio, hoc anno millesimo quingentesimo vigesimo die decima quinta Junii contra Lutherum promulgata.

Sæcul. XVI. A. C. 1520

Secul. XVI. A.C. 1520.

§. LXI.

Bulla Leonis X. contra Lutherum.

EXorditur Papa ab illis Psalmi 73. v. 23. & seq. verbis: *Exurge Domine, judica causſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum, eorum, quæ ab inſipientibus ſiunt tota die: inclina aurem tuam ad preces noſtras, quoniam ſurrexerunt vulpes, quærentes demoliri vineam, cujus tu torcular calcaſti ſolus.* His igitur verbis Papa ante omnia ſermonem ſuum ad Chriſtum Dominum convertit, poſtmodum imploravit etiam auxilium SS. Petri, & Pauli, cum hi Romanæ Eccleſiæ conditores ac primi illius Martyres extitiſſent (*) *Jam enim*, proſequitur Papa, *ſurgit novus Porphyrius, quia ſicut ille olim ſanctos Apoſtolos injuſte momordit, ita hic ſanctos Pontifices*

(*) *Hæc qui legis, haud ſuſpiceris, a ſummo Pontifice Leone X. D. Paulo parem in Eccleſia cum S. Petro ordinariæ jurisdictionis & regiminis poteſtatem tribui, non enim Leo Papa S. Petrum Eccleſiæ* fundatorem *vocat, ſed duntaxat* paſtoralem illius curam ei demandatam *eſſe aſſerit, D. Paulum vero celebrat, quod* doctrina ſua parique Martyrio Eccleſiam illuminaverit, atque illuſtraverit. *Hæc cur annotaverim, quamque a Continuatoris verbis diverſa ſint, eruditus Lector facile perſpiciet.*

fices Prædeceſſores noſtros invadere, ac ubi cauſſæ ſuæ diffidit, ad convitia accedere non veretur, more hæreticorum, quorum, ut inquit Hieronymus, ultimum præſidium in eo vergit, ut ipſi, cum conſpiciant cauſſas ſuas eſſe amiſſuros, incipiunt virus ſerpentis lingua diffundere, & ad contumelias proſilire, cum ſe victos cernunt. Poſt hæc *exurgat*, inquit Papa, *omnis Sanctorum, ac reliqua univerſalis Eccleſia, cujus vera ſacrarum literarum interpretatione poſthabita, quidam, quorum mentem Pater mendacii excæcavit, Scripturas easdem aliter quam Spiritus Sanctus flagitet, proprio duntaxat ſenſu ſapienter interpretantur, imo vero torquent, & adulterant : ut jam non ſit Evangelium Chriſti, ſed hominis, & quod pejus eſt, diaboli.*

Sæc. XVI. A C. 1520.

Dudum quoque, quod præ animi mœrore & anguſtia exprimere vix poſſumus, ad noſtrum pervenit auditum, multos & varios errores, jam per Concilia, ac Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones damnatos hæreſim etiam Græcorum, & Bohemorum expreſſe continentes, nuper in inclyta natione Germanica ſeminatos eſſe. Quod eo magis dolemus ibi eveniſſe, quod eandem Nationem, & nos, & Prædeceſſores noſtri in viſceribus ſemper geſſerimus charitatis. Nam ſemper ex eis Eccleſiæ Advocatos, defenſoresque accepimus, eosque conſtat acerrimos hæreſum

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

oppugnatores semper fuisse, cujus rei testes sunt laudabiles illæ Constitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate Ecclesiæ. Testis est in Concilio Constantiensi Hussitarum ac Wiclefistarum damnata, ac punita perfidia; testis est toties contra Bohemos Germanorum sanguis effusus. Testis denique est prædictorum errorum per Coloniensem, & Lovaniensem Universitates non minus docta, quam vera, ac sancta confutatio, & damnatio. Pro pastoralis igitur officii cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus pestiferum ulterius tolerare seu dissimulare, sine Christianæ Religionis nota, atque Orthodoxæ fidei injuria, nullo modo possumus. Eorum autem errorum aliquos præsentibus duximus inserendos ex Lutheri libris decerptos, *quorum tenor sequitur, & est talis.*

§. LXII.

Lutheri errores ad quadraginta & unum articulos redacti, ac damnati.

I. (*) *Hæretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.*

II. In

(*) P. Labbeus in Collect. Concil. tom. 14. p. 392. non nisi triginta quinque damnatas propositi-

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

II. In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.

III. Fomes peccati, etiam, si nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu cœli.

IV. Imperfecta charitas morituri, fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam purgatorii & impedit introitum regni.

V. Tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura, nec in antiquis sanctis Christianis Doctoribus.

VI. Contritio, quæ paratur per discussionem, collationem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ Beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.

VII. Verissimum est proverbium; & omnium doctrina de contritionibus hucusque data, præstantius de cetero non facere, summa pœnitentia: optima pœnitentia nova vita.

VIII. Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia

---

positiones exhibet; hoc autem ideo factum, quia ibi recensentur articuli, in quibus plures ejusmodi articuli comprehenduntur.

Sæcul. XVI. A C. 1520.

quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

IX. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volimus relinquere ignoscendum.

X. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote credat sibi remitti: imo peccatum maneret, nisi remissum crederet; non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

XI. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi, quodcumque solveris, &c. hic, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

XII. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

XIII. In Sacramento Pœnitentiæ, ac remissione culpæ non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus Sacerdos: imo ubi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiam similiter aut puer esset.

XIV. Nullus debet Sacerdoti respondere, se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

XV.

Sæcul. XVI. A. C. 1520.

XV. Magnus est error eorum, qui ad Sacramenta Evchristiæ accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas & præparatoria, omnes illi ad judicium sibi manducant, & bibunt: sed si credant, & confidant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros & dignos.

XVI. Consultum videtur, quod Ecclesia in communi consilio statueret Laicos sub utraque specie communicandos, nec Bohemi communicantes sub utraque specie, sunt hæretici, sed Schismatici.

XVII. Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi & Sanctorum.

XVIII. Indulgentiæ sunt piæ fraudes Fidelium & remissiones bonorum operum: & sunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum, quæ expediunt.

XIX. Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.

XX. Seducuntur credentes Indulgentias esse salutares & ad fructum Spiritus utiles.

XXI. Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo & impatientibus.

XXII. Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ nec utiles, videlicet

Sæcul. XVI. A.C. 1520

cet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

XXIII. Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

XXIV. Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem quam timere,

XXV. Romanus Pontifex Petri Successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro institutus.

XXVI. Verbum Christi ad Petrum quodcunque solveris super terram, &c. extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro.

XXVII. Certum est in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsus non esse statuere articulos fidei, imo nec leges morum, seu bonorum operum.

XXVIII. Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret: adhuc non est peccatum aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

XXIX. Via nobis facta est, enervandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum

verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio. Sæcul. XVI. A.C.1520.

XXX. Aliqui articuli Joannis Hus condemnati in Concilio Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi, & Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

XXXI. In omni opere bono justus peccat.

XXXII. Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

XXXIII. Hæreticos comburi, est contra voluntatem Spiritus.

XXXIV. Præliari adversus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

XXXV. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium.

XXXVI. Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo; & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter.

XXXVII. Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quæ sit in Canone.

XXXVIII. Animæ in purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes: nec probatum est ullis aut rationibus, aut Scripturis, ipsas esse nec extra statum merendi, aut agendæ charitatis.

XXXIX. Animæ in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

XL.

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

XL. Animæ ex purgatorio liberatæ ſuffragiis viventium minus beantur, quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.

XLI. Prælati Eccleſiaſtici, & Principes ſæculares non male facerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.

§. LXIII.

Proſecutio Bullæ Leonis X. contra Lutherum.

His ſubjungit Pontifex in eadem Conſtitutione: *Nos in præmiſſis utpote graviſſimis propenſius (ut decet) procedere, necnon hujusmodi peſti viam præcludere cupientes, habita ſuper prædictis erroribus, & eorum ſingulis diligenti diſcuſſione, ac diſtricto examine, omnibusque rite penſatis cum S. R. E. Cardinalibus, ac Regularium Ordinum Miniſtris generalibus pluribusque aliis Theologiæ, Jurisque Magiſtris reperimus eosdem errores reſpective eſſe contra Eccleſiæ doctrinam ſive traditionem, & contra veram divinarum Scripturarum ab ea receptam interpretationem. Unde auctoritate Dei, & B. Apoſtolorum Petri & Pauli & noſtra, præfatos omnes & ſingulos articulos ſeu errores tanquam reſpective hæreticos, aut ſcandaloſos, aut falſos, aut piarum aurium offenſivos, vel ſimplicium mentium ſeductivos, & veritati Catholicæ obviantes damnamus, atque omnino rejicimus, inhibentes ſub majoris*

joris excommunicationis latæ ſententiæ ac privationis omnium dignitatum, ne quis præfatorum errorum aliquos aſſerere, defendere, docere, prædicare, aut illis quomodolibet publice vel occulte, quovis quæſito colore vel ingenio, tacite vel expreſſe favere præſumat; Mandamus etiam Locorum Ordinariis aliisque, ut ſcripta, libellos, vel in eis contenta capitula, articulos ſupradictos continentia diligenter quæſita, publice, & ſolemniter in præſentia Cleri, & populi, ſub omnibus & ſingulis prædictis pœnis comburant.

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

Poſtmodum Papa conatus, quos ad revocandam emotam Lutheri mentem, atque impetrandam errorum ſuorum deteſtationem adhibuiſſet, enarrat. *Poſtquam enim*, proſequitur Papa, *ipſum citavimus, mitius cum eo procedere volentes illum invitavimus, atque tam per diverſos tractatus cum Legato noſtro habitos, quam per literas noſtras hortati fuimus, ut a prædictis erroribus diſcederet; aut ad nos, oblato etiam ſalvo conductu, & pecunia ad iter neceſſaria, ſine metu ſeu timore veniret. Quod ſi feciſſet, pro certo, & ut arbitramur, ad cor reverſus errores ſuos cognoviſſet: nec in Romana Curia, quam tantopere vanis malevolorum rumoribus plus, quam oportuit, tribuendo vituperat, tot reperiſſet errata; ſed citatione, omnibusque ſupradictis ſpretis venire contempſit, ac contumax de citatione*

Secul. XVI. A.C. 1520.

hujusmodi notitiam habens in vocem temeratiæ appellationis prorupit ad futurum Concilium, contra Constitutionem Pii II. ac Julii II. Prædecessorum nostrorum, qua cavetur, taliter appellantes hæreticorum pœna plectendos: contra ipsum ad condemnationem ejus tanquam hæretici procedere possemus; nihilominus Dei clementiam imitantes, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat, de venerabilium Fratrum nostrorum consilio, ipsum Martinum per viscera misericordiæ Dei hortamur, ut pacem Ecclesiæ turbare desistat, & a tam perniciosis erroribus prorsus abstineat. Alioquin ipsum Martinum, ejusque adhærentes requirimus, ipsisque mandamus, ut infra sexaginta dies a præfatis erroribus desistant, librosque præfatos errores continentes comburant, vel comburi faciant. Si vero secus egerint, ac præmissa infra terminum prædictum non adimpleverint, declaramus eosdem tanquam notorios, & pertinaces hæreticos pro talibus ab omnibus haberi mandamus, eosque omnibus pœnis a jure inflictis subjicimus. præterea monemus singulos Christi fideles, ut eos post lapsum termini prædicti evitent, nec cum eis commercium, vel aliquam communionem habeant, nec eis necessaria ministrent. Mandamus etiam, ut eos personaliter capiant, loca vero, ad quæ eos declinare contigerit, quamdiu ibi permanserint, Ecclesiastico subjicimus interdicto. Denique

nique Pontifex in fine ceteras solemnitates ad ejusmodi casus requisitas subjungit. Sæcul. XVI. A.C. 1520.

Non deerant inter Lutheri fautores, qui hanc Leonis Constitutionem reprehenderent; ac primo quidem carpebant, articulos in diplomate propositos sub incerta verborum clausula fuisse damnatos. II. Sugillabant, inter quadraginta & unum articulos in Bulla proscriptos reperiri aliquos, quos ejus Prædecessores inter Græcorum errores damnassent. III. Opponebant, quod Pontifex de tot, tantique momenti articulis fidem concernentibus, ex solo Curiæ Romanæ consilio judicium tulisset, nec rem cum majori Italiæ Episcoporum parte communicasset (*). Ipsi quoque Luthero tam subita (ut putabat ipse) errorum suorum damnatio haud exiguam admirationem peperit; ac caussæ suæ desperans Seguingum interpellavit, ut precibus apud Cæsarem id efficeret, quatenus illius interventu honestis sub conditionibus in Sedis Apostolicæ gratiam redire posset. *Pallavic. hist. Conc. Trid. l. 1. c. 21. n. 3. 6. & 7.*

(*) Hæc opposuit Paulus Suavis (vulgo dictus Fra Paolo) ac subdole ea a rerum peritis in Leonis Constitutione annotata fuisse dixit: uti refert Pallavicinus, ex quo Continuator ea descripsit, omittens tamen mentionem facere de solida eorum confutatione, quam idem Pallavicinus loco supra citato adjecit.

Sæcul. XVI. A. C. 1520.

§. LXIV.

Lutheri liber de captivitate Babylonica.

Sleidan. comm. de Statu Relig. & Reip.

Cochl. l. cit. an. 1520. p. 26.

Verum Lutherus, ubi Constitutionem jamjam promulgatam, suosque errores debita solemnitate damnatos cernebat, jam omnia modestiæ repagula effringens librum edidit, quem inscripsit *de captivitate Babylonica;* in eo tam protervos divulgavit errores, ut eorum perversitas propositiones mox a Papa confixas longe excederet: Præprimis sese indies magis illuminari jactitat, dein prosequitur, pœnitet me eorum, quæ ante biennium adhucdum Romanæ Curiæ superstitionibus immersus de indulgentiis docui. Tum necdum eas penitus rejiciendas censui, nunc vero cognosco *illas aliud non esse, quam meras adulatorum Romanorum impostoras, quibus & fidem Dei, & pecunias hominum perderent.* Displicet mihi ea moderatio, qua tum Papatum humani saltem juris esse admittebam, nunc vero scio, & certus sum, *Papatum esse Regnum Babylonis, & potentiam Nembroth robusti venatoris.* Scripseram olim, conveniens fore, ut utramque Sacramenti speciem Laicis porrigendam esse Concilium generale statueret, nunc vero conabor ostendere, *omnes esse impios, qui utriusque speciei communionem Laicis de-*

ne-

negant. Hucusque septem dari Sacramenta affirmabam, nunc *tria tantum pro tempore dono*, *Baptismum*, *Pœnitentiam*, *& Panem.* Denique summa arrogantia in Romanam Ecclesiam, a qua primum damnatus erat, apertis furiis tumultuabatur, atque inter dogmata, cujus fundamenta subvertere tentabat, præprimis *Transubstantiationis* articulum impugnabat. Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. LXV.

Lutheri opinio de Eucharistia.

Agitabat quoque Lutherum cunctis contradicendi libido, ut etiam realem Christi Domini præsentiam in Evchari- *Epist. ad Ar-*
stia negaret; idque satis aperte declara- *geutin. t. 7.*
bat in quadam ad Argentinenses epistola, *fol. 501.*
in qua hæc scribit, gratissimum prorsus mihi accidisset, si opportuna mihi obvenisset occasio hanc quoque sacramentalem præsentiam inficiandi; nil enim aptius meum Papatui nocendi propositum juvisset. Attamen nimium evidenter convictus erat de illius veritate per ipsam vim, ac perspicuum horum verborum sensum: *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*: *hoc corpus tradetur pro vobis; his sanguis novi testamenti: hic sanguis effundetur pro vobis in remissionem peccatorum.* His verbis convictus nunquam Lutherus sibi persuasum reddere poterat, quod Christus Sacramenti sui *Inter opera Luth. l. de capt. Bab. t. 2. fol. 60.*

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

institutionem ſtudioſe obſcurare voluerit, ac verba tam plana ad figuras adeo contortas atque alium ad ſenſum detorquere, quam quem omnes Chriſtiani tam Orientalis quam Occidentalis Eccleſiæ populi ſuapte natura inditum receperunt, nec unquam ab hujus traditionis Religione aut ſublimitate myſterii, aut Berengarii, vel Wiclefi argutiis averti poterant: Lutherus tamen quicquam de ſuo addere voluit, afferens, quod ſextum S. Joannis caput nonniſi de ſpirituali manducatione Chriſti intelligendum foret, ac ipſe panem, & vinum in Evchariſtia remanere, partim cum Wiclefo crederet, partim vero cum ſophiſtis (ita Theologos Catholicos conviciabatur) teneret, verum Chriſti corpus, verumque ejus ſanguinem eo modo in illis contineri, quo ignis in ferro candenti ſeſe metallo inſinuat, adeo, ut ſicut quædam talis ferri particula ignis eſt ſimulque ferrum, ita etiam quævis minima panis & vini pars junctim ſit vinum & panis, ac corpus & ſanguis Chriſti. Nonnunquam etiam addebat Lutherus, corpus ita eſſe in pane, & ſub pane, prout vinum exiſtit in & ſub dolio. Nihilominus afferebat, quod tam *tranſubſtantiationis*, quam *conſubſtantiationis* opinionem promiſcue admitteret, ac duntaxat hac in re dubium ſeu ſcrupulum tolleret; in alio autem libro, cum ei-

Reſp. ad Argent. artic. extract. ib. p. 172.

eidem, quod panem in Euchariſtia remanere docuiſſet, objiceretur, id minime negabat, affirmans tamen: „ Nunquam alteram damnavi opinionem, dixi ſolum, eam non eſſe fidei articulum. „ Aſt brevi in pejora prolabebatur, ut mox percipiemus. Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. LXVI.

Lutheri opinio de Miſſa, aliisque Sacramentis.

Ceterum Lutherus de S. Miſſæ Sacrificio agens calumniatur: cœpiſſe hoc Sacramentum adeo divinum, fieri turpe monopolium, eoquod ad ſuſtentandos Sacerdotes & Monachos ordinatum eſſet: fatetur tamen, quod res oppido ardua eſſet, uſum plurium ſæculorum religione in Eccleſia ſtabilitum evertere, nihilominus, inquit, audendum eſt aliquid, reſecandæ ſunt orationes, ac Miſſæ ritus, ſola Chriſti Domini hoc Sacrificium inſtituentis verba ſerventur, bonæ quidem, quæ ibi fiunt, ſunt orationes, ſed Sacramento minus congruæ, nam elevatio ſapit quasdam de Judæorum ritibus reliquias, qui holocauſta ſua, quæ Domino offerebant, elevarunt; optarem quoque Miſſam dici in lingua vulgari, dein Baptismum impetit, ac hunc totum a ſola in Chriſti promiſſionem fide, cujus Baptismus exterior non niſi ſignum

De captiv. Babyl. t. 2. fol. 86.

Sæcul. XVI A C. 1520.

est, dependere asserit, eodemque loco solum Baptismi votum, rejectis ceteris omnibus approbat. Pariter totam pœnitentiæ virtutem ad fidem in Christi promissionem reducit, confessionem tamen tanquam utilem quin & necessariam adstruit, nihilominus illam ob casuum reservationem in tyrannidem degenerasse, ajebat, atque docere præsumit, quod ad obtinendam absolutionem sufficeret peccata sua simplici Laico confiteri. Confirmationem, atque extremam unctionem ad cæremonias a Patribus receptas rejicit, illasque certo, quod conferant gratiam, promisso carere affirmat, ut vero ad epistolam S. Jacobi cap. 5. responderet, illam, quamvis eam esse canonicam nunquam Ecclesia dubitasset, ex sacrorum librorum albo expungit, asserit etiam, *probabiliter non esse Apostoli Jacobi, nec Apostolico Spiritu dignam.* Hac nempe temeritate petulans ille Reformator a sacri Codicis canone pro arbitrio suo delevit, quicquid cum suis deliriis conciliare non poterat. Matrimonium quoque novæ Legis Sacramentum esse pernegat, denique Sacerdotes a lege Cælibatus, ac pensi horarii recitatione eximit.

Sub idem tempus aliud in Germania edidit opusculum adversus Curiam Romanam, non alio ex consilio, quam ut illam

illam Germanis inviſam redderet; ibidem pluribus commemorat bella, quæ Romani Pontifices, ut auctoritatem ſuam magis extollerent, contra Cæſares geſſiſſent, dein aſſerit, quod Cæſaris ac Laicorum Principum gladii in omnes non modo Laicos, ſed & Clericos liberam, atque æqualem cum Papa haberent poteſtatem. Poſt hæc totam Germaniæ Nationem ad excutiendum Pontificiæ poteſtatis jugum concitat, ac reformationis normam proponit, in qua Papam & Epiſcopos Imperatori ſubjicit, ac ſummo Pontifici ſacras literas interpretandi, aut generales Synodos convocandi auctoritatem abnegat; denique declamat contra mores, ac Romanæ Curiæ abuſus, & rem prorſus indignam eſſe affirmat, quod Papa triplici honoretur diademate, cum tamen Reges nonniſi unicam deferrent coronam; ac potius Papam utpote Dei crucifixi vicarium potius deceret, ut ejusmodi faſtum, pompamque abjiceret; Cardinales quoque tanquam fæcem inutilium hominum, qui Italiam atque Germaniam exhaurirent, traducit, ac dicit, quod Miniſtrorum Papalium numerum minui, ac Annatas aboleri oporteret, necnon Pontifici eripienda eſſent omnia Epiſcopos electos confirmandi, atque Archiepiſcopis *Pallium* concedendi jura; præcipue vero inſolentiſſime carpit *Data-*

Sæcul. XVI. A. C. 1520.

Sæcul. XVI. A.C 1520.

riam Romanam, eamque tanquam latronum ſpeluncam conviciatur; præterea jus Pontificium penitus everti poſtulat, negatque, quod ſummis Pontificibus ullum jus in utriusque Siciliæ Regna competeret. Ceterum Lutherus hoc opuſculum eo duntaxat fine conſcripſit, ut damnationis ſententiæ nuper contra errores ſuos latæ omnem vim auctoritatemque adimeret.

§. LXVII.

Tumultus abeunte Cæſare in Hiſpaniis ſuſcitati.

Anton. vera hiſt. Car. V. p. 28. & ſeq.

Quamvis Carolus Cæſar nulli ſolertiæ peperciſſet, ne Hiſpania, dum ipſe interim ad accipiendam Imperii coronam in Germaniam abiret, tumultibus agitaretur, nihilominus nondum iter aggrediebatur, cum jamjam ſeditiones conflari, non ſine animi ſui faſtidio percepiſſet. Harum auctores erant Antonius Acugna Zamorenſis Epiſcopus, Joannes de Padilla & Joannes de Bravo, quorum artibus rebellionis flamma ſenſim ſuccreſcens, Regnum fœde vaſtabat, nec deerat ſeditioſis obtentus; cauſſabantur enim, Cæſarem haud amplius in Caſtellam reverſurum, ſed illam ceteris Provinciis aggregaturum, relicto ejus regimine nonnullis Proregibus; Rumor quoque

que spargebatur, quod Cæsar in Flandria Sedem fixurus, ac proin omnes Hispaniæ thesauros eo delaturus esset. Hæc primo studiose latius disseminabantur ab illis, qui turbas inde natas in rem suam vertentes clam populos ad seditionem concitabant, quos inter primi erant Segobienses; ibi enim sumptis armis Adrianum Cardinalem cum omnibus Nationis suæ Viris ex Hispania excedere compellebant. Hic idem erat, quem Carolus se absente Regnorum suorum Præfectum nominabat, adjunctis eidem quibusdam Consiliariis, omnibus natione aut Hispanis, Castellanis, aut Arragonensibus. Nihilominus Adrianus rebellium furori aliquamdiu cedere compulsus, quid in periculosa hac rerum vicissitudine consilii esset, cum suo Senatu deliberabat, tandem vero decretum, seditiosorum petulantiam armis compescendam esse. Ergo Alcaidæ Ronquillo consilii exequendi provincia demandatur, qui cum valido milite recta Segobiam petens, urbis portas sibi aperiri jussit; ast civibus parere renuentibus ad extrema prolapsus, totam circum regionem ferro flammaque devastavit. Sæcul. XVI. A C. 1520.

Sub idem tempus Toleti rumor in vulgus manabat, quod Cæsar haud alio ex consilio secum Matrem suam eduxisset, quam quia in Castellam haud ultra

reverti

Secul. XVI. A. C. 1520.

reverti cogitaret; ad incertos ergo hosce sermones pauper quidam opifex natione Lusitanus Vallisoleti, ubi tum Cæsar agebat, majorem campanam Parochialis Ecclesiæ ad D. Michaelem pulsare aggreditur, moxque plusquam sex millia infimæ plebis concurrere, ad arma volare, omnesque Carolum impedire, ne urbe excederet, aut iter prosequeretur. Hanc populi Seditionem Hispani vulgo *Hispaniæ communitates* appellant, cui nominationi ab exteris (ut inquit Antonius Vera) siniſtra interpretatio attribuitur; eo enim nomine hi seditiosi appellabantur, quod illis ex nobilibus nonnisi pauciſſimi suffragati essent: interea vero, cum Vallisoletani ira ac furore debacharentur, Carolus Imperator versus Turrim Sillauam contendit, ac Villalpandum perveniens, Toletanorum Deputatos, quibuscum eodem tempore Salmanticenses venerant, ibi excipit. Præprimis Carolus Petrum Lazo, qui a Toletanis ablegatus erat, alloquebatur: Petre, inquit, pœnas mihi dares, nisi memor essem, cujus parentis filius sis; nec plura locutus omnes ad Alphonsum de Royar Castellæ Præsidem remisit; hi tamen hoc responso minime territi Cæsarem usque ad oppidum S. Jacobi sequebantur; Salmanticenses quoque Deputati fidei Sacramentum præstare renue-

nuebant, nisi saltem prior juraret Cæsar, se conditionibus, quas Toletani petiissent, assensurum. Verum Imperator spreta eorum propositione iter suum prosequebatur. Sæcul. XVI. A C. 1520.

§. LXVIII.

Ingens Toletanorum Seditio, plures urbes eorum exemplum secutæ.

Igitur Toletani ad arma convolant, Ronquillum inopina vi obruunt, ejusque copias profligant; prospera hæc Seditionis auspicia præter Vallisoletum, & Salmanticam, alias etiam urbes, Burgim, Albucellam, Zamoram, Legionem ac Taurum ad parem defectionem pertrahebant. Ipse quoque Cardinalis Toletanus, qui ibidem suam sedem, ac Vallisoleti suum Senatum collocaverat, per muri foramen auffugere compellebatur. Populis, qui conjuraverant, erat decretum Reipublicæ formam imitari, unde Ventæ Senatum constituebant, parum absimilem ab eo, qui non ita pridem in Belgii Provinciis stabiliebatur, quo facto, hæ urbes quemdam deputatum eo ablegabant, omnesque secundæ nobilitatis Viros aut illuc venire, vel nomine suo quosdam mittere rogabant, cunctosque, qui huic societati nomen dare recusabant, velut patriæ proditores habebant, imo quosdam eorum laqueo suffocarunt, ac plurium

Ant. Vera l. cit. p. 35. & seq. Vino. Blas. l. 2. c. 12. Osor. lib. 12. fol 349. Raynald. an. 1520. n. 69. Sleidan. in comm. l. 3. p. 79.

Sæcul. XVI A.C. 1520.

plurium Procerum ædes vel exſpoliarunt, vel penitus ſolo æquarunt; cum vero ſeditioſis nihil magis ſolemne ſit, quam omnium malorum memoriam retinere, ſolius autem prudentiæ obliviſci, ita & illi rebelles Reginam ex Turri Sillana, ubi propter inſaniam capta detinebatur, liberabant, eamque velut Reginam ſuam venerantes volebant, ut Regnum ſuo nomine adminiſtraret. Enimvero Reginæ lætitia, quam ex inopino ſubditorum obſequio conceperat, ad pauca temporis momenta emotæ mentis impetus ſuſpenderat, imo ipſa priſtinam animi ſanitatem recuperaſſe dicebatur. Rebelles quoque exauctorato Marchione de Dania, eidem a conſiliis dederunt Zamorenſem Epiſcopum, Virum ætate ſexagenarium, licentia vero vitæ, atque animi vehementia inter Caſtellanos facile principem.

Interea Cæſar itineri ſuo ſtrenue inſiſtebat; verum comperta Toletanorum rebellione, primo lenitate animos placaturus, ſeditioſis fidem dari juſſit, impoſterum e Flandris nullas ad Regni dignitates promotum iri, dummodo illis, quas hucusque adepti erant, deinceps frui permitterentur. Attamen hanc quoque propoſitionem rebelles rejiciunt, cunctosque exteros Regno pellendos eſſe, omnino contendunt; cumque ad alendos

dos milites pecuniis egerent, ipsa Regina duce ex Cathedrali Toletana Ecclesia sacrarum Reliquiarum thecas diripiunt, atque ex illis artificiose liquefactis nummos cudunt; interea ipsæ Gubernatorum copiæ, quas Carolus in Hispania reliquerat, in aciem prodire veritæ, intra *Metinam Fluvii Sicci* sese includere compellebantur, quin tamen rebellium furorem evaderent; quippe eas tam arcta obsidione premebant, ut abs dubio urbs expugnata fuisset, nisi *Augustobrigæ-Ecclesiæ* Comitissa provido consilio periculum avertisset: hæc enim apud Petrum Gironem, qui præcipuum hujus factionis caput erat, tantum auctoritate pollebat, ut ejus ditiones indemnes servari, atque rebellium exercitum Villalpandum revocari, ab eo impetraret. Ast Comes de Haro, qui his copiis præerat, mutato consilio recta versus Turrim Syllanam movit, urbemque cepit, nec quicquam præsidiariis illam strenue defendentibus. Ergo Regina munere suo Regia Majestate prorsus indigno defuncta in præfatam urbem reversa est, eamque Haro Comes comprehensam tutum in locum conduxit, ne forte rursum seditiosorum ausibus ancillaretur, seque umbratilem prorsus Reginam exhiberet. Hoc successu derepente mutata est rerum facies; rebelles enim in varias factiones distra-

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

Sæcul. XVI A.C.1520.

distrahebantur, ac potiſſima eorum parte in Regis obſequium redeunte, ceteri a Regni Adminiſtratoribus armorum vi diſſipabantur.

§. LXIX.

Cæſar Caronii conſcenſa navi ex Hiſpania profectus.

Ant. Vera hiſt. Car. V. p. 35.

Interea temporis Cæſar die decima quinta Maji Caronii portu ſolvit, comitantibus eum Albenſi Duce, Friderico Principe, ac Villæfrancæ Marchione ejus filio. Præter exteros, qui eum ſequebantur, in Germaniam præmiſit Bavariæ Ducem, ut S. R. I. Electores per eundem, quem peractam electionem gratulandi cauſſa miſiſſent, officioſam quoque gratiarum actionem a Cæſare reciperent, maxime cum alius meritorum eminentia clarior ad id muneris ſeligi haud potuiſſet. Ceterum Imperator iter per Angliam inſtitui juſſit, intelligens, quod Volſeus Cardinalis Regis Galliarum blanditiis, ac muneribus captus inter Franciſcum I. & Henricum VIII. procuraverit colloquium, in quodam loco Ardrecium & Guinas interjacens celebrandum, cui præter utramque Reginam quamplurimi utriusque ſexus Principes eidem interfuturi eſſent. Quapropter Carolus hunc congreſſum præpedire, plurimum e re ſua fore exiſtimabat.

§. LXX.

Sæcul XVI.
A.C. 1520.

§. LXX.

Cæsar per Angliam profectus, & Dubrim appulsus.

Nec vanus erat hujus colloquii rumor; quippe Rex Angliæ jamjam die vigesima quinta Maji Cantuariam venit, Caletum transiturus, inde vero ad congressus locum profecturus: cum ecce! Carolum V. Cæsarem Dubrim perveniſſe nunciatur. Res ea totam aulam inopina admiratione defixit, nec desunt tamen, qui referunt, Cardinalem Volsæum, cum sibi perspectum esset Cæsaris consilium, de ejusdem adventu Regem clam admonuisse, sibique Carolum officiose excipiendi munus deferri postulasse; utut res se habeat, id certum est, Henricum postera die Dubrim perveniſſe. Inde ambo Reges Cantuariam petebant, ad quam urbem Henricus conjugem suam vocavit, quæ Caroli, cujus Neptis erat, hucusque nunquam visi conspectu summopere lætabatur. Colloquio utrinque habito Cæsar itineris sui Anglici rationem quantocius Henrico exposuit, nihilque intentatum reliquit, ut congressum cum Francisco I. celebrandum dissuaderet; cum enim successus inde rebus suis adversos pertimescceret, hinc nihil non egit, ut Angliæ Regem ad dissolvendum ejusmodi

De Rapin Thoiras hist. d'Angleterre tom. V. p. 134.

Polyd. Virg. in Henric. VIII. l. 27.

Sæcul. XVI A. C. 1520.

colloquium permoveret. Nihilominus Rex hæc Carolo respondit, salva honoris mei, datæque fidei religione a promisso colloquio resilire haud possum, polliceor tamen, quod nulli pacto, quod Cæsareæ Majestati suæ præjudicio esse posset, assensurus sim. Carolus spe sua frustratus, saltem Volseum Cardinalem sibi devincire satagebat, maxima etiam spe eidem facta, se auctoritate sua effecturum, ut mortuo Leone X. ipse summus Pontifex eligeretur; insuper se pacem cum Anglorum Rege novo eoque solemni fœdere firmaturum pollicebatur. His ita promissis Carolus trigesima Maji ex Anglia excessit, iter suum in Flandriam prosecuturus: Henricus vero Angliæ Rex conscensa navi Caletum contendit, ubi etiam unacum Regina conjuge sua die quinta Junii appulsus est.

§. LXXI.

Colloquium Francisci I. cum Henrico VIII. prope Ardrecium & Guinas habitum.

Mem. du Bellai liv. I. Polyd. Virg. l. 27.

Franciscus I. re comperta quantocius cum tota Curia sua ad Picardiæ fines contendit, atque die septima ejusdem mensis ambo Reges in quodam loco Ardrecium inter & Guinas sito conveniunt. Verum toto congressus tempore nonnisi genia-

genialia festa, hastiludia, choreæ, omnisque generis delectamenta conspiciebantur, quibus utriusque Regis Principes cum ingenti utrinque voluptate intererant, tantaque pompa ac magnificentia amborum Regum Ministri certatim resplendebant, ut hic congressus vulgo *campus panni aurei* vocaretur; quamvis ceteroquin harum voluptatum abundantia seriis occupationibus spacium haud præriperet. Sæcul. XVI. A. C. 1520.

Ergo inter ambos Reges conventum. I. Franciscus I. decies centenis aureorum millibus in nupero tractatu promissis, nunc demum penitus persolutis, Henrico VIII. centies mille libras Turonenses pensionis nomine ad dies vitæ numeret. II. Si ex lege, qua connubium cum Maria Regis Filia decretum fuit, Delphinus Angliæ solium conscensurus sit, præfata pensio ad Mariam, ejusque hæredes perpetuo jure devolvatur. III. Dissidia inter Angliæ & Scotiæ Reges suborta Aloysiæ de Sabaudia, quæ Galliarum Regis mater erat, necnon Eboracensis Cardinalis arbitrio committantur; his ita concluſis ambo Reges pari utrinque animi lætitia secessserunt, Francisco I. Bononiam redeunte.

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. LXXII.

Officiosa salutatio Cæsaris atque Angliæ Regis.

Henricus in Regnum suum maritimo itinere reverti differebat, donec Cæsarem officiosa salutatione, qua præventus erat, viciſſim honoraret. Ergo decima Julii Gravelinum petiit, eodemque die Caletum remigravit. Postera vero die Imperator unacum Margarita amita sua Belgii Gubernatrice Henricum Caleti inviſebat, ac integro triduo ibidem cum illo versabatur. Ea de re Franciſci I. animus inquietiſſimo cogitationum turbine haud parum agitabatur, nec sua suſpicioni ratio deerat; quippe primi fœderis poſtea Cæsarem inter & Henricum initi fundamenta in hoc ipso colloquio jacta creduntur; ait enim Antonius de Vera Scriptor coævus, Angliæ Regem in Cæsaris amplexus effuſum dixiſſe: „ Vale! co„ lendiſſime frater, dilecte Nepos! ex „ divinæ providentiæ consilio tres iique „ potentiſſimi hoſtes adverſus te concita„ ti tibi sunt debellandi, faxit Deus, ut „ tibi suo quoque auxilio assiſtat. „ Cui Carolus repoſuit: „ Deo sit gloria, quod „ is, qui mihi tres oppoſuit hoſtes, tria „ quoque eos vincendi media suppedita„ verit, nempe animum, vires, atque

„ aucto-

„ auctoritatem. „ Quamvis vero Angliæ Rex clarius mentem ſuam non explicaſſet, haud obſcure tamen Cæſar agnoverat, quinam eſſent hi tres hoſtes; horum quippe primus erat Franciſcus I. Galliarum Rex, nam is nuper Imperii æmulus ſe neglectum ægerrime ferebat. Alter extitit Solimanus II. Turcarum Imperator, qui Selimi Patris ſui Succeſſor cruenta in Chriſti fideles fovebat conſilia. Tertius denique fuit Martinus Lutherus, quem Rex Angliæ flagellum iræ divinæ adverſus Chriſtianos appellaverat, eumque edito libello, cujus brevi mentionem faciemus, paulo ante impugnaverat. Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. LXXIII.

Cæſar Gandavum perveniens, urbemque ingreſſus.

Poſthæc Imperator Fleſſingæ in Zeelandia ſecundis ventis appulſus, Gandavum contendit, eoque paucorum dierum navigatione pervenit. Ibidem obvium habuit Ferdinandum fratrem ſuum, unacum viginti quatuor primi Ordinis Proceribus. Ergo Imperator Gandavum ingreditur, belli tormentis undique reboantibus, civibusque in duos utrinque ordines diſtributis, ac bombardas feſtive explodentibus. Præmiſerat quoque illuc Electorale Collegium Electores Pala-

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

tinum & Saxonicum, qui fauſtum Cæſari adventum gratularentur: hos ergo Carolus ſumma honorum ſignificatione excepit, ubi maxime jucundum erat videre, quod Saxoniæ Electori in cunctos ſubmiſſionis ac reverentiæ modos erga Cæſarem ſe effunderet, viciſſim vero, quo humilior ille erat, eo ardentius Cæſar ſuæ in eum amicitiæ teſtimonium exhibere, illumque honorum, ac benevolentiæ ſignificationibus cumulare certabat, nunquam grato ſatis animo teſtificari valens, quot titulis ſuam eidem electionem in acceptis referret.

Anton. Vera l. c. p. 58.

§. LXXIV.

Carolus Aquisgrani coronatus.

Anton. Vera l. c. p. 59.
Relatio Cor. Carol V. per Hartmanum Maurum Camerœ Imper. aſſeſſor.
Sleidan. comm. l. 2. p. 57.
Petr. Angl. epiſt. 699. t. 1. p. 441.

Paulo poſt Cæſar Gandavo profectus Aquisgranum petiit, adhuc magis magnifico, quam quo in Flandriam venit, comitatu ſtipatus; cuncti enim Ferdinandi fratris ſui Proceres ſeſe illi adjungebant, & integra leuca S. R. I. Electores eidem obviam procedebant, hosque ſequebantur centum triginta Principes, Duces, Comites, Marchiones, præter plusquam ducentos ex prima Germaniæ nobilitate Magnates. Demum vigeſima tertia Octobris coronationis ſolemnia agebantur, eodem nimirum die, quo Solimanus defuncto Selimo Conſtantinopoli inauguratus

tus est, & ipse Carolus primæ coronationis suæ solemnia celebravit, ac Caroli Magni diadema suscepit: cum vero in Diœcesi Leodiensi, cui Aquisgranum subjacet, eo die nulla festivitas incideret, quæstio movebatur, an præter diem festum, vel Dominicum ejusmodi solemnia feriali die decenter celebrari possent, facili tamen negotio Episcopus dubium dissolvit, hunc diem per totam urbem pro festo habendum esse decernens, idque a cunctis S. R. I. Electoribus, Principibus, ac Proceribus ad hæc solemnia confluentibus ratum habebatur. Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. LXXV.

Agitur de Austriæ statibus Ferdinando Cæsaris fratri cedendis, de ejusque connubio.

Altera die solemnitas alia non minus magnifica agebatur; Imperator enim solio suo insidens, cunctisque cæsareæ dignitatis insignibus ornatus Ferdinando fratri suo Hispaniæ Infanti omnes, quotquot a Philippo Patre suo hæreditario jure acceperat, Germaniæ status cedebat, præsentibus cunctis Electoribus, Principibus, aliisque Magnatibus, cujus cessionis nomine Ferdinandus Austriæ Archidux salutabatur. Postea Imperator adhuc in Thron- sedens

Sæcul. XVI. A. C. 1520.

Uladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis, necnon Annæ Reginæ conjugis suæ Legatos excepit, quibus datum erat negotium, ut nuptias conciliarent inter Ferdinandum, & Annam Elisabetham, quæ Hungariæ Regis filia, ac Ludovici, junioris dicti, soror erat.

§. LXXVI.

Comitia generalia Wormatiæ a Cæsare indicta.

Sleidan. in comm. l. 2. p. 58.

Biduo post Carolus V. ad diem vigesimam primam Januarii anni sequentis comitia generalia Wormatiæ celebranda indixit, haud contentus, quod hanc in rem encyclicas ubique literas expediisset, ipsus quoque cunctos Germaniæ Principes impense rogavit, ut ipsimet eo accedere haud gravarentur, ac quantum in ipsis effet, hunc conventum numero, atque auctoritate celebrem redderent. „ Deliberandum nobis est, inquit Impe„ rator, de summi momenti negotiis, a„ gitur de tollendis perturbationibus, „ quibus Germania vacante abhinc Im„ perio agitatur; præcipue vero religio„ nis caussa nobis tuenda, ac ingentibus, „ quorum vel occasio vel caussa Lutheri „ doctrina, atque auctoritas extitit, tu„ multibus remedium ponendum est. „

§. LXXVII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1520.

§. LXXVII.

Aleander Pontificis Nuncius ad Germanos.

Interea Romanus Pontifex Saxoniæ Electorem, quamvis contrarium verbis teſtatus eſſet, Luthero favere ſemper ſuſpicabatur, quapropter adverſus hæreticum illum Monachum ad eundem Breve Apoſtolicum transmiſit, hancque legationem Hieronymo Aleandro credidit, atque illum, ut plus auctoritatis haberet, Pontificii Nuncii munere auxit; Vir erat Aleander mira in rebus gerendis dexteritate, eruditionis laude, incredibili memoriæ felicitate, ac rara græci, latinique idiomatis peritia longe præſtantiſſimus, cujus nomen etiam in Galliis percelebre evaſit; nam illuc a Ludovico XII. vocatus, ſummoque pretio habitus, regio diplomate civitate donabatur. Jam tum præclara ſcientiæ ac prudentiæ ſuæ ſpecimina ediderat, ubi Pariſienſis Univerſitatis Rector, ac Græcæ linguæ Profeſſor renunciabatur, ac poſtea Aureliæ, Bleſisque publice docebat. Hunc Poncherus Pariſienſis Epiſcopus ad ædes ſuas vocabat, demum vero Leodium miſit ad Erardum a Marca ejusdem urbis Epiſcopum, a quo Cancellarii munere, ac Cathedralis Eccleſiæ Præpoſitura inſignie-

Paul. Jov. in elog. c. 98.

Sleidan. comm. l. 2. p. 61.
Pallavic. hiſt. Concil. Trid. l. 1. c. 23.

Sæcul. XVI A.C. 1520.

batur, quocum etiam Romam petebat. Per itineris hujus opportunitatem perſpecta erat Leoni X. viri præſtantia, qui eundem frequenti colloquio honoratum Romæ detinuit; unde Pontifex, cum Aleandri merita probe explorata haberet, eo neminem ad ſecundam demandati negotii executionem magis idoneum fore arbitrabatur. Nec eum ſua fefellit opinio: Aleander enim ſumma cum laude hanc legationem obibat, tam morum ſuavitate, quam doctrina orisque facundia ubique commendatus.

§. LXXVIII.

Breve Apoſtolicum Saxoniæ Electori ab Aleandro traditum.

Hujus duntaxat itineris ſocium habebat Aleander Marinum Caracciolum, qui Pontificis nuncius erat ad Carolum V. Imperatorem; ambo igitur Coloniam, ubi tum Saxoniæ Elector agebat, contendunt, ubi quoque ſat benevole excipiuntur, habitaque frequenti conſultatione Electori Breve Apoſtolicum porrigunt; his Literis ſummus Pontifex Electorem de Conſtitutione adverſus Lutherum nuper promulgata certiorem reddebat, rogabatque, ut hanc legem in tota ditione ſua executioni mandari curaret, huncque Religioſum vel ad errores ſuos

Ulemburg in vita Luth.

Sæcul. XVI. A. C. 1520.

suos infra præfixum tempus revocandos compelleret, vel illum Romanæ Curiæ Ministris traderet, si vero hæreticis suis opinionibus contumax insisteret, eundem saltem e Saxonia expelleret. Ceterum Papa Hieronymo Aleandro Eckium quoque Doctorem adjungebat, eo consilio, ut ambo junctis viribus, Religionis causſam in Germania, si possent, concluderent, ac tandem dirimerent; quapropter Hieronymus hac de re Electorem certiorem fecit, enixe rogans, ut sua eos familiaritate honoraret, atque ad peragenda Apostolica jussa illos consilio, & ope juvaret.

Raynald. hoc ann. n. 60.

§. LXXIX.

Responsum Electoris Saxonici.

Verum Elector horum preces flocci pendebat, nimio in Lutherum affectu captus, & quamvis tum verbis alienum ab eo animum ostenderet, nec palam se ejus fautorem profiteretur, nihilominus sat aperte monstrabat, nolle se, aut Lutherum carceri dare, aut eundem Curiæ Romanæ tradere; quapropter Aleandro hoc duntaxat responsum dedit, maximi ponderis rem id esse, proin maturam exposcere deliberationem, se quid hac in re decrevisset, nunciaturum. Tertia effluebat dies, qua scripto animi sui propositum

Raynal. n. 6. Ulemb. l. c. c. 5

Saecul. XVI A.C.1520.

positum Aleandro aperuit, dicens; quod talia a me petantur, nimium mihi videtur: importuna quoque est huic negotio Eckii præsentia; hic enim alios etiam in communem cum Luthero causſam involvit, idque vero permolestum mihi accidit, nec ullo pacto tolerandum censeo, de cetero errores, si quos Lutherus docuit, nunquam approbabo, solidis tamen argumentis ex S.Codice petitis hic Monachus prius convinci ac confutari debet, si tum se submittere recusaverit, nunquam eidem patrocinabor; Papam vero haud latere potest, me Cajetano obsequendi gratia decreviſſe, quod Lutherum ab universitate Wittembergensi excludere velim, sed Miltizii Pontificii Legati precibus victus sententiam mutavi; jam vero mihi integrum haud est, eundem expellere, instantibus imperii comitiis, in quibus totum negotium agitandum erit, his addebat, nulla hucusque sententia in Lutherum a Cæsare fuit pronunciata, nec idem indicta causſa ab eo damnari potest, ego autem pro parte mea nil eorum omittam, quæ pro Christiani, Electoris, ac filii Ecclesiæ addictiſſimi munere ac debito præstare teneor. Ex hoc responso Aleander sat aperte cognoverat, nil boni de Electore sperandum esse, quocirca e Saxonia excedere statuit.

§. LXXX.

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. LXXX.

Lutheri provocatio a Pontificis Bulla ad futurum Concilium.

Aliud adhuc Breve idem Pontifex ad Wittembergenſem direxit Academiam, quo eandem ne ab avita ſemperque concupita pietate deflecteret, inſtanter adhortatur, ſimulque Bullam ſuam effectui dari præcepit, indictis etiam pœnis ſeveriſſimis. Aſt hæc ſchola jamjam erroneis Lutheri opinionibus imbuta ejusmodi minas contemptui habuit. *Raynald. hoc ann. n. 65.*

Ipſe etiam Lutherus, cum horum repugnantia ſuam auctoritatem creſcere intelligeret, rurſum a Papa ad Concilium appellare præſumebat, queſtus, ſe indicta cauſſa a Pontifice fuiſſe damnatum, cum Papa privatas ſuas opiniones ſacris literis præferret, ac Concilii judicium declinaret. Poſtea Cæſarem, cunctosque Magiſtratus rogabat, ut ſuam appellationem pro juſta Synodicæ auctoritatis defenſione ſuſciperent; non enim, inquit, exiſtimo, quemdam ſolo Papæ decreto adſtringi, niſi prius cauſſa in quadam Synodo mature ſit diſcuſſa. Dabat die decima ſeptima Novembris: edidit quoque alium librum, quo articulos omnes a ſummo Pontifice nuper damnatos adeo non revocabat, aut errorum ſuorum quempiam, ſuam-

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

suamque vehementiam adeo parum moderabatur, ut etiam veteres hæreses confirmaret, novasque superadderet, quin imo hanc quoque propositionem proferre non abhorreret: *Quilibet Christianus, fœmina, & infans in absentia Sacerdotis absolvere possunt, omnibus enim hæc verba Christi Domini dicta: Quodcunque solveritis &c.* Eodemque furore contra citationis decretum, cui tamen non parebat, in hæc verba prorupit: „ Romæ com-
„ parebo, prius tamen exspecto viginti
„ millia peditum, & quinque equitum
„ millia, hæ copiæ me comitentur, fidem-
„ que meam testatam reddant. „

Assert. artic. per Bull. damn. tom. 2. Propos. 13. fol. 94.

Dum vero in Bulla arguebatur, quod quasdam Joannis Hussi propositiones tenuisset, ille tantum abfuit, ut errorem suum excusaret, prout antea consueverat, quin potius Papam alloquens in hæc verba erumperet: „ Ita est, nec diffiteor, ea
„ omnia, quæ in Joanne Husso conde-
„ mnasti, ego approbo, & quicquid tu
„ approbas, ego condemno; & hæc est
„ retractatio mea, quam mihi injunxisti,
„ num plura a me postulas? „

Adversus Antichr. exer. Bull. to. 2. fol. 91.

Ibid. ad prop. 38 fol. 109.

Denique non multo post tempore in quadam Epistola ad Episcopos (qui tamen, inquit, falso tales dicuntur,) scripsit, quod ejus missio omnino specialis sit, atque divina, crescente autem audacia

se

se *Ecclesiasten* seu *Wittembergensem Prædicatorem* appellitabat, dicebatque, „ ego „ ipsus mihi hunc titulum impono, post- „ quam enim tot Bullæ, tot anathema- „ ta, & Pontificis atque Episcoporum „ condemnationes mihi omnes avitos „ meos titulos abstulerunt, imo & in me „ bestiæ characterem deleverunt, ego „ autem absque titulo esse non possim, „ hinc ad significandum ministerium, ad „ quod a Deo vocatus sum, me hoc no- „ mine insignio, illud tamen nec homo „ nec hominis, sed Dei donum, & Chri- „ sti Domini revelatio indidit. „ Huic delirio insistens Lutherus a principio & in toto epistolæ suæ progressu semetipsum semper nominavit *Martinum Lutherum Dei gratia Ecclesiasten Wittembergensem.* Præterea ne Episcopi hujus tituli ignorantiam obtendere possent, palam illis declaravit, quod ab eo tempore sibimetipsi novum hunc titulum imponat, *ad magnificum prorsus ludibrium omnium Episcoporum, & ipsusmet Sathanæ.* His etiam addidit, „ jure etiam merito me appellare „ possum *Dei gratia Evangelistam;* cer- „ tissime enim Christus Dominus me „ hoc titulo dignatur, ac pro suo Eccle- „ siaste habet. „ Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. LXXXI.

Secul. XVI. A. C. 1520.

§. LXXXI.

Lutheri libri in pluribus Germaniæ urbibus combusti.

Cochl. ad an. 1520. p. 27.

Interea vero Pontificis Constitutio in potissimis Germaniæ Provinciis (excepta Saxonica) debita submissione executioni dabatur: nam Lovanienſis ac Colonienſis Universitates, cum judicium ſuum a Sacra Sede approbatum gauderent, Lutheri libros publice concremarunt. Harum exemplum Moguntinus quoque ac Trevirenſis Electores urgentibus Papæ Nunciis ſequebantur, id licet Eraſmo ac pluribus theologis diſſuadentibus, qui rem ad extrema deduci, animosque exaſperari nolebant.

§. LXXXII.

Bulla ac Decretales a Luthero Wittembergæ publice combusti.

Sleid. in com. l. 2. p. 61.

Lutherus acceptam infamiæ notam ulturus, inſtigantibus Wittembergenſis Scholæ Doctoribus, Leonis X. Bullam, ac Prædeceſſorum Pontificum Decretales Doctoribus, cunctisque univerſitatis Scholaribus præſentibus comburi juſſit. Inanis hæc ſtultaque vindictæ executio facta eſt in medio fori publici decima Decembris: Poſtera vero die Lutherus ſermonem

monem habuit, ubi rabie accensus populum hortabatur, ut Pontificis jugum, si animæ suæ salutem cordi haberent, protinus excuterent; paulo post edictum valde prolixum evulgavit, quo rei gestæ rationem reddens, Papam insimulabat, quod tyrannicum in Ecclesia imperium exerceret, Christi doctrinam depravaret, ac legitimam Magistratuum potestatem usurparet. Observat quoque Pallavicinus *quod similis combustio in duobus vel tribus aliis Germaniæ locis confecta fuerit a Martini sautoribus, &, quod admirationi est, non defuerint, qui Lipsiæ coram ipso Georgio Duce Saxoniæ tam execrandum scelus ausi sint.*

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 1. c. 22. p. 81.

§. LXXXIII.

Propositiones ex Decretalibus a Wittembergensi Schola extractæ.

Tandem etiam Wittembergensis Universitas, ut majorem adhuc invidiam Romanæ Curiæ conflaret, triginta circiter propositiones ex Decretalibus excerpsit, ac publicavit, quas inter nonnullæ alio longe modo, quam in illis habentur, prolatæ fuerunt. Potissimæ supremi Pontificis auctoritatem concernunt, uti sunt sequentes: I. Potestas Pontificia comparatur lucis, Regalis veræ lunæ splendoribus; illa nec Conciliis, neque S.

Sæc. XVI. A.C. 1520.

Canonibus restringitur. III. Romanus Episcopus quæcunque jura in secreto cordis sui inclusa tenet. IV. Canones ad arbitrium suum emendare valet; V. Episcopos ad jusjurandum sibi præstandum adstringit. VI. Caput Ecclesiæ se nominat, VII. a quacunque jurisdictione ad Pontificiam, ab hac tamen ad nullam aliam appellare licet; VIII. Omnia jura duntaxat a Pontificis auctoritate vim legis obtinent; IX. Papa est petra fundamentalis Ecclesiæ; X. Claves soli Petro datæ sunt; XI. Tota Christi potestas in S. Petri Apostoli personam transfusa est; XII. Papa Ecclesiæ leges imponere potest; XIII. Sibi soli potestatem ligandi attribuit; XIV. Universales leges condit circa jejunia, & vota; XV. Sacerdotibus connubium prohibet; XVI. Se plenam a Christo Domino potestatem tam sacram quam profanam accepisse asserit; XVII. Commentitiam temporalis Romani dominii donationem a Constantino factam Sylvestro Pontifici velut legitimam adstruit, XVIII. hæredem Romani imperii se gerit; XIX. Reges exauctorandi, ac regna Sedi Apostolicæ fiduciario nomine adscribendi jus sibi arrogat, XX. fidem datam etiam publico sacramento firmatam rescindendi potestatem sibi vendicat, XXI. vota tollit, & commutat; XXII. quadam ratione ipso Deo superior est;

est; Denique XXIII. leges suas eadem fide, qua Evangelicas, esse credendas præcipit; XXIV. Sacrarum literarum auctoritatem a Pontificia dependere contendit, easque pro arbitrio suo interpretandi jus sibi soli reservat. Sæcul. XVI. A. C. 1520.

§. LXXXIV.

Lutheri libellus adversus Ambrosium Catharinum.

Quoniam Sylvester Prieras, cum recens Lutheri dissensio contra Dominicanos propter indulgentias esset orta, adversus eundem scripserat, Lutherus in Sylvestrum responso convitiis pleno invehebatur; nec deerant tamen, qui Prieratis honorem ac doctrinam adversus Lutheri audaciam vindicarent. Hos inter Ambrosius Catharinus, qui alias nomine suo Politus Lancellotus dicebatur, & patria Senensis, ac Religiosi instituti Dominicanus erat, nec non Theologiæ scientia celebrabatur, tractatum composuit de dignitate Romani Pontificis in quinque libros divisum. Lutherus mox contra eundem exeunte hoc anno responsum edidit, tam verborum prolixitate, quam conviciandi libidine execrabilem, in quo invehitur in summum Pontificem, Romanamque Ecclesiam, ac nefando abusu plures Danielis Prophetæ *Sleid. l. c. p. 62. Cochl ann. 1520. p. 23.*

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

textus adulteratur, modoque Sacris literis vel maxime contrario, & Summo Pontifici valde injurioso explicat, demum vero quidquid S. Propheta de regno Antichristi vaticinatur, Lutherus Pontifici affingit.

§. LXXXV.

Res Daniæ & Sueciæ.

David Chytræus Chron. Saxon. 1520. l. 9. Comm. Jac. Ziegleri in tom. 3 rer. Germ. edit. Freher. Leunclav. l. 17. & Pand. f. 215.

Sub idem tempus Stenon Suecorum Gubernator collectis omnibus factionis suæ viribus Christiernum II. Daniæ Regem, qui Sueciam subigere tentabat, oppugnare aggrediebatur. Anceps aliquamdiu hærebat Sueciæ fatum, cum utriusque partis animos par utrinque furor atque indignatio accenderet; tandem vero Stenonis obitus Danis victoriam contulit. Hic enim inter primos ordines dimicans, suos efficacius exemplo, quam verbis hortabatur; cum vero femore per tormenti globum avulso vulneratus, Stockolmiam deferretur, hoc anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo die secunda Februarii in itinere mortuus est. Illius fato Suecorum exercitus, cum nonnisi pro Ducis sui gloria certaret, animo fractus, nil amplius tentabat, ac jamjam Stenone e castris portato, ferme omnes fuga dispergebantur, unde Daniæ Rex stationem in acie victor

victor tenuit, atque Archiepiscopum Upsalensem suæ Sedi restituit, ab eo in Regem proclamatus, adjecta tamen bina hac conditione, Suecis ita exigentibus. I. Ut novus Rex Catholicam fidem adversus ejusdem hostes tueretur. II. Ut omnium præteritarum injuriarum, ac hostilitatum ultro citroque perpetratarum plenam omnino veniam cunctis, nullo excepto, concederet. Sæcul. XVI. A. C. 1520.

§. LXXXVI.

Stockolmia a Christierno II. Daniæ Rege occupata.

Ceterum Christina dolori, quem ob Stenonis Mariti sui mortem concepit, non adeo impotenter indulserat, ut prolium suarum rebus prospicere obliviscereturr; quippe Sigismundum Poloniæ Regem quantocius inducebat ad ferendas militum suppetias, ut vero Regis præsidium sibi eo certius redderet, tanquam futuræ amicitiæ gratique animi pignus, gemmas diademati olim affixas eidem transmisit: Ast Sigismundus nativæ indolis vitio iguavus, Nobilium consensum necdum accessisse obtendebat, illumque obtinere tamdiu cunctabatur, donec Daniæ Rex ad complendum victoriæ suæ cursum sufficiens nanciscceretur spacium. Unde præcipuæ urbes Christierno portas

Joa. Magn. hist. Suec. lib. 34. De Thou hist. lib. 1.

Sæcul. XVI. A C. 1520.

tas aperiebant, & Provinciarum Rectores eidem obviam effusi, fidei Sacramento sese ei obstringebant, ac fideliores Stenonis amici, Ducis obitu sese a fidelitatis lege solutos rati, Regis clementiam exorabant, ipsaque urbs Stockolmia, quæ prius diu oppugnantium impetus sustinuit, nunc exspectata nequidem obsessione deditionem faciebat. Igitur Christina ab omnibus derelicta cum suis liberis in Moscoviam sese recepit, Christiernus vero, ut eo securius Suecis illuderet, petitam injuriarum oblivionem sine omni exceptione concessam promulgari jussit. Demum quartam Novembris, in quam dies Dominica inciderat, inaugurationi suæ destinavit, qua peracta octo omnino dies equestribus decursionibus ad trajiciendum annulum institutis, pugnisque ludricis festive impendebantur, nec non cujuscunque conditionis personæ Regiis sumptibus alebantur, ac denique postrema solemnitatis die Senatores, ac Suecicæ coronæ Ministri sumptuoso convivio a Rege excipiebantur.

§. LXXXVII.

Daniæ Regis sævitia in Senatores Suecos.

Senatores impendentis periculi penitus ignari,

ignari, eorum ferme centum Regias epulas nil mali suspicantes accesserunt: vix una conveniunt, ac confestim Rex prior cum illis ad præcipuam urbis Ecclesiam processit, sacro interfuturus, quod ibidem ob inaugurationis beneficium in gratiarum actionem solemni ritu Deo offerebatur; ubi Christiernus tempore S. Communionis coram sanctissima Eucharistia juramento sese obstrinxit, se inviolata fide Sueciæ Nationis privilegia tuiturum, ac præteritis omnino oblivioni datis nullaque immutatione facta, juxta patriæ leges regnum moderaturum. Post hæc Senatores, regnique Proceres, quotquot erant præsentes, advocabat, ut fidei sacramentum una cum illis exsolveret; quo præstito Rex omnium primus, ac denique ceteri omnes sacrosancto Christi corpore pascebantur, ac paulo post cuncti eo, quo ex palatio discesserant, ordine reversi, mensæ accumbunt, jamque cibi apponuntur, cum ecce! Rex necessitatis obtentu e mensa surgens ad cubile suum sese recipit, moxque horribilis auditur strepitus Danorum Officialium, quorum aliqui aditus obsidebant, alii stricto ense turmatim in convivii locum irrumpebant. Hoc facto Gustavus Trollus Upsallensis Archiepiscopus in medium procedens, adversus Stenonem defunctum Sueciæ Administratorem, & con-

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

Meursius hist. l. 3. Olaus Magn. in hist. Suec. l. 8. c. 39.

Sæc. XVI. A.C. 1520.

tra Senatores, quod ab eis dignitatem suam abdicare compulsus esset, judicii acta instrui, a Rege postulabat. Christiernus Londinensi Archiepiscopo, ejusque Suffraganeo Ottonienſi Episcopo, quibus Bullæ contra Administratorem, atque Senatum fulminatæ executio demandata erat, totam negotii summam commisit. Hi ergo accusatorum causam discutere incæperunt, verum Rex longiorem, quæ necessaria fuisset, moram pertæsus, nullo servato juris ordine, cunctos ad ferale pegma deduci, ac prælecta Pontificis Bulla (*) unaomnes ultimo supplicio mulctari jussit.

Ergo Squragensis, & Stregnianus Episcopi, cunctique Senatores, unacum nonaginta quatuor Proceribus octavo post Regis coronationem die capite plectuntur; supremus vero Ordinis S. Joannis Hierosolymitani Prior, quod Patriæ suæ studio ceteris clarior esset, crudeliori destinatur supplicio. Igitur Cruci S. Andreæ

(*) Ex Spondano ad hunc annum num. 7. atque ex aliis Scriptoribus addi debuisset, quod *Rex in odium & vindictam repulsæ antehac ab iis acceptæ, prætextu excommunicationis a Pontifice in eos decretæ, cujus se Christiernus executorem profitebatur, cunctos e medio sustulerit.*

Andreæ affigitur, apertoque ventre ei- Sæcul. XVI.
dem vivo cor extrahitur. Postmodum A.C. 1520.
occisorum cadavera in foro exponuntur, & capita lanceis infixa in circuitu collocantur, moxque milites accepto per quemdam Officialem signo in plebem ad supplicii spectaculum accurrentem irruunt, ac plurimos crudelem in modum trucidant; cum vero nonnulli mortem fuga declinarent, Rex altera die cunctis, qui ex civibus superstites essent, edicto publico vitæ gratiam annunciari, omnes tamen, quotquot se prodiderunt inaudita prorsus sævitia jugulari præcepit; ne tamen crudelitatis in hac Metropoli exercitæ fama ad ceteras Provincias percurreret, Stockolmiam circumcirca excubiis firmari jussit. Deerant adhuc sex Episcopi, qui solemnibus non intervenerant: hos ergo Rex ad Stockolmiæ portum accersivit, obtendens, gravissimi momenti negotium, quod illis communicaret, se habere. Ast vix destinatum colloquii locum ingressi, igne circum posito Regis jussu combusti sunt. Tanta tamque inhumana sævitia quatuor Regni Ordines, Clerum, Nobiles, cives, ac rusticos ad communem seditionem concitabat, unde electo ex suis, qui eos duceret, omnes unanimi consensu ad arma convolabant; quo comperto Rex Christiernus Stockolmia eodem

Olaus Magn. lib. 7. c. 5.

Sæcul. XVI A. C. 1520.

menſe, quo intraverat, excedens, fugam arripuit, ac rurſum in Gothiam Occidentalem trajicere compulſus eſt, tandem in Daniam reverſurus: nec tamen propterea ceſſavit in ipſo quoque itinere ſuo paſſim ubique funeſta relinquere ſpecimina, non modo crudelitatis, ſed etiam hæreſis ſuæ, quam diutius occultare parum ſollicitus erat. Expulſo igitur Chriſtierno Guſtavus Eriſcon, qui nuper a Dalecarliæ montes auffugerat, a Suecis in Regni Gubernatorem acceptus eſt, ſub cujus tamen Regimine Lutheri ſecta in Sueciam irrepſit.

§. LXXXVIII.

Ulrici Hutteni Satyra adverſus Papæ Bullam.

Spond. ad ann. 1520. n. 1 Melch Ad. in vita Jurisconſ. Cochl. l. c. ad an. 1519.

Inter Lutheri fautores haud infimus erat Ulricus de Hutten Nobilis Eques a Franconia, qui pari furore adverſus Papæ Conſtitutionem carmine ac ſoluta oratione Satyram, cui nomen *Triadis Romanæ* indidit, a ſe compoſitam in comitiis Auguſtanis divulgavit.

Aliud adhuc opuſculum hiſtoricum in Germania edidit, ubi Pontifices Imperatoribus ſemper obſtitiſſe calumniatur, & ad calcem ſui libelli refert, quod Maximilianus a Leone X. deceptus hæc dixiſſet; „Salva veritate affirmare audeo, „ quod

„ quod mihi quamdiu vixi, nullus Pa- Sæcul. XVI.
„ pa datam fidem ſervaverit; ſpero ta- A. C. 1520.
„ men, Deo adjuvante hunc fore poſtre-
„ mum. „ (*) Attamen petulans illa Huteni libertas, qua in Curiam Romanam tumultuabatur, ſummopere Leonem Papam commovit, illumque eo adegit, ut eum ſibi tradi, Moguntino Electori præciperet. Verum Huttenus rem edoctus, in Belgium ad Caroli V. aulam ſeceſſit, ubi tamen de imminenti vitæ ſuæ periculo certior factus, brevem admodum moram traxit, indeque ad Ebernburganam arcem tunc confugiſſe videtur; quippe ex hoc loco Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo vigeſimo ad Cæſarem, Moguntiæ & Saxoniæ Electores, cunctosque Germaniæ ſtatus litteras dedit, quibus ſe a Papæ emiſſariis vexari queſtus eſt. Ex eadem etiam arce ad Lutherum, cujus partes fervide tuebatur, perſcripſit.

§. LXXXIX.

(*) *Quam atrox hæc ſit calumnia, putidumque Hutteni mendacium, non modo ceterorum coævorum Scriptorum ſilentium, ſed maxime piiſſimi Cæſaris religio, ac ſingularis in Sedem Apoſtolicam reverentia teſtantur.*

Sæc. XVI. A.C. 1520.

§. LXXXIX.

Censura Facultatis Parisiensis de confessione & Communione Paschali.

Dupin. Bibl. Script. to. 13. p. 211. Sæc. XVI.

Eodem hoc anno Theologica Parisiensis Facultas avitæ suæ doctrinæ circa Paschalem communionem tenacissima quatuor proscripsit propositiones, in quibus dicebatur, I. Religiosi Ord. S. Francisci proprii sunt Sacerdotes, apud quos Paschatis tempore absque Parochi licentia peccatorum sordes expiare licet. II. Parochi tenentur S. Synaxin distribuere quibuscunque accedentibus, etiamsi in eorum Parochia crimina sua non exposuissent. Has igitur propositiones Facultas damnabat velut falsas, & scandalosas, præter aliam, qua asserebatur, oblationes nonnisi tribus aut quatuor vicibus per annum esse faciendas, ac nonnisi masculos ad eas teneri. Cunctæ hæ propositiones in quadam Parochiali Ecclesia Stampæ in suburbio ad populum divulgabantur; unde cum Parochus hac super re apud Facultatem conquereretur, eadem ad illius preces permota, eandem animi sui sententiam, quam tot aliis occasionibus persæpe manifestabat, rursum innovavit.

§. XC.

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. XC.

Selimi Turcarum Imperatoris obitus.

Poſtquam Selimus Turcarum Imperator Tonumbejo Ægypti Sultano Cairum eripuiſſer, Conſtantinopolim reverſus, peſtilenti carbunculo ei nato circa renes correptus fuit; cum vero ſe Adrianopolim deferri juberet, ac mitioris aeris beneficio in hac urbe ſanitatem recuperare ſperaret, apud Ciurlum Thraciæ oppidum, ubi olim cum Patre conflixerat, eundemque veneno necaverat, in itinere extinctus eſt; cum imperaſſet annis octo, ac vixiſſet circiter quadraginta ſex. Fuiſſe illum hominum crudeliſſimum, non ſolum ex iis, quæ in Patrem, fratres ac Nepotes ſuos commiſit, perſpectum habemus, verum etiam ex cæde hominum omnem prope numerum excedentium, quos inter non paucos, qui etiam præmia merebantur, e medio ſuſtulit. Quin imo referunt nonnulli, quod unicum, quem habuit filium Solimanum, etiam veneno necare tentaſſet, abs dubio veritus, ne id ſubire cogeretur ab eo, quod ipſe in Patrem ſuum ſceleratiſſime præſtiterat. Ceterum Selimus, ſi ipſius crudelitatem excipias, militari fortitudine, conſtantia in conſiliis, quæ ſemel conceperat, exequendis,

Leuncl. l. 17. & Pandect. f. 215.

Paul. Jov. in Selim l. 24. Contin. Chalcondyl.

Secul. XVI A.C. 1520

quendis, prudentia in regendis populis, ac temperantia in vitæ suæ ratione excelluit.

§. XCI.

Solimanus II. Successor, ac Turcarum Imperator.

Paul. Jov. ib. Leuncl. l. 17. Bosius hist. Hospit. tom. 2. lib. 18. Thomas Artus contin. Chalcond. Raynald an. 1520. n. 86.

Fuit autem Selimi obitus Christianis ubique gratissimus, non solum ex eo, quod soluti viderentur terrore ejus armorum, verum etiam quod Filium Solimanum relinqueret Successorem rerum satis imperitum, & miti ac placido, ut ferebatur, ingenio præditum. Ea tamen in re quantum decepti fuerint, res ipsa postmodum ostendit: Ipse enim merito præclarissimis Turcici Regni Sultanis accensendus, gravia adhuc Christianæ Religioni damna inferebat. Hunc Selimus susceperat ex Bosphorani Regis de Circassa stirpe oriundi filia: tum annum ætatis circiter trigesimum agebat, cum a Ferhate Bassa, qui solus Selimo morienti adstiterat, de obitu patris Maniſſæ, quæ Joniæ urbs est, certior redderetur, ipse vero fraudem a patre suo adornatam subesse veritus, non ausus est loco se movere, donec a ceteris quoque Bassis de viso Selimi corpore exanimi certus omnino fieret. Tum vero protinus Constantinopolim accessit, ubi ante omnia funeri pater-

no

no juſta perſolvit. Interea Gazelles Syriæ Præfectus, olim ex Ducibus Sultani Ægyptii unus, cum percepiſſet mortem Selimi, ſeditionem concitavit, magnamque Ægypti partem ad ſua ſtudia pertraxit, verum a Solimano apud Damaſcum cum Mammalucharum reliquiis ipſi adhærentibus prælio cæſus eſt; ſic Solimanus, cum pactis cum Iſmaale Perſarum Rege induciis nullum alium in Aſia haberet hoſtem, totus in eo erat, ut arma in Chriſtianos converteret, prout mox perſpiciemus. Sæcul. XVI. A. C. 1520.

§. XCII.

Eraldus ſeu Erardus de Marca a Leone X. Cardinalis creatus.

Cum Carolus V. cunctis, qui quovis pacto ad ſuam electionem concurrebant, grati animi ſigna dare, eosque beneficiis cumulare ſummopere conaretur, haud oblitus erat Eradi de Marca natione Germani, cui luculentum gratitudinis ſuæ argumentum exhibebat; Præterquam enim, quod eum Valentiæ in Hiſpania Archiepiſcopum nominaret, tantum auctoritate ſua apud Leonem X. effecit, ut hic illum, eumque unicum hoc anno Cardinalium Collegio adſcriberet, adjecto titulo Eccleſiæ ad S. Chryſogonum.

Ciacon. in Leon. X. to. 3 Chappeauvil. de Epiſc. Leod. Mem. du Bellai liv. x.

Sæcul. XVI. A C. 1520.

num. Jam anno Christi millesimo quingentesimo quinto Erardus Leodiensem regebat Ecclesiam, eodemque tempore plura, eaque salutaria prorsus statuta in quadam Synodo promulgabat; ubi vero postea Gallorum partibus accesserat, Carnutensis Episcopus renunciabatur, pluribus gratiis a Ludovico XII. & Francisco I. auctus. Verum ambitione ductus, Anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo Cæsari sua studia devovit, cui etiam inviolata fide addictus permansit. Nuncupatur a nonnullis Scriptoribus *Cardinalis Buillonæus*, eoquod filius esset Roberti I. Buillonæi Ducis, ac Sedani Principis.

§. XCIII.

Hyppolitus Cardinalis Estensis præter plures alios mortuus.

Equidem Sacrum Purpuratorum Collegium Erardi electione augebatur; ast hoc eodem anno quatuor aliorum jacturam fecit. Hos inter primus erat Hyppolitus Estensis, Strigonensis, Capuanus, Mediolanensis, ac Narbonnensis Archiepiscopus. Is erat Filius Herculis Estensis Ferrariæ Ducis. Puer adhuc octo aut novem annorum Joannis de Aragonia avunculi sui studio ad Strigoniensem Archiepiscopatum vocatus, aliquos

Ciacon. in Alex. VI. p. 176.

Guicc. hist. Card.

ex

ex post annis in Hungariam contendit, a Matthia Rege, & Beatrice matertera sua perbenigne exceptus, ac per septem, vel octo annos in Pannonia hæsit, &tam sacris quam profanis literis eminuit. Rege extincto, Beatricem Reginam grato liberalique animo complexus est, ibique degentem Alexander VI. Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio in Purpuratorum Senatum adlegit; unde Hyppolitus Romam profectus, ibidem galerum rubrum accepit, sed paulo post in Hungariam reversus demum Italiam repetiit. Ubi Ludovicum Sfortiam Sororium suum in bello adversus Gallos ope ac consiliis strenue adjuvit; cum vero Galli victores existerent, Estensis Cardinalis in Germaniam se recepit, inde vero ad nuptias Alphonsi fratris sui cum Lucretia Borgia Alexandri VI. Filia Romam rediit; postmodum Gallis accedens, singularibus gratiæ ac benevolentiæ signis a Ludovico XII. Rege honoratus est; cum vero Julius II. Papa Estensem familiam insectaretur, Hyppolitus, quid consilii caperet, ignarus, tandem Hungariam proficisci statuit, inde reversus nonnisi electo Leone X, a quo postea ad Franciscum I. Galliarum Regem missus, eundem ad colloquium, quod Papa Bononiæ Anno Christi millesimo quingentesimo decimo sexto habiturus esset,

Sæcul. XVI. A. C. 1520.

Andreas Victorel in addit. ad Ciac. Panvin. de Rom. Pontif.

Ant. Guar. in hist Franc.

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

deduxit. Elapso demum aliquo tempore, cum Bona ipsius ex materno genere Neptis Sigismundo desponsata esset, Cardinalis nuptias honoraturus in Poloniam profectus est, redux vero Hungariam iterum invisens, ac Ferrariam reversus, ibidem Anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo die tertia Septembris religiose deceſſit. Id vitio Cardinali datum a nonnullis, quod Julio fratri suo spurio, eoquod quamdam nobilem fœminam a se dilectam rapuisset, oculos erui jussisset; Ceterum Hyppolitus erat Princeps liberalitate erga literatos, ac sermonis puritate, qua nonnulla elucubravit opuscula, plurimum insignis.

§. XCIV.

Albreti Cardinalis extrema.

Ciacon. in Alex. VI. Auberi l. cit. San Marth. Gall. Christ. Frizon Gallia purp. Sandovall. in Catal. Episc. Pampelonens.

Alter erat Amaneus, seu Amanateus Albretius, Alani de Albreto, & Franciscæ de Britannia filius, ac Joannis Navarræ Regis frater. Hic cum Soror ejus Carolina Cæsari Borgiæ Valentini Duci spurio Alexandri VI. filio nuberet, Amaneus anno millesimo quingentesimo (ut putat Ciaconius) ab eodem Pontifice Cardinalis renunciatus est, unde in Italiam ibidem sedem suam fixurus, sese contulit, electo autem Julio II. qui Alexandri clientibus parum favebat, inde exce-

excedere compulsus. Administravit Ecclesias plures, primo Apamiensem, mox Convenensem, demum vero Pampelonensem, ad quam urbem, Navarrici Regni caput, a Canonicis vocatus est; Ast ejus electioni Julius II. tam vehementer sese opposuit, ut non nisi regnante Leone X. pacificam Ecclesiæ suæ possessionem accipere posset: Tandem anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo die secunda Septembris in oppido Belgiojosio Vasatensis Diœcesis decessit, ibidem sepultus. Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. XCV.

Mors Leonardi de Ruvere Cardinalis.

Tertius hoc anno obiit Leonardus de Ruverre patria Savonensis, materno ex genere Sixti IV. Papæ Nepos. Hic ex Basilicæ Vaticanæ Canonico Episcopus primo Agennensis, denique a Julio II. Presbyter Cardinalis SS. duodecim Apostolorum, necnon major Pœnitentiarius renunciatus est. Legatione fungebatur in Patrimonio S. Petri, id vero muneris tanta integritate, ac æquitatis amore obibat, ut cum quidam ex suis cubiculariis alias Cardinali gratissimus supplicem illi libellum porrigeret, in quo negotium quoddam proprium ejus fratrem concernens, minus tamen justum, illius favori

Ciacon. in Jul. II. p. 255.

Ferd. n. Ughel. in addit. ad Ciacon.

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

vori ſummopere commendabatur, Leonardus rem indignatus, cubicularium torvis oculis aſpiciens, *faceſſe*, inquit, *protinus e conſpectu meo ſceleſte, qui tantum nefas mente concipere auſus ſis, ut pluris eſſe apud me ponderis fratris affectum, quam juſtitiæ ſtudium ſuaderes;* hominemque eo ipſo temporis momento domo ejecit. Romæ mortem ſubiit Leonardus juxta quosdam prima Novembris, juxta alios vero vigeſima ſeptima Septembris die, & ſepultus eſt in Eccleſia apud S. Mariam Majorem; cujus obitum pauperes diu multumque luxerunt.

§. XCVI.

Bernardi Tarlati Cardinalis fata.

Ciacon. in Leon. X. Ant. Sandoval. in elog. Card. Jacob. Nardi & Scipio. Amirot. in hiſt. Florent. Garimb. l. 1. c. 4. Auberi. l. c. Bembo in ep. l. 7. 10. & 16. in hiſt.

Quartus denique erat Bernardus Tarlatus, alias Bibienna de Unca ſeu Divitius cognominatus, Conſtantiæ in Normannia Epiſcopus. Referunt nonnulli Scriptores, quod is ex clariſſima olim apud Aretinos Tarlatorum familia Bibiennæ ortum traxerit: verum ex quadam Leonis X. epiſtola comperimus, hunc obſcuro genere natum nonniſi meritorum ſuffragio ad dignitatum apices evectum. Is annum agens ætatis decimum Florentiam miſſus eſt, ut literis inſtitueretur, ubi tam luculenta eruditionis ſuæ ſpecimina edidit, ut in Palatium ac familiam Laurentii

rentii Medicæi introductus, eidem ab Epistolis esset, qui etiam Joannem Medicæum suum Filium, cum ab Innocentio VIII. in Cardinalium Collegium adhuc adolescens esset adscitus, Bernardi cura ac obsequio tradidit, quo munere Bernardus Bibienna tam præclare, tantaque in Medicæam familiam propensione fungebatur, ut idem Cardinalis postea in Romanum Pontificem sub nomine Leonis X. electus, illum anno supra millesimum quingentesimo decimo tertio mense Septembri Cardinalem tit. S. Mariæ *in porticu* crearet, illumque etiam ad promulgandum sacrum bellum adversus Turcas in Franciam Legatum decerneret, ubi Parisiis ingenti pompa exceptus, Franciscum I. ad hanc expeditionem contra Infideles valde propensum cognoverat, ut apparet ex quadam hujus Legati ad Cardinalem Medicæum Epistola, quam Belleforestus gallice reddidit; in ea enim Galliarum Rex quadraginta armatorum millia suppeditare eisque ipsus præesse pollicebatur: id ipsum etiam effectui dedisset, nisi tum sinistris Papæ, & Cardinalis Medicæi suspicionibus ac secretis contra Franciam consiliis tam pia consilia effectu suo frustrata fuissent.

Saecul. XVI. A.C 1520.

Guicc. l. 11. *& 12. Paul. Jov. in elog.*

Bernardus Bibienna mala, quæ ex improvida hac agendi ratione secutura

Sæcul. XVI A. C. 1520.

essent, probe prospiciens, acriori stylo hac super re Romam perscripsit, quæ sua licet æqua agendi libertas eidem funesta accidit; quippe integra valetudine Romam perveniens paulo post nona Novembris anno millesimo quingentesimo vigesimo quinquaginta annos natus e vita excessit. Referunt nonnulli, Bernardum veneno (ut putat Paulus Jovius) ex frixis ovis hausto extinctum fuisse (*) non sine ingenti Regis luctu, eoquod hunc Cardinalem magno in pretio haberet; ex quo exigua prorsus Guicciardini sinceritas

(*) Non ideo Bibienna Pontificis indignationem incurrebat, quod Leoni commentitiam illam imprudentiam objecisset, sed ea ex ratione, quod ex Galliis redux *intempestiva ambitione ad Pontificatum aspirasset, si Leo vita excederet, quod ei Rex Galliarum ex prolixa pollicitatione suffragaturus crederetur*, calumnia autem est, ex vindictæ cupidine (ut Continuator insinuat) venenum fuisse propinatum, id unice verum est, quod Cardinalis hanc suspicionem intime imbiberit, nam *tabifico veneno ex frixis ovis de manu in mensa porrectis se petitum existimabat, SUSPICIOSIUS QUAM DECEBAT, inani certe argumento, quod insignium medicorum, qui nulla veneni sumpti vestigia deprehendissent, etiamsi iterata atque exquisita remedia minime profeciissent.* Ita Ciaconius, Georgius Egg, & alii.

tas proditur, qui Bernardum Bibiennam Gallis minus addictum fuisse scripsit. Testamento jussit corpus suum ad Lauretanam Domum, cujus erat Protector, deduci, atque in Sacello B. Virginis sepeliri: post obitum tamen sepultus est in æde S. Mariæ de Aracæli, ubi ejus epitaphium legitur, quod illius Nepotes insculpi curarunt. Posteris reliquit Cardinalis hic quædam opuscula versibus conscripta. Sæcul. XVI. A.C.1520.

§. XCVII.

Gaufredi Boussardi obitus.

Horum Cardinalium fatis merito accensendi sunt tres alii Scriptores Ecclesiastici eodem hoc anno vita functi. Horum primus est Geofridus seu Gaufredus Boussardus patria Cenomanensis Theologiæ Doctor, ac Parisiensis Scholæ Cancellarius. Is anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto ad Navarræ Collegium, ut literis institueretur, decimum septimum ætatis agens mittebatur, atque ibidem anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo nono Doctoratus Laurea insignitus, utilem prorsus operam navabat edendis veteribus Scriptoribus, uti sunt Historia Ecclesiastica Rufini, & expositio in D. Paulum, quæ Ven. Bedæ adscribitur. Dein

Miræus de Script. Sæcul. XVI. Duboullai hist. Univer. Paris. t. 6. Launoi hist. Navar. Du Pin Bibl. Scrip. XVI. Sæcul. p. 94. La Croix du Maine Bibl. Franc.

Sæcul. XVI. A. C. 1520.

ipsus anno salutis millesimo quingentesimo quinto tractatum composuit de continentia Sacerdotum, ac quinto post anno Romam, inde vero Bononiam, ubi tum Papa agebat, venit, atque eo præsente de Jesu nomine orationem habuit. Postea Pisano Concilio interfuit, ac ejusdem Synodi jussu Cajetani tractatum de auctoritate Papæ & Concilii ad Parisiensem Scholam ibidem discutiendum detulit. Demum anno supra millesimum quingentesimo decimo septimo Cancellarius Parisiensis Ecclesiæ nominatus, sequenti anno hanc dignitatem in Nicolaum Dognyum transtulit, atque obtento hoc beneficio Cenomanum seceſſit, ubi etiam hoc anno animam Deo reddidit, in æde Benedictinorum ad S. Vincentium sepultus. Teste La croix Cenomanensi Bouſſardus inter ævi sui doctissimos non infimum sibi locum vendicabat, ut ejusdem libri, quos ad posteros transmisit, sat luculenter comprobant.

Scripsit tractatum de Sacrificio Missæ anno Domini millesimo quingentesimo undecimo, necnon nono post anno typis impressum. Lucem quoque publicam aspexit anno millesimo quingentesimo decimo nono ab eo facta explicatio septem Psalmorum pœnitentialium, necnon Parisiis quoque editus est anno millesi-

lesimo quingentesimo quinto liber de continentia Sacerdotum, tandem biennio post publicata est oratio, quam coram Julio II. Papa Bononiæ habuit. Cuncta hæc opuscula latino sermone conscripsit, & unicum edidit libellum gallice scriptum, nimirum *de regimine ac instructione pro cujuscunque status fœminis, quæ secundum Deum in hoc sæculo vivere desiderant.* Palmam autem ceteris ejusdem Auctoris operibus præripit tractatus de continentia Sacerdotum. Ubi hanc agitat quæstionem, *utrum Papa possit cum Sacerdote dispensare, ut nubat*, hancque septem propositionibus dissolvit. In prima docet, Clericis, qui nonnisi in minoribus constituti erant, tam in Orientali quam Occidentali Ecclesia conjugii statum semper fuisse permissum. In secunda contendit, a primo Ecclesiæ exordio usque ad Siricium, & Innocentium I. etiam conjugatis sacros Ordines conferre, excepto Presbyteratu, fuisse concessum, illisque matrimonii usum cum uxoribus suis permissum, nec propterea ab Ordinis sui functionibus excluſos. In tertia existimat, a tempore utriusque hujus Pontificis haud ultra licitum fuisse, conjugatos Diaconatu ac Sacerdotio initiari, ita, ut adhuc cum suis uxoribus vivere possent, sed eas dimittere, ac continentiam promittere fuisse compulsos. Addit tamen idem Scri- Sæcul XVI. A.C.1520.

Sæcul. XVI. A.C. 1520

ptor, usque ad Gregorii Papæ tempora conjugatis liberum fuisse, an continentiam vovere vellent, vel nollent. Quarta propositio affirmat, quod a tempore S. Gregorii illis solum, qui castitatem vovissent, Diaconatum conferre, in Occidente permissum fuisset. Quinta sic habet: semper fuit concessum; atque hodiedum Græcis & orientalibus conceditur, ut illi, qui uxores habent, ad sacros Ordines imo ad ipsum etiam Presbyteratum promoveri, ac cum uxoribus suis vivere valeant. Sexta propositione asserit, quod non liceat, nec unquam licitum fuerit matrimonium inire illis, qui jam antea sacros Ordines Presbyteratum, Diaconatum, aut Subdiaconatum suscepissent. Denique in septima tenet, Papæ in quibusdam casibus suffragari potestatem cum viro sacris Ordinibus initiato dispensandi, ut Matrimonium contrahat.

§. XCVIII.

Claudii Seysselii Taurinensis Archiepiscopi extrema.

Ughel de Archiep. Taurinens. t. 2. San Marth Gall. Christ. t. 2. p. 665. & 669.

Inter hosce Scriptores alter est Claudius Seyssellius Taurinensis Archiepiscopus, juxta quosdam Aquis Gratianis, ignobili Sabaudiæ oppido prope Cambrium, vel juxta alios Sessellii, exigua Beugesiæ urbe

urbe natus. Is libellorum ſupplicum Ma- Sæcul. XVI.
giſter Ludovico XII. Regi a conſiliis fuit, A.C. 1520.
ejusque vitæ hiſtoriam ab anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo, uſque ad annum Chriſti milleſimum quingenteſimum decimum quintum conſcripſit. Interfuit quoque Regis nomine Lateranenſi Concilio ſub Leone X. ac demum anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo Maſſiliæ Epiſcopatum adeptus, ibidem Franciſcum I. & Claudiam Reginam ejus conjugem anno ſalutis milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo excepit. Poſtea Taurini, ubi olim communi omnium applauſu juris ſcientiam tradidit, Archiepiſcopus renunciatus eſt, facta cum Innocentio Cibo Cardinale permutatione, cui tamen dignitati haud diu vita ſuperſtes fuit, hoc anno die prima Junii mortuus. Præcipuum inter ejus opera commendatur Waldenſium hiſtoria, in qua hujus ſectæ ortum, ac progreſſum exacte recenſet, quod opus omnino Paſtoralis ſuæ ſollicitudinis partum dicere valemus; hisce enim erroribus diœceſim ſuam ducentis abhinc annis & amplius infectam comperiens, omnem eſſminandæ ſectæ curam impendit. Ipſus Ludovico XII. anno ſupra milleſimum quingenteſimo octavo Hiſtoriam ſuam tradidit, iterato typis vulgatam; in qua prorſus ſingularia facta recenſet, ac ut

ea,

Sæcul. XVI. A.C. 1520.

ea, quæ deerant, quadam ratione supleret, biennio post relationem suam de celebri prælio Agniadellano edidit: In hac tamen Ludovici XII. historia stylo usus est potius Panegyrico, ac Heroem suum cum Prædecessoribus, præcipue autem cum Ludovico XI. conferens, ceteros omnes pro more Panegyristarum inferiori loco habuit, ut solum eum, cujus vitam descripsit, omnibus eminentiorem depingeret. Præterea alios elucubravit tractatus, nimirum de Providentia, de dignitate Regum, de triplici viatoris statu ad Leonem X. Papam; commentarios in Evangelium S. Lucæ, & jus civile, pluraque alia opuscula ad hodiernam Historiam perutilia. Gallice etiam reddidit Historiam Ecclesiasticam Eusebii Cæsariensis, Thucydidem, Appianum Alexandrinum, Diodorum Siculum, Xenophontem, Justinum, Senecam, & alios. Post hæc Anno Salutis millesimo quingentesimo sexagesimo sexto Basileensibus literis excusum prodiit ejus *Speculum Feudorum*, Parisiis vero Anno Salvatoris millesimo quingentesimo quadragesimo, ac demum septemdecim post annis e prælo exiit tractatus, quem *legem Salicam Gallorum* inscripsit. Hunc primum fuisse testatur *Chantereau le Fevre*, qui legem Salicam veluti Gallicæ coronæ jus allegabat, Scriptoribus magis

gis antiquis illam mere tanquam consuetudinem Regni citantibus. Ibidem etiam typis edita fuit Anno Salvatoris millesimo quingentesimo decimo nono, quadragesimo, & quadragesimo octavo magna Gallorum Respublica, quæ Sleidano interprete iterato latine in lucem prodiit. Ceterum Seyssellius non minori facilitate, quam sermonis puritate scripsit, & quamvis non nisi leviter Theologiæ scientia tinctus fuisset, ut ipsemet fatetur, nihilominus illius principiis fortiter institit, atque occurrentes materias ad cujuscunque captum domesticis plerumque exemplis feliciter dilucidavit. Sæcul. XVI. A.C. 1520.

§. XCIX.

Sylvester Mozolinus, seu Prieras.

Tertius denique ex Scriptoribus hoc anno mortuis erat Sylvester Prieras seu potius Mozzolinus, dictus Prieras a Nativitatis suæ oppido, quod in Montferatensi aut juxta alios in Genuensi ditione prope Savonam situm erat: annum ætatis decimum quintum agebat, cum Ordinis S. Dominici alumnus, ac postea illustrissimum illius ornamentum fieret, nam in præcipuis Italiæ Universitatibus publice Theologiam docuit, sæpius conventuum Superior, semel Longobardicæ Con- *Echard. de Script. Ord. FF. Prædic. tom. 2. Du Pin Bibl. Script. t. 14.*

Sæcul. XVI. A.C.1520.

Congregationis Vicarius generalis, ac demum ſacri Palatii Magiſter creatus eſt, nec tamen harum dignitatum ſollicitudo literarum cultui tempus adeo præripuit, quin plures libros, velut totidem pietatis ac eruditionis ſuæ monumenta relinqueret. Palmare vero, quo ſibi ingentem conciliabat famam, opus eſt ſumma moralis, quæ vulgo *Sylveſtrina* nuncupatur, ſeu *ſumma ſummarum*, eoquod aliorum ſummas congeſſit, contraxitque. Edita fuit hæc Anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo decimo ſexto Leoni X. nuncupata, & aucta prodiit rurſum anno ſupra milleſimum quingenteſimo decimo nono, poſtea Antwerpiæ quingenteſimo octogeſimo, ac denique Lugduni nonageſimo tertio. Aliud adhuc opuſculum ad poſteros transmiſit, cui titulus, *Roſa aurea*, quæ eſt Evangeliorum totius anni explanatio ex S. Patribus collecta; hæc primo lucem aſpexit anno milleſimo quingenteſimo tertio, poſtea ſæpius recuſa. Præter ampliora hæc volumina compoſuit Sylveſter compendium commentariorum Capreoli in quatuor libros ſententiarum; tractatum in defenſionem doctrinæ S. Thomæ; Malleum Scotiſtarum: Tractatum de *Strigimagarum dæmonumque mirandis*, librum de meditationibus; tractatum de cura morientium; *magnum & parvum Confeſſionale*; tracta-

tractatum de Exorcisinis; librum de immolatione Agni Paschalis, ac quædam alia pietatis opuscula. Sæcul. XVI. A.C. 1520.

Hic idem omnium primus adversus Lutherum calamum strinxit, quamprimum ejus propositiones seu theses de Indulgentiis Romam deferebantur. Libro suo hunc præfixit titulum, *Lutheri errores detecti, ejusque argumenta confutata*, eumque in lucem edidit Romæ anno millesimo quingentesimo vigesimo. Mortuus est Sylvester, cum Ordinis sui Provinciam lustraret apud Rhedones in Britannia die vigesima Octobris hoc anno, ut referunt Scriptorum nonnulli, quamvis alii ejus obitum ad Annum Domini millesimum quingentesimum vigesimum tertium rejiciant, ac peste extinctum memorent.

Censet Dupinus, quod Sylvester necdum barbarum sermonis modum, qui illo ævo dominabatur, exuisset, nec humaniorum literarum selectum habuisset. Typis impressum prodiit anno millesimo quingentesimo decimo nono quoddam opuscu-lum latini sermonis, cui titulus: *Tractatus solemnis de arte ac modo in quoscunque Hæreticos inquirendi;* Liber is ex inscriptione hac a quodam Dominicano compositus videbatur, ac Sylvestro nuncupatus, imo non deerant, qui Sylvestro hunc

Secul. XVI. A.C. 1520.

hunc librum palam attribuere non dubitabant, denuo impressum sub hoc titulo: *Solemnis ac legitimus modus inquirendi, inveniendi, ac convincendi Lutheranos, opus summopere necessarium; per venerabilem Fratrem Magistrum Sylvestrum de Prierio Romæ Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio.* Attamen paulo post compertum habebatur, hunc librum esse cujusdam Lutherani partum, quem Eduardus Brour Londinensibus literis anno millesimo sexcentesimo nonagesimo rursum excudit, ac collectioni adjecit, quæ inscribitur: *Fasciculus rerum expetendarum, & fugiendarum.*

INDEX

INDEX
TOMI XXXIII.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ.

A.

Ægidius Viterbiensis Cardinalis creatus 228.
Æthiopiæ Imperator ad Lusitaniæ Regem Legationem decernit 46.
Adrianus Lovanienſis Decanus in Hiſpaniam pro ſucceſſionis negotio mittitur 129. cum Ximenio de Regni adminiſtratione contendit 135. Cardinalis creatur 228.
Albienſis Archiepiſcopatus, lis circa illius collationem exorta 353.
Albretus Cardinalis moritur 576.
Albretus Joannes Navarræ Rex, Regnum ſuum recuperare molitur 154. ejus exercitus profligatur 155. moritur 156. Galli hoc Regnum repetunt 157.

Albuquer-

Albuquercius Æthiopiæ Imperatoris Legatum in Europam reducit 47. ex dolore animi moritur 123.

Aleander Papæ Nuntius in Germania 553. ejus elogium. *Ibid.* Breve Apoſtolicum Saxoniæ Electori tradit 554.

Almainus, ejus obitus, & libri 203. ſcripſit contra Cajetanum 208.

Alphonſus Infans Luſitaniæ, in Cardinalem creatus 230.

Alvianus Bartholomæus Veneti exercitus Dux fœderatos ab armis ceſſare compellit 93. moritur 103.

Ambaſius Ludovicus Cardinalis, ejus obitus 300.

Ambroſius Catharinus a Luthero laceſſitur 563.

Amerſtorffius Ximenio Regiminis ſocius adjungitur 139.

Angli pacem cum Gallis ineunt 11. 13. 22. fœdus cum Gallis innovant 55.

Anna de Britannia Galliarum Regina moritur 1. ejusdem laudes 2. 3. 4.

Annexorum jus in odium ſummorum Pontificum a Provinciæ Senatu introductum 70.

Appellatio ad eludendum Galliarum Regis mandatum interpoſita 313. a Luthero contra Pontificis obedientiam aſſumpta 378. 385. 557.

Aquenſis Senatus ſeſe Synodo Lateranenſi ſubjicit 70.

Arcim-

Arcimboldus ad prædicandas Indulgentias ad Septentrionalia Regna mittitur 301. capitur 302.
Armelinus Cardinalis creatur 228.
Arragonenſes Regi ſubſidia denegant 127. Carolum tanquam Regem ſuum agnoſcere tergiverſantur 145.
Arragonius Ludovicus Cardinalis ejus obitus 497.
Arſilla a Fezzarum Rege incaſſum obſidetur 194.
FF. *Auguſtiniani* Indulgentias promulgandi facultatem eis non fuiſſe delatam ægre ferunt 270. 271. Romæ Lutherum damnari petunt 507. eundem ad ſubmiſſionem hortantur 510.

B.

Bambrigius Eboracenſis Archiepiſcopus Cardinalis, ejus vita & mors 18.
Barbaroſſa in Africam irrumpit 195.
Bendinellus Cardinalis in vitam Pontificis conjurat 223. capitur 224. perpetuo carcere plectitur 224. libertati reſtituitur 225. moritur 416.
Bennitzius Philippus Sanctorum faſtis adſcribitur 198.
Bituricenſis Archiepiſcopatus, lis circa nominationem ad hanc Eccleſiam 353.
Bocherius in Cardinalem electus 230. moritur 494.

Bononia, Papa cum Galliarum Rege ibidem colloquium habet 110.
Borbonius Ludovicus Cardinalis creatur 228.
Briſſonetus Cardinalis ejus obitus 20.
Buſſardus Scriptor Eccleſiaſticus, ejus opera & obitus 583.

C.

Cæſarinus Cardinalis creatur 229.
Cæſius Cardinalis nominatur 229.
Cajetanus Thomas de Vio, ejus liber de auctoritate Pontificis ab Almaino confutatur 208. Cardinalis creatur 228. in cauſſa Lutheri Legatus in Germaniam mittitur 375. 367. nimiæ ſeveritatis accuſatur 368. cum Luthero de Indulgentiis, & peccatorum remiſſione agit 360. rurſus cum eodem confert 373. Lutheri libellum de auctoritate Pontificis accipit 375. a Luthero decipitur 377. de Lutheri fuga apud Electorem Saxoniæ queritur 379. ſed non auditur 381. a Luthero impugnatur 382.
Campegius Cardinalis creatur 227. Legatus in Angliam mittitur 413.
Campſon Ægypti Sultanus a Selimo profligatus 192.
Cardinales a Leone X. creati 226.
Cardonna Raymundus ſeſe Helvetiis conjungere prohibetur 90. exiguam ſpem in Pontificis fœdere habet 91.

Carolus Archidux Auſtriæ fœdus cum Gallis init 55. de Hiſpaniæ Succeſſione ſollicitus 128. ab Adriano adjuvatur 129. Gallorum opem hanc in rem implorat 130. reſciſſo teſtamento hæres nominatur 132. Ximenio quosdam Regiminis ſocios adjungit 139. Caſtellæ & Arragoniæ Rex proclamari petit 140. hac ſuper re Ximenio ſcribit 141. ejus epiſtola in comitiis prælegitur 142. a Caſtellanis Regium nomen obtinet, non item ab Arragonenſibus 144. 145. Navarræ Regem profligat 154. de hujus Regis expeditione apud Galliarum Regem queritur 156. circa Navarræ Regnum concordiæ pacta cum Gallis init 158. Inquiſitionis ſeveritatem temperat 249. in Africam movet 255. in Hiſpaniam venit 260. a Toletano Senatu perhonorifice excipitur 261. Caſtellæ Rex coronatur 262. quædam Caſtellanis concedere rogatur 263. Sororem ſuam Luſitaniæ Regi nuptui dat 393. Cæſar auguſtæ comitia celebrat 395. ejus benignitas ab Arragonenſibus commendatur 396. impedit, ne imperii ſucceſſio in fratrem ſuum transferatur 398. mortuo Maximiliano Imperio ſuccedere molitur 424. ejus electio Pontifici minus accepta 429. agitur de ejus electione 480. in Cæſarem a Friderico Saxoniæ Duce propoſitus 481. 484. ejus electioni obluctatur Trevirenſis Elector 485. Carolus

in Cæsarem eligitur 486. Legatos excipit 487. sub ejus Imperio Mexicum & Fretum Magellanum detegitur 489. 491. Hispaniæ Regna Majestatis supremæ titulo auget 493. Luthero suum patrocinium impendere rogatur 504. a Papa rogatur, ut Lutherum carceri mancipet, sed se excusat 517. Toletanorum seditionem compescit 538. 541. ex Hispania in Germaniam proficiscitur 544. per Angliam profectus a Rege salutatur 545. Angliæ Regem Caleti invisit 548. Gandavum venit 549. Saxoniæ Electori gratum se exhibet 550. Aquisgrani coronatur. *Ibid.* Fratri suo Austriæ ditiones cedit 551. Wormatiæ comitia Imperii celebrat 552.

Carolstadius ejus initia 389. cum Eckio disputat de libero arbitrio, & 458. ab eo confunditur 459. 460. cum eodem contendit de libero arbitrio & bonis operibus 473. rursus ab eo superatur 474.

Carretus Cardinalis, ejus obitus 19.

Castellani, comitia Castellæ celebrata 126. Carolum in Regem salutare tergiversantur 140. ab eis Rex proclamatur 144. 262. quædam a Carolo postulant 263.

Catharinus Ambrosius a Luthero lacessitur 563.

Cesarinus Alexander, Cardinalis creatur 229.

Christiernus II. Daniæ Rex, ejus crudelitas ac perfidia 43. Stockolomiam obsidet 407. datam fidem violat 408. Sueciæ Guber-

Gubernatorem profligat 564. Rex proclamatur 565. Stockolomiam occupat 565. Sueciæ Senatores crudeliter occidit 566. Regno excedere compellitur 569.
Claudia Ludovici XII. Filia Valesiæ Duci nubit 16.
Cleri reformatio in Concilio Lateranensi decreta 26.
Colonienſis Universitas Lutherum damnat 477.
Columna Pompejus Cardinalis creatur 227.
Columna Prosper a Gallis ex improviso obruitur 84.
Communio sub utraque specie a Luthero petitur 502. 503. Parisiensis Facultatis sententia de Communione Paschali 572.
Conciliabulum Pisanum, illud Ludovicus XII. detestatur 1.
Concilium Romanum seu Lateranense V. Sessio IX. 23. decretum editur de emendanda Curia Romana 26. Sessio X. prorogatur 32. celebratur 61. decretum promulgat de Montibus Pietatis 62. aliud de Clericis 64. item de impressione librorum 66. necnon de Sanctione Pragmatica 68. Congregatio generalis de proxime statuendis ac de Pragmatica celebratur 162. Sessio XI. 163. Decretum de Concionatoribus 165. Papa Synodo finem imponere meditatur 217. Sessio XII. innovatur decretum contra invasores ædium Pontificiarum 219. Finis Concilii Late-

Lateranenſis 220. Oratio Franciſci Mirandulani in Synodo habita 221.
Concionatores vide *Prædicatores.*
Concordata, eorum forma exhibetur 161. Sanctioni Pragmaticæ ſubrogantur 175. diſcrimen inter utrumque 177. a Parlamento Regis juſſu acceptantur 231. hæc cauſſa vehementer agitatur 303. Parlamentum ad concordata acceptanda ſollicitatur 305. hanc in rem Regis juſſu Trimolius Parlamentum incitat 306. per Advocatum Senatores ſuas reſiſtendi rationes Trimolio exponunt 307. Parlamentum concordata nonniſi ſub conditione acceptare ſtatuit 309. a Trimollio rurſus ſollicitatur 311. denuo ad Papam & Concilium provocat 313. hanc in rem etiam Univerſitas Regi libellum ſupplicem porrigit 313. eundem libellum Parlamento exhibet 315. Parlamentum concordata quibusdam conditionibus temperata recipit 316. Rex illa omnino acceptari poſtulat 317. ob contumaciam Univerſitas Pariſienſis a Rege objurgatur 319. concordatorum promulgatio ad annum unum prorogatur 320. Parlamentum ſuam repugnantiam vindicare nititur 321. Pragmaticam non eſſe abrogandam demonſtrat 326. ejus rationes a Cancellario refelluntur 334. concordatorum articuli a Franciæ Cancellario vindicantur 341. 345. 349. quædam diſſidia inde exorta 351.

Confessio Paschalis 164. an apud Religiosos deponenda 188. 297. 299. 572.
Confessio Sacramentalis a Luthero impugnatur 356. 514.
Congi Regnum, eo Missionarii mittuntur 196.
Consalvus Ferdinandus moritur 125.
Cornettanus Antonius Cardinalis, infaustum illius fatum 410.
Cortesius Mexicanam Insulam detegit 489.
Corona Domini & B. V. M, seu quædam precandi formula 296.
Croy Guilielmus Cardinalis creatur 230.
Cuppus, Dominicus, Cardinalibus adscribitur 227.

D.

Dania, tumultus in Regno suscitati 43. 564.
Decretales a Luthero & Wittembergensibus Studiosis combustæ 560. ex iisdem quasdam propositiones decerpunt in odium Papæ 561.

E.

Ecclesia S. Petri Vaticana, pro ejus fabrica Indulgentiæ promulgantur 268.
Eckius in propositiones Lutheri annotationes scribit 354. cum Luthero, & Carolstadio Lipsiæ disputat 456. 458. 461. 463. ambos devincit 459. 460. cum Luthero contendit circa Purgatorium, Indulgen-

tias, & Pœnitentiam 468. 469. 472. disputat cum Carolstadio de bonis operibus 473. victoriam reportat 474. pro Pontificis auctoritate scribit 508.

Eleonora Caroli V. Soror Lusitaniæ Regi nubit 394.

Elisabetha Lusitaniæ Regina Beatis adscribitur 198.

Emanuel Lusitaniæ Rex summo Pontifici obedientiam præstat 44. Bullam cruciatæ obtinet 45. legationem Æthiopiæ Imperatoris excipit 46. Missionarios in Congi Regnum mittit 196. egregium ejus responsum Galliarum Regi adversus Principes Catholicos concitanti datum 197. Eleonoram Caroli V. Sororem sibi desponsat 393.

Emserus Hieronymus Lutherum impugnat 476.

Erasmus Rotherodamus, a Luthero ad hæresin sollicitatur 436. ejus vita 437. habitum Religiosum exuit futili ex caussa 439. datis ad Leonem X. literis ejus patrocinium implorat 441. ob versionem novi testamenti redarguitur 442. 445. sese defendit 442. 445. inter Caroli V. Consiliarios recipitur 446. Lovanium venit 447. a Luthero epistolam recipit 447. 452. eundem ad majorem moderationem hortatur 448. ob epistolam ad Lutherum scriptam impugnatur, suamque innocentiam vindicat 450. a Saxoniæ Electore ad

ad Lutheri sectam sollicitatur 451. quid de Luthero senserit 453.
Eraldus de Marcha Cardinalis creatus 575.
Erisson Gustavus Lutheri sectam in Sueciam introducit 570.
Estensis Hyppolitus Cardinalis moritur 576.
Eucharistia, a Luthero impugnatur 533.
Exemptiones Religiosorum, de iis agitur 64.

F.

Facultas Theologica, vide *Propositiones*.
Ferdinandus Rex Catholicus cum Gallis inducias firmare renuit 58. ob bellicum Gallorum apparatum anxius 71. fœdus contra Gallos init 72. Castellæ comitia celebrat 126. Arragonenses eidem subsidia denegant 127. Regis infirmitas 128. Ferdinandum Regni sui hæredem scribit 131. de sua salute nimium sollicitus 131. testamento rescisso Carolum hæredem nominat 132. pie obit 134.
Ferdinandus Austriæ Archidux, agitur de successione in Hispaniæ Regna 128. hæres scribitur 131. testamentum rescinditur 132. eidem Carolus hæreditarias Germaniæ ditiones cedit 263. Ferdinandus ad Cæsarem mittitur 264. Cæsar eundem Imperii Romani Successorem declarare nititur 396. ejus frater ipsi Austriæ ditiones cedere statuit 551.
Ferrerus Bonifacius Cardinalis creatur 227.

Franciscus I. Claudiam Ludovici XII. filiam sibi desponsat 16. Ludovico XII. succedit 52. inungitur 53. Regiminis sui auspicia. *Ibid* Fœdus cum Anglis innovat 55. novum cum Carolo Archiduce init 55. ejus amicitiam Cæsar, Rex Hispaniæ, & Helveti respuunt 56. 58. cum Venetis tandem pacem init 50. Papam ut neutri parti adhæreret, rogat 60. contra eum multi Principes fœdus ineunt 72. 77. pecunias corradere suum Cancellarium jubet 78. dignitates vendit 79. Petrum Navarrum ad defectionem sollicitat 74. in Italiam movere parat 81. Alpes superat 82. Helvetios incassum ad fœdus sollicitat 85. 87. 88. cum Ponticis nuntio, eo inscio fœdus init 105. 107. Pragmaticam Sanctionem abrogare sollicitatur 109. hac de re Bononiæ cum Papa agit 110. 113. Bononia Mediolanum redit 119. cum Helvetiis fœdus sancit 120. circa Navarræ Regnum cum Carolo pacta init 158. concordatum a Parlamento acceptari præcipit 231. 235. Papam sibi devincire studet 266. a Papa decimas exigendi facultatem obtinet 267. queritur de Parlamenti pertinacia 304. vehementer Parlamentum ad acceptandum concordatum sollicitat 305. Trimolium ad Parlamentum hanc in rem mittit 306. ad illud duas mittit epistolas 316. de contumacia Universitatis graviter queritur

ritur 318. a Papa unius anni inducias pro Concordati promulgatione obtinet 320. Tornacum recuperare molitur 397. hanc in rem Volſeium ſollicitat 398. Tornacum obtinet 399. Legationem ad Angliæ Regem decernit 400. Fœdus cum Anglo init 401. Tornacum reſtituitur Gallis 403. Trivultium durius habet 405. mortuo Maximiliano Imp. Romanum Imperium ambit 425. illius artes 425. hanc in rem Hungariæ, Poloniæ, & Bohemiæ Reges, necnon & Helvetios ſollicitat 426. 427. 428. ejus nominatio Pontifici diſplicet 329. ubique repulſam fert 427. 428. cum Angliæ Rege pacta init 547.

S. *Franciſcus* de Paula Sanctis adſcribitur 479.

Fregoſus Genuenſium Dux Gallis favet 78.

Fridericus Saxoniæ Elector a Papa ad coercendam Lutheri petulantiam urgetur 365. Lutherum tuetur 366. a Luthero epiſtolam accipit 379. pro Luthero ipſius ad Caietanum ſcribit 381. Lutheri apologiam contra Legatum recipit 382. Eraſmum ad Lutheri ſectam ſollicitat 451. eidem Cæſarea dignitas offertur 480. eam acceptare recuſat 481. Carolum in Cæſarem eligendum proponit 431. 484. pro hoc obſequio dona acceptare recuſat 487. impenſum Luthero præſidium apud Papam excuſat 509.

Galli

G.

Galli pacem cum Anglo inire ſtatuunt 11. 13. hæc pax Pontifici minus probatur 22. Præſules Galli ſuam a Lateranenſi Concilio abſentiam excuſant 24. 68. a Papa abſolvuntur 25. ab Helvetiis tranſitu prohibiti 79. Helvetios incaſſum ad fœdus ſollicitant 85. 87. 88. Helvetios profligant 97. Mediolanum occupant 101. Galliarum Regum privilegia nominandi ad beneficia 339.

Gara Ruvereus ejus obitus 301.

Georgius Saxoniæ Dux in fide conſtans 474.

Graduati, eorum jura in concordato ſtabilita 178.

Greiffenclau Trevirenſis, Archiepiſcopus Caroli V. electioni in Cæſarem obluctatur 485. tandem aquieſcit 486.

Guffierus Valeſii Ducis Gubernator 16.

Guffierus Adrianus Cardinalis creatur 111.

Guilielmus Bavariæ Dux Carolo neo-electo Cæſari electionis factæ nuntium defert 487.

H.

Helvetii pacem inire recuſant 5. Gratianopolitani Præſidis perfidiam plectunt 10. cum Gallis fœdus pangere renuunt 56. 85. 88. Gallis adverſantur 72. Gallis tranſitum denegant 79. incognitam quamdam viam obſidere negligunt 82. omnem cum Gallis

Gallis amicitiam abdicant 88. ſeſe Hiſpanis conjungere prohibentnr 90. 92. Gallos aggrediuntur 94. profiigantur 95. anceps prælium 97. pugna redintegratur 98. occiſorum numerus 99. cum Gallis fœdus ineunt 120. contra ſuos pugnare detrectant 150. eorum petulantia contra Cæſarem 151. Galliarum Regi Imperium ambienti reſiſtunt 428.

Hæreticis in principio ſtatim reſiſtendum 508.

Henricus VIII. pacem cum Gallis inire ſtatuit 11. 13. ejusdem Soror Franciæ Regi nubit 15. fœdus cum Gallis firmat 401. Tornacum ex Volſei ſuaſu Gallis reſtituit 397. 403. a Cæſare officioſa ſalutatione honoratur 545. 546. 548. cum Galliarum Rege pacta init 547. 548.

Hiſpani ſeſe Helvetiis conjungere prohibentur 90. Hiſpaniæ Regna ab Imperio non dependent 493. Majeſtatis titulo gaudent. *Ibid.*

Hochſtratus Lutherum impugnat 363.

Hungari Sinderoviam obſident 152.

Huttenus Ulricus adverſus Papam convitia ſpargit 570. auffugere compellitur 571.

I.

Jacobatius Cardinalis creatur 227.

Indi de Hiſpanorum jugo queruntur 246.

Indulgentiæ pro fabrica Baſilicæ S. Petri promulgantur 268. ad eas promulgandas

FF. Prædicatores seliguntur in Saxonia 269. id ægre ferunt FF. Augustiniani 270. præcipue eorum Vicarius Generalis 271. Lutherus adversus Indulgentias debachatur 276. Catholicum dogma de illis 278. 383. eadem doctrina magis confirmatur 280. contra eas Lutherus nonaginta quinque propositiones divulgat 281. Indulgentiarum abusus Catholicis objicit 284. 360. propositiones pro Indulgentiis a Tetzelio eduntur 287. earum thesaurus 355. propositiones contra Indulgentias 408. de illis Eckius cum Luthero disputat 469. a Zwinglio impugnantur 501. de iis Lutheri opinio 532.

Inquisitio, ejus severitas temperata 249.

Joanna Caroli V. Mater eidem obviam venit 260. a rebellibus Regno præficitur 542. capta reducitur 543.

Joannes Mantuanus Carmelita, vide *Mantuanus.*

L.

Ladislaus Bohemiæ Rex, moritur 215.

Lateranense Concilium, vide *Concilium.*

Latomus Jacobus Erasmum ob versionem novi Testamenti redarguit 445.

Lautrecus Franciæ Marescallus Trivultium ex invidia accusat 404. 405.

Leo X. pacem Cæsarem inter & Venetos conciliare nititur 5. hanc in rem conditiones proponit 7. frustra Venetos ad pacem

cem ſollicitat 8. hanc pacem non approbat 22. Franciæ Prælatos a cenſuris abſolvit 25. Principes Chriſtianos ad Turcicum bellum incitat 36. fœdus contra Turcas pangit 37. Venetos in Cæſaris gratiam revocare nititur 39. a Galliarum Rege fœderatis adverſari ſollicitatur 40. Luſitaniæ Regi Bullam Cruciatæ concedit 45. a Galliarum Rege neutri parti adhærere rogatur 60. Gallorum Præſulum excuſationes admittit 24. 25. 68. contra Gallos fœdus init 76. 77. ejus Nuntius cum Gallis fœdus paciſcitur 105. Papa ægre conſentit 107. Pragmaticæ abrogationem urget 109. Bononiæ hanc in rem cum Galliarum Rege agit 110. Gouffierum & Volſeum Cardinales creat 111. 112. Bononienſe colloquium 113. Urbinatis Duci veniam denegat 114. 115. Galliarum Regem a Neapolis invaſione revocat 116. Pragmaticam abrogari petit 117. Urbinatis Ducem ſua ditione ſpoliat 153. hujus Ducatus inſignibus Medicæum honorat 154. Pragmaticam abrogat 167. concordata ſubrogantur 175. in ejus vitam nonnulli conjurant 223. Hiſpaniæ Clero decimas imponit 251. Indulgentias pro fabrica Baſilicæ Vaticanæ promulgat 268. Sueciam ob captum ipſius Legatum interdicto ſubiicit 302. pro concordati promulgatione Galliarum Regi unius anni inducias concedit 320. Lu-

therus se Pontifici subjicere simulat 358. 359. in caussa Lutheri Cæsar scribit ad Papam 364. Papa Fridericum Electorem & FF. Augustinianorum Superiores ad reprimendam Lutheri audaciam stimulat 364. Romam venire Lutherum jubet 365. permittit, ut ejus caussa in Germania decidatur 366. pro hac caussa Cajetanum ablegat 367. Decretum edit de Indulgentiarum virtute 383. Turcarum invasionibus obsistere nititur 392. Galliarum Regis electionem in Cæsarem Romanum minus acceptam habet 429. Electoris Saxonici Ministros sollicitat pro Luthero e Saxonia pellendo 431. Miltizium ablegat 430. 432. a Luthero Epistolam simulata submissione plenam accipit 434. ab Erasmo literas recipit 441. Erasmi versionem approbat 446. B. Franciscum de Paula Sanctis adscribit 479. ab Electore Saxoniæ & Luthero literas accipit 509. 511. Lutherum includi desiderat 517. edita Bulla eundem, ejusque errores damnat 518. 520. 522. Eraldum de Marca Cardinalem creat 575.

Leporius rationes pro reiiciendo concordato profert 307. Regi cedendum suadet 309.

Libri sine consensu Ordinarii imprimi prohibentur 67.

Lipsiensis disputatio Eckium inter & Lutherum 456. 461.

Livianus vide *Alvianus*.
Longevillæ Dux pacem Gallos inter & Anglos ſollicitat 13.
Lovanienſis Univerſitas Lutherum damnat 477.
Ludovicus Bohemiæ Rex Galliarum Regi Imperium Romanum ambienti reſiſtit 427.
Lucemburgicus Philippus: ejus vita & mors 495.
Ludovicus XII. Piſanum Conciliabulum ejurat 1. Angliæ Regis Sororem ſibi deſponſat 15. ejus filia Valeſiæ Duci nubit 16. Papam ad fœdus cum Gallis ineundum ſollicitat 42. Mediolanenſem Ducatum recuperare fruſtra molitur 41. eximmoderato connubii uſu moritur 50. ejus elogium 51. Franciſcus I. illius Succeſſor 52.
Lutherus Martinus: ejus nativitas, & vitæ auſpicia 272. Doctor Theologiæ creatur 274. ejusdem *Colloquia menſalia* 275. adverſus Indulgentias debacchatur 276. nonaginta quinque propoſitiones contra illas edit 281. errores de juſtificatione & Sacramentorum efficacia ſpargit 285. Tetzelius ſeſe eidem opponit 287. ſubmiſſionem erga Eccleſiam ſimulat 293. 358. 373. ab Eckio impugnatur 354. Theſes edit de pœnitentia 356. ad Leonem Papam ſcribit, ſuamque petulantiam excuſat 359. a Sylveſtro Prierate 362. & ab Hochſtrato impugnatur 363. in cauſſa Lutheri Cæſar ad Papam ſcribit 364.

Romam citatur 365. ejus cauſſa in Germania decidi permittitur 366. hanc in rem Cajetanus ablegatur 367. Lutherus Auguſtæ coram Legato comparet 369. cum Cajetano primum colloquium circa Indulgentias & peccatorum remiſſionem habet 370. rurſus cum eodem confert 373. ſpernit Conſtitutionem Clementis VI. 375. ad errorum revocationem fruſtra admonetur 376. Auguſta auffugit 376. a Pontifice appellat 378. ab Electore Saxoniæ defenditur 381. contra Legati epiſtolam ad eundem ſcribit 382. rurſus ad Concilium appellat 385. errores ſuos ſpargere pergit 386. Melanchton eidem adhæret 388. Carolſtadius eum ſequitur 389. ex Lutheri ſecta Zwingliani oriuntur 390. Lutheri calumniæ contra Tetzelium, & Archiepiſcopum Moguntinum 433. ad Papam perdemiſſe ſcribit 434. Eraſmum ad ſuas partes pertrahere nititur 436. ad eundem ſcribit 447. ab eo literas recipit 448. 452. a quibusdam Religioſis redarguitur 454. ſe vindicat 455. cum Eckio Lipſiæ diſputat 456. 461. circa Primatum Pontificis cum eodem pugnat 463. cum Eckio confert de Purgatorio, Indulgentiis, & Pœnitentia 468. 469. 472. falſo & jactabunde ſibi victoriam attribuit 475. a Colonienſi & Lovanienſi Univerſitate damnatur 477. Communionem ſub duplici ſpecie urget 502.

502. ad Carolum V. perſcribit, ejus patrocinium implorat 504. apud Archiepiſcopum Moguntinum ſe excuſat 506. Romæ damnatur 507. ab Auguſtinianorum capitulo ſeſe ſubmittere jubetur 510. Papam ſe placaturum ſpondet 511. ad eundem ſcribit, ac ſuam petulantiam excuſat 511. 512. Librum *de Chriſtiana libertate* Pontifici nuncupat 513. tractatum de Confeſſione & adverſus vota ſcribit 514. 516. Papa Cæſarem ſollicitat, ut Lutherum carceri mancipet 517. per Pontificis Bullam Lutherus, ejusque errores damnantur 518. 520. Lutheri fautores hanc Bullam carpunt 531. Lutherus in Papæ gratiam redire ſimulat *Ibid.* Librum *de captivitate Babylonica* ſcribit 532. Euchariſtiam, Miſſam, aliaque Sacramenta impugnat 533. 535. Romanam Curiam ſugillat 536. a Papæ Bulla ad futurum Concilium provocat 557. novi ejusdem errores 558. ejus libri in pluribus Germaniæ urbibus combuſti 566. Lutherus Bullam ac Decretales publice comburit. *Ibid.* contra Ambroſium Catharinum ſcribit libellum 563.

M.

Magellanicum Fretum detegitur 491. illud Magellanus invenit 491.

Majeſtatis titulus Regi Catholico adſcriptus 493.

Malaca: incolarum ſeditio 247.

Mantuanus Joannes Baptiſta, Carmelita: ejus obitus, opera & elogium 212.

Maria Angliæ Regis Soror Ludovico XII. Galliarum Regi deſponſatur 15. Suffolciæ Duci nubit 59.

Marignanum prælium 94. 96. 97.

Matthæus Æthiopiæ Imperatoris Legatus pro impoſtore habetur 46.

Maximilianus I. Imperator pacem inire ſtatuit 5. 7. fœdus cum Rege Catholico innovat 58. fœdus contra Gallos init 72. cum Venetis pacem inire rogatur 116. Mediolanenſem Ducatum aggreditur 145. in Italiam cum ſuo exercitu progreditur 147. Venetos in fugam agit 148. Mediolanum obſidet 149. ab Helvetiis divexatur 151. caſtra movet 152. cum Venetis pacem firmat 190. pro reprimenda Lutheri audacia Papam ſollicitat 364. Imperii ſucceſſionem in Ferdinandum Nepotem ſuum transferre molitur 396. ſed abſterretur 397. moritur 421. hujus Imperatoris indoles 422. Carolus V. & Franciſcus I. Imperii competitores 424. 425.

Mediolanum a Gallis occupatur 101. a Cæſare invaſum 145. 149.

Medicæus

Medicæus Julianus, vide *Leo X.*

Medicæus Julianus Pontificis frater Philibertam de Sabaudia ducit 75.

Medicæus Laurentius, Urbinatis Dux creatur 154. Catharinam de Turre sibi desponsdet 266.

Melanchton Luthero adhæret 388.

FF. *Mendicantes* vide *Religiosi.*

Mexicum detegitur 489.

Miltizius Carolus, ad tuendum Lutherum sollicitatur 366. a Papa ad Electorem Saxoniæ mittitur 430. affectata ejusdem lenitas erga Lutherum 432. cum eodem confert 432.

Missa a Luthero impugnatur 535.

Missionarii in Congi Regnum a Lusitaniæ Rege mittuntur 196.

Montes Pietatis eriguntur 62.

N.

Navarra vide *Albretus.*

Navarrus Petrus, a Galliarum Rege ad defectionem sollicitatur 74.

Noviadunense colloquium circa Navarræ restitutionem 157.

Numalius Cardinalis creatur 228.

O.

Opera bona, disputatio circa ea Eckium inter & Carolstadium 473.

P.

Palicius in Italiam penetrat 83. Pontificis exercitum propellit 84.

Pallavicinus Joannes Paptista Cardinalis creatur 227.

Pandolphus Cardinalis creatur 227. moritur 418.

Parlamentum Parisiense concordatum acceptat 231. illud recipere cunctatur 239. a Rege ad acceptandum vehementer sollicitatur 305. 306. sese Regis voluntati opponit 307. additis conditionibus illud recipere statuit 309. denuo a Rege sollicitatur 311. ad Papam & Concilium provocat 313. adjunctis conditionibus concordatum recipit 316. propterea a Rege objurgatur 316.

Passerinus Cardinalis renuntiatur 229.

Pœnitentiæ Sacramentum a Luthero impugnatur 356. de ea Eckius cum Luthero disputat 472.

Petrucius Alphonsus in Papæ vitam conjurat 223. custodiæ datur 224. in carcere strangulatur 225. 300.

Petrucius Raphael Cardinalis creatur 227.

Petrus Maronitarum Patriarcha Oratores ſuos ad Synodum Lateranenſem ablegat 163.

Pfeſingerus ad Lutherum e Saxonia pellendum ſollicitatur 431.

Philiberta de Sabaudia Juliano Medicæo nubit 75.

Picus Mirandulanus, orationem in Synodo habuiſſe falſo creditur 221.

Piccolominæus Joannes Cardinalis creatur 227.

Piſanum vide *Conciliabulum.*

Piſanus in Cardinalem aſſumitur 229.

Poncherus Regii ſigilli Præfectura a Rege ſpoliatur 54. a Rege ad Senonenſem Archiepiſcopatum nominatur 352.

Ponzetta Cardinalis creatur 228.

Pragmatica Sanctio: Galli Præſules vocantur ad proferendas rationes, ob quas eam abrogari detrectant 68. de ejus abrogatione agitur 109. 117. abrogatur 167.

Pratus Franciæ Cancellarius a Rege pecunias corradere jubetur 74. abrogationi Sanctionis Pragmaticæ favet 118. pro acceptando concordato perorat 232. Parlamenti rationes confutat 334. 341.

Prædicatores: decretum de illis 165. Lutherus Indulgentiarum Præcones redarguit 360.

FF. *Prædicatores* in Saxonia Indulgentias promulgant 269. Lutherum impugnant 507.
Prie Cardinalis obitus 201.
Prieras Sylveſter moritur, ejus opera 289.
Primatus Papæ: circa eum Eckius cum Luthero diſputat 463.
Propoſitiones de communione Paſchali & Confeſſione 297. 299. 572. circa Indulgentias 408.
Puccius Laurentius Bullam conſcribit contra Lutherum 519.
Purgatorium: de eo Eckius cum Luthero diſputat 468.

R.

Rangonius Cardinalis creatur 229.
Raulinus Joannes: ejus obitus 48. ejusdem libri 49.
Reformatio Curiæ Romanæ 26. Clericorum & Regularium 64.
Religioſi: agitur de eorum privilegiis 187. ad publicas ſupplicationes accedere adſtringuntur 187. confeſſiones excipere poſſunt 188. in eorum Eccleſiis etiam in diebus Dominicis & feſtis Miſſa audiri poteſt 294. de communione Paſchali 297. 299. Lutheri errores impugnant 454.
Remolinus Cardinalis moritur 414.
Rodolphus Nicolaus Florentinus creatur Cardinalis 229.

Rossi seu Rubeus Cardinalis creatur 228. moritur 498.
Ruvereus Leonardus Cardinalis moritur 578.

S.

Sacramenta a Luthero impugnantur 285. 535.
Salviatus Joannes Cardinalis renuntiatur 229.
Sanseverinas Fridericus: ejus obitus 300.
Scaramucia Trivultius Cardinalis creatur 227.
Scotia, hujus Regni Gubernatrix ipsa Regina 42. turbæ in regno suscitatæ 43.
Seditio in Hispania contra Cæsarem conflatur 538.
Selimus Turcarum Imperator: ejus victoriæ 33. cum valida classe expeditionem in Italiam parat 35. moritur 573.
Semendria ab Hungaris obsessa 122.
Serra Cardinalis, ejus obitus 300.
Sesselius Claudius: ejus opera, & obitus. 586.
Sfortia Maximilianus contra Gallos fœdus init 72. a Gallis in Franciam abducitur 101. pensio ei promittitur 103.
Sinderovia ab Hungaris obsidetur 122.
Solimanus II. victoriam de Sultano Ægypti reportat 192. Selimo succedit 574.
Sophi Ismael Persarum Rex a Turcis profligatur 33.

Spagnoli, vide *Joannes Mantuanus*.
Spalatinus Electoris Saxoniæ Secretarius Lutherum tuetur 380. 387. ut Luthero adverſetur, a Papa rogatur 431.
Staupitius Auguſtinianorum Vicarius Generalis adverſus Indulgentiarum Præcones inſurgit 271. Lutherum defendit 380. 387.
Stenon Sueciæ adminiſtrator in prælio occiditur 564.
Stockolmia a Daniæ Rege obſidetur 407. a Chriſtierno II. occupatur 565.
Stunica Eraſmum ob verſionem novi Teſtamenti redarguit 445.
Suecia interdicto ſubjicitur 302. tumultus ibidem ſuſcitati 564.
Suffolcius Dux Mariam Angliæ Regis Sororem deperit 15. eandem ſibi deſponſat 59.
Sultanus Ægypti a Selimo profligatur 192.
Sylveſter Prieras Lutherum impugnat 362. ejus obitus & opera. 589.

T.

Tarlatus Bernardus Cardinalis moritur 580.
Tetzelius Lutheri errores confutat 287. ad ejus convitia reſpondet 289. illius indoles 292.
Toletani ſeditionem in Cæſarem movent 539. 541.
Tornacum opera Volſei Cardinalis Galliarum Regi reſtitutum 397. 403.

Trimol-

Trimollius Regis jussu Parlamentum ad acceptanda concordata sollicitat 306. 311. ejus rationes a Regio Advocato refelluntur 307.
Trivultius Mediolanum occupare frustra nititur 89. a Lautreco injuste accusatur 404. a Galliarum Rege rejicitur 406. ex mærore animi moritur 407.
Trivultius Augustinus Cardinalis creatur 229.
Tunetarum Rex a Barbarossa occiditur 195.
Turcæ: fœdera contra eos inita 36. 37.

V.

Veneti pacem inire recusant 7. Marani obsidionem solvere compelluntur 8. a Papa in Cæsaris gratiam redire rogantur 39. 117.
Vich Raymundus Cardinalis 228.
Vienna, Principum congressus ibidem celebratur 121.
Vigerius Cardinalis moritur 199. ejus opera 200.
Viterbiensis vide *Ægidius*.
Ulricus Huten convitia in Papam spargit 570. auffugere cogitur 571.
Universitas Parisiensis concordato obluctatur 240. ad futurum Concilium appellat 242. Parlamentum ad rejiciendum concordatum stimulat 313. a Rege vehementer objurgatur 318. Lovanienſis & Coloniensis Lutherum damnat 477.

Vol-

Volſeus creatur Cardinalis 112. auro corruptus Gallis Tornacum reddit 398. 399. Cornetani Cardinalis divitias ſibi vendicat 412. cum Campegio in Anglia Legatum agit 413.
Vota Religioſorum a Luthero impugnantur 516.
Urbinatis Dux, Pontifici infenſus 114. veniam non obtinet 115. ſua ditione ſpoliatur 153.
Urſinus Franciſcus Cardinalis creatur 229.

W.

Wittembergenſes Scholares Papæ Bullam comburunt 560. propoſitiones ex Decretalibus in odium Papæ extrahunt 561.
Wormatienſia comitia a Cæſare indicta 552.

X.

Ximenius Hiſpaniæ Adminiſtrator conſtituitur 133. Caſtellæ Rector nominatur 135. de Regni adminiſtratione cum Adriano contentionem habet 135. adminiſtratio Ximenio adjudicatur 137. eidem quidam regiminis Socii adjunguntur 139. Epiſtolam a Carolo Archiduce recipit circa Caſtellam & Arragoniam 140. Carolum Caſtellæ Regem proclamat 144. Navarræ Regnum tuetur 155. Tunetarum Regis Nepoti ſuppetias fert 195. Indorum querelis

relis satisfacere nititur 246. seditiosos Malacenses placat 248. Inquisitionis severitati a Rege temperatæ obluctatur 249. pro Regis itinere classem parat 250. decimas Clero suo imponi non patitur 251. veneno propinato moritur 253. 256. celebria ædificia ab eo condita 257.

Z.

Zwinglius, & Zwingliani: hujus Sectæ initia 390. 500. Indulgentias impugnat 501. Constantiensem Episcopum decipit *ibid.*

FINIS
TOMI XXXIII.

Errata

Errata sic corrige:

Pag.	66.	Decreum - - -	Decretum
	98.	attentuaſſet - - -	attenuaſſet
	121.	haretur - - - -	haberetur
	154.	Mediolanenſem -	Mediolanenſi
	209.	exſcidat - - - -	excidat
	233.	irripere - - - -	eripere
	275.	carnalis - - - -	carnis
	277.	tantas - - - -	tanta

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOM. XXXIII.

Th
5178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN